3471
RHL

# CONCEPTVS CHRONOGRAPHICVS DE CONCEPTA SACRA DEIPARA.

*SEPTINGENTIS*

SACRÆ SCRIPTURÆ, SS. PATRUM,

*AC*

RATIONUM,

*Nec non*

HISTORIARUM,
SYMBOLORUM, ANTIQUITATUM,
ET ANAGRAMMATUM SUFFRAGIIS
ROBORATUS.

*AC*

*TOTIDEM PRÆFIXIS CHRONOGRAPHICIS,*
*ANNUM CURRENTEM PRODENTIBUS*
*COPIOSE INSTRUCTUS.*

OCCASIONE

SÆCULI,

HOC EODEM ANNO SEPTIMA VICE ABSOLUTI,
ET CELEBRATI,

A PATRIBUS BENEDICTINIS
Liberi, ac Imperialis Monaſterii

*AD*

SS. UDALRICUM, & AFRAM
AUGUSTÆ VINDELICORUM.

*COMBINATUS*

Per P. JOSEPHUM ZOLLER, Ord. S. Benedicti,
dicti Monaſterii Profeſſum, ejusdémque Parochiæ p. t. Curatorem.

*CUM LICENTIA SUPERIORUM.*

AUGUSTÆ, Typis Joannis Michaëlis Labhart, Reverendiſſ. ac Sereniſſ. Principis
& Epiſcopi Auguſtani, Typographi, Anno 1729.


ConCeptVs
ChronographICVs
De
ConCepta
SaCra DeIpara
Signum magnum
apparuit in Cœlo:
Mulier amicta
Sole, & Luna
Sub pedibus eius,
& in capite eius
Corona ſtellarum 12.
Apoc. C. 12. v. 1.
Et viſum eſt aliud
Signum in Cœlo:
& ecce Draco magnuſ
rufus, habens capita
Septem, & cornua 10.
ſtetit ante mulierem,
quæ erat paritura.
Ibid. v. 3 & 4.
Iohann. Asem del:
Philipp Iacob Leidenhoffer. fecit



✝

AUGUSTISSIMÆ
POTENTISSIMÆ, INVICTISSIMÆ
COELI, TERRÆQUE, REGINÆ,
AC DOMINÆ,
AGNI DIVINI IMMACULATI
IMMACULATÆ MATRI,
MULIERI AMICTÆ SOLE,
STELLIS DUODECIM CORONATÆ,
AC
LUNAM SUB PEDIBUS GERENTI,
MARIÆ
SINE OMNI LABE
CONCEPTÆ,
COELESTIUM DECORI,
TERRESTRIUM AMORI,
INFERORUM TERRORI,
Draconis ſeptem capitum, magni, rufi &c.
MAGNÆ, AC CANDIDÆ
EX SEPTEM CAPITIBUS
DEBELLATRICI,
SÆCULORUM NEGOTIO,
GRATIARUM COMPENDIO,
MATRI MISERICORDISSIMÆ,
DOMINÆ CLEMENTISSIMÆ.

# EPISTOLA DEDICATORIA.

VEreretur certè, AUGUSTISSIMA COELITUM REGINA, DOMINA CLEMENTISSIMA! ante ſplendidiſſimum immaculatæ Majeſtatis *Tuæ* Thronum ſe ſiſtere meus hic Conceptus Chronographicus, de Conceptione tuâ puriſſimâ inſtitutus, niſi in *Te* veneraretur Reginam illam feliciſſimam, quæ *aſtitit à dextris* Principis gloriæ, potentis in prœlio, Domini virtutum, *in veſtitu deaurato* Divinæ charitatis, *CIrCVMData VarIetate* omnigenarum gratiarum: quarum conſortio annumerari utique illam oportet gratiam, quæ ut omnium prima (in ipſo nempe auſpicatiſſimæ Conceptionis *Tuæ* inſtanti) ita ad reliquas omnes ſimiliter ſuſcipiendas *Te* dignam reddere poterat, & debebat. Vereretur meus hic exiguus labor in publicam prodire lucem, niſi ſciret, *Mulierem Te* illam, luce pleniſſimam, in Sacrâ Apocalypſi cap. 12. v. 1. haud obſcurè præmonſtratam, nec aliam ob rationem (ex melleâ Apis noſtræ Clarevallenſis ſententiâ, *ſerm. ſuper: Signum magnum*) *amictam Sole*, quàm *propter peccati omnimodam immunitatem.* Qui proinde incomparabilis ſplendor *Tuus*, ut eò magìs illuceſcat omnibus, viam fortaſsè aperire poterunt folia hæc, præclariſſimam præſervationem *Tuam* multipliciter explicantia. Vereretur tandem, O Creaturarum omnium Puriſſima, ac Beatiſſima! comparere Liber hic meus, non adeò à mendis liber, ante conſpectum *Tuum*, *Libri*, omni momento à mendis quibuscunque liberrimi, LIBRI GENERATIONIS, ſed non ſimul corruptionis, niſi ſperaret, ad utilitatem, & profectum quorundam ſaltem devotorum *Tuorum* non modicè conducturum, ſi Conceptionem *Tuam* ipſis exhibeat tanquam *Librum*, in quo non mortis, ſed veræ Vitæ, non communis peccati, ſed plenitudinis gratiæ, non Adami prævaricatoris, ſed æterni Patris præſervatoris legere poſſint characteres.

Scripsêre quidem, *O Beatiſſima Virgo!* antiqui noſtri Protoplaſti grande generationis humanæ Volumen; ſed tardis omninò ductibus, nec ſine mendis, atque erroribus: Jeſſe Davidem ſcripſit, ſed adulterio infamem: David Salomonem, ſed Fidei deſertorem: Salomon Roboamum, ſed imprudentem: Achaz Ezechiam, ſed jactabundum: Ezechias Manaſſen, ſed crudelem: ſcripſerunt alii errores alios, aureis quidem

dem ſubinde notis, ſed non ſine criminis atramento: rectas Virtutum lineas, ſed vitiis interpunctas: vitæ calamo, ſed charactere mortis; *Tu* verò ſola, ceu *Liber* in prœlo amoris Divini in primo inſtanti impreſſus, licèt nunquam fuerit correcta prima illa editio *Tua*, correctiſſima tamen prodiiſti, beneficio *Scribæ*, tam feliciter, quàm *velociter ſcribentis*, ac inſcribentis VERBUM VITÆ ex *Te* naſciturum, omnis maculæ, mortíſque excluſivum. Cujus etiam *Libri* ut character nitidior magìs legentium invitaret oculos, Typum adhibuit aureum puriſſimus Amor, & membranas Virgineas, tam in Conceptione candidas, ut Agnus abſque maculâ ſuum inde poſtmodùm Vellus aſſumere, mundóque, quantus eſt Deus, comparere ex *Te* voluerit. Tametſi enim tales quidem ſint reliquæ omnes creaturæ, ut earum quælibet aliquam ſaltem de Summo, ac Divino Bono nobis notitiam ingerat, adeò, ut per ea, quæ facta ſunt, *Factorem* ipſum ſuo modo conſpicere frequenter admodùm valeamus, ſicque è Mundi caducis Dei Firmitatem, è temporaneis Æternitatem, Potentiam à creatione, Bonitatem à conſervatione, Providentiam concludere poſſimus à regimine: Quamvìs etiam talis ſit *Liber* ille, quem Sacræ Scripturæ nomine meritò nuncupamus, ut vel in eo ſolo legere detur DEUM, Ejusdémque non tantùm Magnalia, verùm etiam Attributa: E. G. Divitias atque Potentiam in Geneſi, in Exodo Clementiam, Religionem in Levitico, Patientiam in Jobo, Fortitudinem in Joſue, Juſtitiam in Regibus, Sanctitatem in Davide, Sapientiam in Salomone, Providentiam in Prophetis &c. In *Te* nihilominùs, *Pulcherrima inter mulieres*, VIRGO IMMACULATA! velut in compendio, ſine minimo gratiæ diſpendio, contineri hæc omnia, certum eſt, pèr unicum illud *Verbum*, quod continet omnia; *Tu* enim es præclara illa ipſiúsmet Munditiei, ac Sanctitatis primigeniæ effigies, ad cujus formam Virtus colorem, Deus penicillum, umbram Spiritus Sanctus contulerunt: cui pro dignitate exornandæ non unus DEI digitus, ſed tota AUGUSTISSIMÆ TRIADOS manus, *Patris* potentia, *Nati* Sapientia, Amor *ſancti Spiritûs*, communî machinamento, *ab initio, & ante Sæcula* incubuit: Ut nihil omninò reperiri poſſit Virtutis in homine, perfectionis in Angelo, vel excellentiæ poſt Deum, quod non plenâ manu in *Te* Ipſe congeſſerit, nihil deformitatis in erebo, impietatis in mundo, pravitatis quondam in Cœlo, quod non omni cuſtodiâ à *Te* ipſe averterit: *Tu* es charta illa Virginea candidiſſima, cui perennaturæ pacis articulos placatum Numen inſcripſit. *Tu* denique *Liber* es incomparabilis, haud immeritò Cenſuris præclariſſimis commendatus, quem reprobare nemo poteſt, niſi reprobus. Et ſanè Cœtûs Angelici Coryphæus Gabriel, dum *gratiâ plenam* Te enuntiavit, quid aliud fecit, quàm quòd omnîs *Tibi* laudis prætexuerit Epitomen? Perſpicax deinde Aquila Joannes, ubi *Te* ex Domini Teſtamento recepit in ſua, nonnè conatus eſt quidem deſcribere *Librum*, & exorſus à capite, ſcrip-

ſit *Verbum*, quod *erat apud DEUM*, *& DEUS erat Verbum*, *c. 1. v. 1.?* Verùm cùm in uno hoc *Verbo* Myſteriorum finem invenire haudquaquám poſſet, abſtinuit calamum, candidè profeſſus, ſi Liber foret Mundus, capere DEUM non poſſe, quem tamen *Tu* Virgo concipere immaculatè concepta meruiſti. In *Tui* prætereà æſtimationem, ac digniſſimam *Libri* Cenſuram Dionyſius certè diſcipulus non multùm infrà Joannem magiſtrum fuit; vix enim oculus Areopagitæ hujus inſpexerat *Te*, Virgineum volumen, & impar ſui, cùm cerneret, characteres eſſe Divinos, penè legiſſet DEUM, niſi conſpicilio Fidei adjutus, cognoviſſet, eſſe DEUM Authorem hujus Libri, Cenſorem, & Patronum. Verbo, qualis futurus eſſes Liber? *Beatiſſima Beatorum Parentum proles!* dum conciperereris, ac antequàm eſſes, ijdem etiam Parentes *Tui* docuerunt, Joachim *Præparationem Domini*, Anna *Gratiam* locuta.

Quæ omnia cùm ita ſint, dignare me quoque laudare *Te Virgo ſine labe!* per *Conceptum* hunc *Chronographicum*, occaſione Sæculi noſtri ſeptimi Udalricani compoſitum, ac ſeptingentis Chronographicis in laudes *Tuas* inſtructum: ad confundenda nimirùm, ex ſeptem Capitibus, *ſeptem* illa impia *Draconis magni, rufi, capita*, Apoc. c. 12. v. 3. originariæ immunitati *Tuæ* temerario auſu inſidiantia. *Dignare me*, inquam, *laudare* TE, qui non ſeptingentis tantùm, ſed milliès millenis Maternæ pietati à *Te* mihi impenſæ titulis, obſtrictiſſimum me Clientem profiteor; Qùamvis enim haud ignorem, nullo verborum encomio *Te* condecenter in hoc Opere à me laudandam, ac illuſtrandam, tametsì totidem tum Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, ac Rationum, tum etiam Hiſtoriarum, Symbolorum, Antiquitatum, ac Anagrammatum ſuffragiis id efficere conatus fuero: quia nimirùm tota Divino Sole amicta, unico illo *Verbo*, quod *Caro* in TE *factum eſt*, laudaris, ac illuſtraris ſatis; attamen, quemadmodùm eò plerúmque redire videmus Flumina, unde ſuam illa traxerunt originem: ita *Conceptus* etiam meus *Chronographicus*, quantumvìs exiguus, laudibúsque *Tibi* debitis per omnia impar, de ſublimi tamen immuniſſimæ *Tuæ* Conceptionis prærogativâ ſpecialiter inſtitutus, non alteri, quàm *Tuo* ipſius immaculato Nomini dicatus, conſecratúsque ad *Te* redire non veretur, eâ plenus fiduciâ, quòd non tam rei oblatæ pretium, quàm filialem offerentis affectum, promptúmque Clientis animum, Maternâ benignitate ſis reſpectura; Satìs namque dat, qui dat, quantum dare poteſt, nihil ſibi reſervando, imò ſemetipſum totum donando.

Obſecro autem, *Virgo Beatiſſima*, *Regina immaculata!* digneris mihi aſſiſtere gratiâ *Tuâ*, & ſicut ſplendidiſſimum Solis jubar, in ima ſeſe ſtagna demittens, receptâ ibidem pulcherrimâ ſuâ imagine, illuminare illa, ac illuſtrare non intermittit; ſic *clariſſima Majeſtas Tua*, *Sole circum-*

*cumdata, Stelliſque coronata*, quæ non tantùm in hoc Conceptu Chronographico, ſed & in corde meo, ſemper impreſſam videbit manifeſtis characteribus Religioſæ devotionis, puriſſimam ſuam imaginem, non dedignetur, benigno obtutu illuminare ſervulum, in Dominæ ſuæ patrocinium confidentem. Digneris inſuper Opus hoc meum adeò inflammare, ut quot in illo Conceptus, in Conceptibus Paragraphi, in Paragraphis lineæ, in lineis verba, in verbis apices, tot ſint flammulæ, quæ accendant in cordibus, ac pectoribus legentium, veram ac teneram devotionem, erga *Tuam* Sacram, ac prorsùs immaculatam Conceptionem. Sicut denique *ab initio, & ante Sæcula creata*, per VII. jamjam Sæcula, quæ Sacer Divi Patriarchæ noſtri BENEDICTI Ordo ad SS. UDALRICUM & AFRAM hìc Auguſtæ, non ſine magno Orthodoxæ Religionis emolumento, feliciter abſolvit, Mater, ac poſt DEUM conſervatrix, & protectrix noſtra extitiſti, ita hoc ſpecialiter Anno Sæculari ad nos Maternè reſpicias; ſit *Sæculum noſtrum in illuminatione vultûs Tui*, Pſal. 89. v. 8. inſuper *& uſque ad futurum Sæculum non deſinas*, devotos *Tibi* famulos conſervare, tam credendæ, ac defendendæ Puriſſimæ Conceptionis *Tuæ* ſtudioſiſſimos, quàm Honoris *Tui* cujuscunque (contra temerarios præſertim Sacræ *Tuæ* Imaginis violatores) propugnatores indefeſſos. Hoc dum precor, meúmque exiguum *Conceptum* ad ſpecioſiſſimos Pedes *Tuos* humillimè depono, Sacrum ac immaculatum Thronum *Tuum*, *Auguſtiſſima Cœlitum Regina!* venerabundus exoſculor, Divinamque in *Te* Potentiam infimâ ſubmiſſione adorans, perenno

## Auguſtiſſimæ, ac perpetuùm Immaculatæ Majeſtatis Tuæ.

*Clientum Infimus*

P. JOSEPHUS ZOLLER,
Ord. S. Benedicti.

# LICENTIA.

## Imprimatur H. S.

Ex Officio Vicariatûs Auguſtæ, Die 12. Maii 1729.

JOANNES CASIMIRUS,
Epiſcopus Amyclenſis, Suffraganeus,
& Vicarius Generalis.

# LICENTIA.

*NOs* WILIBALDUS *D. G. Abbas Liberi & Imperial. Monaſterii SS. UDALRICI & AFRÆ, Auguſtæ Vindel. Ord. S. P. Benedicti, Conventuali noſtro* R. P. JOSEPHO ZOLLER *p. t. Parochiæ Curatori licentiam & facultatem impertimur, ut Librum, quem Conceptum Chronographicum de Conceptâ ſacrâ Deiparâ intitulat, pro propaganda erga immaculatam ejusdem Virginis DEI Genitricis Conceptionem devotione, Typis mandare, ac publicam in lucem edere poſſit; prævia tamen Cenſurâ Reverendiſſimi Ordinariatûs. In cujus fidem haſcé dedimus. Ex præfatâ noſtrâ Abbatiâ Imperiali, Die 20. Aprilis, Anno 1729.*

# CENSURA.

Cùm præſens Liber, ingenioſiſſimè, ac præclariſſimè conceptus, Beatiſſimæ Virginis, & Matris Conceptionem, in omni temporis momento verè immaculatam, non ſolùm variis, raris, ac gratiſſimis figuris exquiſitè enarret, ſed & piiſſimam hanc Sententiam, tum clariſſimis S. Paginæ congruentiis, nec non SS. Græcæ, & Latinæ Eccleſiæ Patrum Authoritatibus, tum evidentiſſimis quaſi omnium Jurium ratiociniis, atque authenticis rerum geſtarum factis comprobet, elucidet, ac demonſtret: bonis quoque moribus, & SS. Eccleſiæ deciſionibus vel maximè conformis repertus; Hinc in commodum, gaudium, & gratiam omnium Marianophilorum, publicâ, ac æternâ præli luce digniſſimus cenſetur. Auguſtæ, 3. Maii, Anno 1729.

JOANNES MICHAEL SEMBLER, SS. Theol. Doctor,
Reverendiſſ. ac Sereniſſ. Principis & Epiſcopi Auguſt. Conſiliarius
Eccleſiaſticus, & major Pœnitentiarius, nec non Inſignis Colleg.
ad S. Mauritium Canonicus Capit. Librorum Cenſor.

PRÆ-

# PRÆFATIO
## AD
# LECTOREM.

ANnus imminebat, quem ſolenniter modò agimus, Milleſimus, Septingenteſimus, Duodecimus, invectæ ad SS. UDALRICUM, & AFRAM, Benedictinæ noſtræ coloniæ ſeptimâ vice Sæcularis; cùm interior Eccleſiæ noſtræ Monaſtico-Parochialis facies, ad omnem ſplendorem, ac majeſtatem, noviter exornanda ſuſcipiebatur, decorique Domûs DEI, tot pretioſis Sanctorum Martyrum, ac Epiſcoporum exuvijs inclytæ, multipliciter amplificando, nullæ formidabantur impenſæ, compluribus opificibus, artificibusque, longo admodùm tempore, piâ, ſed fœneratitiâ Reverendiſſimi, ac Ampliſſimi Domini, Domini noſtri Abbatis WILIBALDI prodigalitate in Monaſterio ſuſtentatis. His igitur omnibus, labori quolibet ſuo, ac induſtriæ, ſtrenuâ aſſiduitate intentis, occaſionem ſumpſi & ego, vacuas (ſi quæ ſupereſſent à quotidianis curæ Parochialis negotijs) horas in id impendere, ut Opus quoddam Chronographicum, Anno currenti, ac Sæculo noſtro ſeptiès abſoluto correſpondens, pro tenuitate meâ, in lucem proferrem: indignum omninò ratus, reliquis in Parochiali noſtrâ Eccleſiâ ſplendidè adornandâ tam aſſiduè laborantibus, ſolum non laborare Parochum, tempori Sæculari vel ideò plùs cæteris obligatum, quia Anno ſimiliter Sæculari, Milleſimo nimirùm, Septingenteſimo, ad curas Parochiales gratiosè aſſumptum, atque noſtri etiamnùm Sæculi tempore, indignum licèt, idem munus per Parochiam noſtram Udalricanam adminiſtrare permiſſum. Porrò circà materiam, propoſito huic negotio ſubijciendam, dum pauliſper hæſitarem, quantocyùs in mentem venit illa, quæ ex melleo Clarevallenſis noſtri Abbatis eloquio, *Serm. 2. in Pentec. Negotium* eſt *omnium Sæculorum*, quæ etiam dulciſſimam ſui memoriam, ſimilibus præſertim temporibus, ſingulariter expoſcere videtur, dicens: *Memoria mea in generatione Sæculorum.* Eccli. c. 24. v. 28. Eápropter, cùm puriſſimæ hujus DEI, hominumque communis Parentis obſequijs me jam pridem millenis ex titulis dedicâſſem, atque ſæpiùs, quâ in re tandem conceptum DEI Genitricis amorem, promptamque Ejus honoris pro viribus promovendi voluntatem patefacere poſſem, ſollicitè mecum ipſe meditarer: ſcribere demùm, occaſione dicti Sæculi noſtri, quædam conſtitui de MARIA, & quidem ſine omni labe conceptâ, tot Illam vicibus Chronographicè exhibendo immaculatam, quot annos hactenùs, nimirùm ſeptingentos, BENEDICTINI ad SS. UDALRICUM & AFRAM, DEO conſervante numeravimus. Huic ergo negotio non obiter tantùm perficiendo, haud ſecùs, ac ſi ſtructura quædam ſublimis, atque elegans mihi erigenda foret, varios hinc inde lapides collegi, ac quidem pro fundamento centenos Sacræ Scripturæ Textus ſtudioſè conquiſitos poſui, in ſubjectam Conceptionis materiam, facili (ut mihi videbatur) labore, totidem Conceptibus explicandos. Centenas prætereà Summorum Pontificum, Conciliorum, vel certè Patrum diverſorum Authoritates, quaſì totidem columnas, ſuſtentandæ moli neceſſarias ſubſtitui. Feneſtrarum locò, per quas lumen reciperetur, centum Rationes, ſeu ſingularis hujus MARIANÆ prærogativæ congruentias, ex diverſis facultatibus petitas adjunxi. Ad interiorem quendam ædificij ornatum, Hiſtorias, ſeu miracula centum de eâdem materiâ, quaſì totidem elegantes picturas exhibui. Centum inſuper Symbola, ſeu Emblemata, puriſſi-

mæ Conceptionis, velut totidem ſpecula pellucida appendi, quibus centenas Antiquitates, MARIÆ jugiter applicatas ſuperaddidi, Periſtromatum, ſeu Tapetum variatorum munia non ineptè ſubeuntes. Oſtia, ſeu introgreſſum ædificij pandere debebat ingreſſus ad eam Archangelus Gabriel, ipſiſſimis ſupernæ legationis litteris, MARIAM, deſtinatam DEI Matrem, centeno Anagrammate, eoque puriſſimo, puriſſimam ſalutans, ac immaculatam. Tecto opus non videbatur ædificio huic MARIANO, à Spiritu Sancto jugiter obumbrato.

Nec deerant certè aliæ quædam rationes, cur Sæculi noſtri tempore, negotium hoc, de Beatiſſimâ DEI Genitrice, ſponte in me ſuſceperim; Enimverò, cùm mecum ſæpiùs perpenderim, quàm fervidè, per tres jamjam annos, à Superioribus meis fuerit laboratum, quatenùs Sacra illa Beatiſſimæ DEI Parentis Effigies, frontiſpicio domûs prædicatoriæ (per quam ad Baptiſterium noſtrum ſæpiſſimè mihi, ex officio, procedendum eſt) jam Anno 1458. ab Udalricanis MARIÆ cultoribus, in publicam tranſeuntium venerationem, appicta, atque non ita pridem, violento & nefando modo, ab Auguſtanæ Confeſſioni addictis deſtructa, denuò ab ijsdem reſtitueretur, ac decernentibus præſertim iteratis Sacr. Cæſ. Majeſtatis gratioſiſſimis Reſcriptis, in priſtinum ſtatum (Anni nimirùm 1624. conformiter inſtrumento pacis) novis depicta coloribus redigeretur: at interveniente, proh dolor! præmaturâ Auguſtiſſimi pijſſimæ memoriæ Imperatoris, JOSEPHI I. morte, ſuſpenſa etiamnùm hæreat noſtra expectatio, cujus (ſi Superis placeret) executio gaudium haud dubiè omni ex parte plenum Sæculo noſtro Udalricano conciliaret, &c. Ego interim aliam Beatiſſimæ Virginis Imaginem, puriſſimam nimirùm, ac prorsùs immaculatam MARIÆ Conceptionem, per Conceptum quendam Chronographicum ſubſtituere, eidemque Virgini, in aliqualem compenſationem illatæ ab hoſtibus ſuis injuriæ, humillimè dedicare, ac conſecrare volui: ut eo opere maximè placerem immaculatæ, cujus illam argumento maximè placuiſſe DEO, perſuaſum mihi habeo. Nec verò dubito, Numine favente, CAROLOque VI. Auguſtiſſimo noviter electo Imperatore, pro juſtitiâ decernente, aliam quoque Imaginem illam, à noſtris tam juſtè, quàm fervidè repetitam, proximè pro voto ab adverſarijs reſtituendam. Sperare nimirùm id jubet ipſamet Virginis Immaculatæ Conceptio, cujus nupera Solennis Feſtivitas eò extitit hìc Auguſtæ glorioſior, quo feliciori ipſiúsmet Auguſtiſſimi Imperatoris præſentiâ, ac ſingulari, vereque Hiſpano-Auſtriacâ devotione, tam erga Auguſtiſſimum Altaris Sacramentum (quid enim eſt Evchariſtia *Hiſpanis?* nonnè *his panis*, nempe vitæ? cujus autem panis eſt *Evchariſtia?* nonnè *hic Auſtriae?*) quàm erga immaculatam Agni immaculati Matrem, ad ſummam Catholicorum ædificationem, Acatholicorum verò nauſeam, fuit concelebrata. Et ſanè, cùm Monarcha ille Auguſtiſſimus, *Virtute Patrum* ter ſecundus, unicus quidem ſuperſtes, ſed pro voto totius Chriſtiani orbis, meritò MVLtIpLICanDVs, Paternæ tum virtutis, tum potentiæ hæres, Auguſtiſſimæ Cœlitum Imperatrici à teneris jamjam annis addictiſſimus, genuinus Leopoldinæ Aquilæ pullus, Oeniponti à Tyrolenſibus ſubditis paullò antè debitum ſuſcepiſſet homagium, non ſub aliâ quidem juramenti formulâ, quàm illâ, quæ ab Auguſtiſſimo glorioſiſſimæ memoriæ Parente, LEOPOLDO, jam Anno 1691. in ſingularem Immaculatæ Conceptionis honorem laudabiliſſimè præſcripta, omnibusque hæreditarijs tam ſuperioris, quàm inferioris Auſtriæ Provincijs ſanctiſſimè obſervanda proponebatur, nimirùm: *Sic me DEUS adjuvet, Concepta ſine omni maculâ Beatiſſima DEI Mater, & omnes Sancti*: cùm præterea inde itinere Auguſtam versùs ſuſcepto, poſt devotionem ſuam, ad Tavmaturgam in campo Lycio Virginem, in Vigiliâ ejusdem immaculatæ Conceptionis, ferventiſſimè perſolutam, Civitatem noſtram Auguſtanam, præ communis magnitudine gaudij vix ſémet capientem ingrederetur, ac per Portam rubam primùm, deinde per eandem prorsùs viam, quâ ad ſupradictum prædicatoriæ domûs frontiſpicium, Sacrâ Imagine ſpoliatum, pergitur, ad præparatum ſibi Imperiale Palatium magnâ cum pompâ deduceretur: quid aliud nobis, id feliciſſimè ſpectantibus, ominari licebat, quàm Eundem, ut proximis diebus Francofurti glorioſiſſimè coronandum, ita juſtiſſimæ quo-

que

que cauſæ noſtræ judicem, Virgineique honoris propugnatorem zeloſiſſimum ſimul, ac potentiſſimum, ſpecialiter à DEO ſubmiſſum? Cui propterea dictam transvecto plateam haud immeritò, ad horti noſtri Monaſtici murum, Feſtiviſſimum Pegma erectum, noctuque gratulabundi, ac artificioſi ignes, tam in eodem horto, quàm ex altiſſimâ Turri noſtrâ accenſi, plauſusque inſoliti, non in Vigiliâ tantùm, ſed & in ipsâ Sacræ Conceptionis Feſtivitate, neſcio CVI potiùs? an nimirùm Conceptæ Virgini Immaculatæ, in Carolo VI. vel Carolo VI. in Conceptâ Virgine Immaculatâ? dati fuerunt ab Udalricanis, utrique devotiſſimis.

Habes ergo, Lector amiciſſime! cauſas ſuſcepti, hoc tempore, negotij mei, *De conceptâ Sacrâ Deiparâ*, quod licèt opus fortaſſis exiguum tibi videri poſſit, utpote de Myſterio, noſtris jam temporibus, per ſeipſum adeò commendato, ut meis ultrà laudibus minimè indigeat; haud tamen exiguo labore confici potuiſſe, facilè tibi perſuaſum habebis, ſi non tam materiam ipſam, quæ unica eſt, conſiderâris, quàm multiplicia Sacræ Scripturæ, Patrum, Rationum, Hiſtoriarum, Symbolorum, Antiquitatum, Anagrammatum, ſeptem Indicibus inſtructorum, ſuffragia perpenderis, ac ſeptingenta inſuper, ſuper unum, eundemque currentem Annum, Chronographica ponderâris. Mihi certè negotium iſtud Sæculare, de *negotio omnium ſæculorum*, minimè irreligioſum viſum eſt: nec infructuoſum etiam fuiſſe videbitur, ſi Tibi quoque Conceptûs mei ſtructuram non diſplicuiſſe intellexero; Quemadmodùm enim eorum quasì omnium, quæ de Beatiſſimæ Virginis puriſſimâ Conceptione, pro Concione, aut diſcurſu, produci poſſunt, breve quoddam exhibet compendium; ſic eò Tibi gratius, ac utilius eſſe poterit, quo magìs tanti Mariani Myſterij, ac prærogativæ devotè credendæ, Virgineæq; opis, pro evitandâ omni, tum corporis, tum animæ maculâ, continuò implorandæ ſtudioſus fueris. Perlege igitur, ſi lubet, omnî tamen remoto ſupercilio, omnîque cenſoriâ abjectâ poteſtate, Conceptum hunc Chronographicum, & fruere dapibus, quas ille tibi proponit, dulcî Deiparentis memoriâ conditis! ſi ſapiant, da gloriam DEO, ejusdemque immaculatæ Matri: ſi inſipidæ videantur, compatere ſcriptoris imbecillitati, culpamque occupationibus potiùs Parochialibus, calamoque minùs practico adſcribe, quàm voluntati, quæ nec peccare in MARIAM, ſine peccato conceptam voluit, nec cuiquam diſplicere intendit.

Diu vale! ac tandem vive
per Sæcula!

# INDEX I.

## Textuum ex Sacris Litteris aſſumptorum, pro Conceptibus, de Conceptione.

I. C*ongregationes aquarum appellavit maria.* Geneſ. c. 1. v. 10.

II. *Formavit igitur Dominus Deus hominem, de limo terræ.* Geneſ. c. 2. v. 7.

III. *Plantaverat autem Dominus Deus Paradiſum voluptatis, à principio.* Gen. c. 2. v. 8.

IV. *Faciamus ei adjutorium, ſimile ſibi.* Geneſ. c. 2. v. 18.

V. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum.* Geneſ. c. 3. v. 15.

VI. *Porrò Arca ferebatur ſuper aquas.* Geneſ. c. 7. v. 18.

VII. *Viderunt Ægyptij mulierem, quòd eſſet pulchra nimis.* Geneſ. c. 12. v. 14.

VIII. *In tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte Matris ejus acciderat, temperaret.* Geneſ. c. 24. v. 67.

IX. *Dimitte me; jam enim aſcendit Aurora.* Geneſ. c. 32. v. 26.

X. *Dedit ei gratiam, in conſpectu Principis carceris.* Geneſ. c. 39. v. 21.

XI. *Videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Exod. c. 3. v. 2.

XII. *Tulit ergo Moyſes uxorem ſuam; &c. reverſusque eſt in Ægyptum.* Exod. c. 4. v. 20.

XIII. *Cunctam herbam agri percuſſit grando, tantùm in terrâ Geſſen, &c. grando non cecidit.* Exod. c. 9. v. 25.

XIV. *Dies prima erit Sancta, atque ſolennis, & dies ſeptima eâdem Feſtivitate venerabilis.* Exod. c. 12. v. 16.

XV. *Cantemus Domino; glorioſè enim magnificatus eſt.* Exod. c. 15. v. 1.

XVI. *Non inibis cum eis fœdus, &c. ne fortè peccare te faciant in me.* Exod. c. 23. v. 32. & 33.

XVII. *Arcam de lignis ſetim compingite, &c. & deaurabis eam auro mundiſſimo intùs, & foris.* Exod. c. 25. v. 10. & 11.

XVIII. *Præcide tibi duas tabulas lapideas, inſtar priorum, & ſcribam ſuper eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregiſti.* Exod. c. 34. v. 1.

XIX. *Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent Nomen ejus.* Levit. c. 21. v. 6.

XX. *Venimus in terram, ad quam miſiſti nos, quæ reverà fluit lacte, & melle, ut ex his fructibus cognoſci poteſt.* Num. c. 13. v. 28.

XXI. *Separavit tribum Levi, ut portaret Arcam fœderis Domini, & ſtaret coram eo in miniſterio, ac benediceret, in nomine illius.* Devter. c. 10. v. 8.

XXII. *Sola Rahab meretrix vivat! &c. abſcondit enim nuntios, quos direximus.* Joſue. c. 6. v. 16. & 17.

XXIII. *Stetit itaque Sol in medio Cœli, & non feſtinavit occumbere.* Joſue. c. 10. v. 13.

XXIV. *In hac vice, victoria non reputabitur tibi; quia in manu mulieris tradetur Siſara.* Judic. c. 4. v. 9.

XXV. *Ponam hoc vellus lanæ in areâ, ſi ros in ſolo vellere fuerit.* Judic. c. 6. v. 37.

XXVI. *Percute me! ne fortè dicatur, quòd à fœminâ interfectus ſim.* Judic. c. 9. v. 54.

XXVII. *Nec immundum quidquam comedas; quia concipies, & paries filium.* Judic. c. 13. v. 4.

XXVIII. *Irruit autem ſpiritus Domini in Samſon, & dilaceravit Leonem, quasi hœdum in fruſta decerperet.* Judic. c. 14. v. 6.

XXIX. *Inveni gratiam apud oculos tuos, Domine mi!* Ruth. c. 2. v. 13.

XXX. *Benedicta es à Domino, filia! &c. ſcit enim omnis populus - - - mulierem te eſſe virtutis.* Ruth. c. 3. v. 10. & 11.

XXXI. *Ecce! Dagon jacebat pronus in terrâ, ante Arcam Domini.* 1. Reg. c. 5. v. 3.

XXXII. *Tranſeamus ad ſtationem incircumciſorum horum, ſi fortè faciat Dominus pro nobis; quia non eſt Domino difficile, ſalvare vel in multis, vel in paucis.* 1. Reg. c. 14. v. 6.

XXXIII. *Percuſſitque eum in fronte, & infixus eſt lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem ſuam ſuper terram.* 1. Reg. c. 17. v. 49.

XXXIV.

XXXIV. *Anima Jonathæ conglutinata eſt animæ David.* 1. Reg. c. 18. v. 1.
XXXV. *Extendit Oza manum ad Arcam Dei, & tenuit eam.* 2. Reg. c. 6. v. 6.
XXXVI. *Habitavit Arca Domini, in domo Obededom Gethæi, tribus menſibus: & benedixit Dominus Obededom, & omnem domum ejus.* 2. Reg. c. 6. v. 11.
XXXVII. *Fidelis erit domus tua.* 2. Reg. c. 7. v. 16.
XXXVIII. *Et Thronus tuus erit jugiter firmus.* 2. Reg. c. 7. v. 16.
XXXIX. *Sicut Abſalom vir non erat pulcher, in omni Iſraël, & decorus nimis: à veſtigio pedis, uſque ad verticem, non erat in eo ulla macula,* 2. Reg. c. 14. v. 25.
XL. *Erimus ego, & filius meus Salomon peccatores.* 3. Reg. c. 1. v. 22.
XLI. *Pete Mater mea! neque enim fas eſt, ut avertam faciem tuam.* 3. Reg. c. 2. v. 20.
XLII. *Porrò nihil erat in Templo, quod non auro tegeretur.* 3. Reg. c. 6. v. 22.
XLIII. *Rex autem Salomon dedit Reginæ Saba omnia, quæ voluit, & petivit ab eo, exceptis his, quæ ultrò obtulerat ei, munere Regio.* 3. Reg. c. 10. v. 13.
XLIV. *Protegam Urbem hanc, & ſalvabo eam, propter me, & propter David ſervum meum.* 4. Reg. c. 19. v. 34.
XLV. *Fecit Aſa, quod bonum, & placitum erat, in conſpectu Dei ſui.* 2. Paralip. c. 14. v. 2.
XLVI. *Mundate domum Domini Dei Patrum veſtrorum, & auferte omnem immunditiam de Sanctuario.* 2. Paralip. c. 29. v. 5.
XLVII. *Cùm omnes ederent ex cibis gentilium, iſte cuſtodivit animam ſuam, & nunquam contaminatus eſt in eſcis eorum.* Tob. c. 1. v. 12.
XLVIII. *Una mulier Hebræa fecit confuſionem in domo Regis Nabuchodonoſor: Ecce enim! Holofernes jacet in terrâ, & caput ejus non eſt in illo.* Judith. c. 14. v. 16.
XLIX. *Nequaquàm ultrà Vaſthi ingrediatur ad Regem, ſed Regnum illius altera, quæ melior eſt illâ, accipiat.* Eſther. c. 1. v. 19.
L. *Parvus fons, qui crevit in fluvium & in lucem, Solemq́, converſus eſt, & in aquas plurimas redundavit, Eſther eſt.* Eſther. c. 10. v. 6.
LI. *Non enim pro te, ſed pro omnibus hæc Lex conſtituta eſt.* Eſther. c. 15. v. 13.
LII. *Evaſi ego ſolus, ut nuntiarem tibi.* Job. c. 1. v. 15.
LIII. *Quæretur peccatum illius, & non invenietur.* Pſal. 9. v. 37.
LIV. *Deus, qui præcinxit me virtute, & poſuit immaculatam viam meam.* Pſal. 17. v. 33.
LV. *In Sole poſuit tabernaculum ſuum.* Pſal. 18. v. 6.
LVI. *Eructavit cor meum verbum bonum.* Pſal. 44. v. 1.
LVII. *Adjuvabit eam Deus manè diluculò.* Pſal. 45. v. 6.
LVIII. *Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.* Pſal. 88. v. 23.
LIX. *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te in omnibus vijs tuis: In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum. Super aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.* Pſal. 90. v. 11. & ſeq.
LX. *Dominus cuſtodit te ab omni malo, cuſtodiat animam tuam Dominus: Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum tuum.* Pſal. 120. v. 7. & 8.
LXI. *Obumbrâſti ſuper caput meum, in die belli.* Pſal. 139. v. 8.
LXII. *Dominus poſſedit me, in initio viarum ſuarum.* Proverb. c. 8. v. 22.
LXIII. *Nondùm erant abyſſi, & ego jam concepta eram.* Proverb. c. 8. v. 24.
LXIV. *Non extinguetur in nocte lucerna ejus.* Proverb. c. 31. v. 18.
LXV. *Nigra ſum, ſed formoſa.* Cant. c. 1. v. 4.
LXVI. *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Cant. c. 2. v. 2.
LXVII. *En! lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt.* Cant. c. 3. v. 7.
LXVIII. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Cant. c. 4. v. 1.
LXIX. *Veni in hortum meum, ſoror mea ſponſa! meſſui myrrham meam.* Cant. c. 5. v. 1.
LXX. *Terribilis, ut caſtrorum acies ordinata.* Cant. c. 6. v. 3.
LXXI. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui, in calceamentis, Filia Principis!* Cant. c. 7. v. 1.
LXXII. *Quid faciemus ſorori noſtræ, in die, quando alloquenda eſt?* Cant. c. 8. v. 8.
LXXIII. *Placita enim erat Deo anima illius: propter hoc properavit educere illum, de medio iniquitatum.* Sap. c. 4. v. 14.
XXIV. *Candor enim eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ.* Sap. c. 7. v. 26.
LXXV. *Certamen forte dedit illi, ut vinceret.* Sap. c. 10. v. 12.

LXXVI. *Ante languorem adhibe medicinam* Eccli. c. 18. v. 20.

LXXVII. *Tempore tribulationis, permane illi fidelis.* Eccli. c. 22. v. 29.

LXXVIII. *Quid eſt, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei?* Iſaiæ. c. 5. v. 4.

LXXIX. *Luna tua non minuetur; quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam.* Iſaiæ c. 60. v. 20.

LXXX. *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam, vocavit Dominus nomen tuum.* Jerem. c. 11. v. 16.

LXXXI. *Ecce! dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum: ut Adamantem, & ut ſilicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, neque metuas, à facie eorum!* Ezech. c. 3. v. 8. & ſeq.

LXXXII. *Porta hæc clauſa erit: & vir non tranſibit per eam; quoniam Dominus Deus Iſraël ingreſſus eſt per eam, eritque clauſa Principi: Princeps ipſe ſedebit in eâ.* Ezech. c. 44. v. 2.

LXXXIII. *Succidite arborem, & præcidite ramos ejus, excutite folia ejus! &c. Veruntamen germen radicum ejus in terrâ ſinite.* Dan. c. 4. v. 11. & 12.

LXXXIV. *Nullam cauſam, & ſuſpicionem reperire potuerunt; eò quòd fidelis eſſet, & omnis culpa, & ſuſpicio non inveniretur in eo.* Dan. c. 6. v. 4.

LXXXV. *Nulla læſio inventa eſt in eo; quia credidit DEO ſuo.* Dan. c. 6. v. 23.

LXXXVI. *Sepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceriâ, & ſemitas tuas non inveniet.* Oſeæ c. 2. v. 6.

LXXXVII. *Erit mons domûs Domini præparatus, in vertice montium, & ſublimis ſuper colles.* Michææ c. 4. v. 1.

LXXXVIII. *Cogitavit de Altari holocauſtorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret? & incidit illis conſilium bonum, ut deſtruerent illud, ne fortè illis eſſet in opprobrium, quia contaminaverunt illud gentes: & demoliti ſunt illud.* 1. Machab. c. 4. v. 44. & 45.

LXXXIX. *Non ſurrexit, inter natos mulierum, major Joanne Baptiſtâ.* Matth. c. 11. v. 11.

XC. *Hic eſt enim Sanguis meus, novi Teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Matth. c. 26. v. 28.

XCI. *Nemo mittit vinum novum in utres veteres; alioquin rumpet vinum novum utres, & ipſum effundetur, & utres peribunt: ſed vinum novum in utres novos mittendum eſt, & utraque conſervatur.* Luc. c. 5. v. 37. & 38.

XCII. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Joann. c. 1. v. 5.

XCIII. *Mulier, ubi ſunt, qui te accuſabant? nemo te condemnavit? quæ dixit: nemo Domine. Dixit autem ei JEſus: Nec ego te condemnabo.* Joann. c. 8. v. 10. & 11.

XCIV. *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Joann. c. 8. v. 46.

XCV. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt.* Paul. ad Rom. c. 5. v. 12.

XCVI. *Ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam.* Epheſ. c. 5. v. 27.

XCVII. *Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* Hebr. c. 7. v. 26.

XCVIII. *Non peccat: ſed generatio Dei conſervat eum, & malignus non tangit eum.* Epiſt. Joann. c. 5. v. 18.

XCIX. *Ego ſervabo te ab horâ tentationis, quæ ventura eſt in Orbem univerſum, tentare habitantes in terrâ. Ecce! venio citò: tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* Apoc. c. 3. v. 10. & 11.

C. *Vidi Sanctam Civitatem Jeruſalem, novam, deſcendentem de Cœlo, à Deo.* Apoc. c. 21. v. 2.

IN-

# INDEX II.

## Authoritatum, ex Pontificibus, Conciliis, & Patribus, pro Mariæ immaculatâ Conceptione petitarum.


1. S. Albertus Magnus.
2. S. B. Alcuinus.
3. S. Alphonſus Toſtatus.
4. B. Amadæus.
5. S. Ambroſius.
6. S. Amphilochius.
7. Anaſtaſius Synaita.
8. S. Andreas Apoſtolus.
9. S. Andreas Cretenſis.
10. S. Ansbertus.
11. S. Anſelmus.
12. S. Antiochus.
13. S. Arnoldus Carnotenſis.
14. S. Athanaſius.
15. S. Auguſtinus.
16. S. Baſilius Magnus.
17. S. Baſilius Seleucienſis.
18. S. Beda Venerabilis.
19. S. Bernardinus Senenſis.
20. S. Bernardus.
21. S. Bonaventura.
22. S. Bruno.
23. S. Chryſippus Jeroſolymitanus Presbyter.
24. Concilium ſeu 6.ª Synodus ſub Agathone Papâ.
25. Concilium Baſileenſe.
26. Concilium Epheſinum.
27. Concilium Lateranenſe ſub Mart. V.
28. Concilium Toletanum.
29. Concilium Tridentinum.
30. S. Cyprianus.
31. S. Cyrillus Alexandrinus.
32. S. Dionyſius Alexandr.
33. S. Dionyſius Areopagita.
34 Dionyſius Carthuſianus.
35. S. Dominicus.
36. S. Eligius.
37. S. Ephrem Syrus.
38. S. Epiphanius.
39. S. Eucherius.
40. B. Eutychianus.
41. Euthymius.
42. S. Fulbertus Carnotenſis.
43. S. Fulgentius.
44. Georgius Nicomed.
45. S. Germanus.
46. S. Gregorius Magnus.
47. S. Gregorius Nazianzenus.
48. S. Gregorius Neo-Ceſareenſis.
49. Guarricus Abbas.
50. B. Haymo.
51. Heſychius.
52. S. Hieronymus.
53. S. Hipolytus.
54. S. Hugo de S. Victore.
55. S. Jacobus Major.
56. S. Jacobus Minor.
57. Jacobus Genuenſis.
58. Idiota.
59. S. Ignatius Martyr.
60. S. Ildephonſus.
61. Joannes Chryſoſtomus.
62. S. Joannes Damaſcenus.
63. S. Joannes Jeroſolymitanus.
64. S. Irenæus.
65. Ivo Carnotenſis.
66. S. Juſtinus Martyr.
67. S. Laurentius Juſtinianus.
68. S. Leo Papa.
69. B. Ludovicus Bertramus.
70. Ludovicus Bloſius.
71. S. Marcus Evangeliſta.
72. S. Methodius.
73. S. Nicephorus.
74. Nicolaus Cuſanus.
75. Origenes.
76. Oroſius.
77. Petrus Bleſenſis.
78. Petrus Cellenſis.
79. S. Petrus Chryſologus.
80. S. Petrus Cluniacenſis.
81. Petrus Comeſtor.
82. S. Petrus Damianus.
83. S. Proclus.
84. Pſellus.
85. S. Richardus à S. Laurent.
86. Richardus à S. Victore.
87. S. Rupertus Tuitienſis.
88. S. Sabbas.
89. Sophronius.
90. S. Stephanus Sabaita.
91. Tertullianus.
92. Theodoretus.
93. S. Theophanes Nicænus.
94. S. Thomas Apoſtolus.
95. S. Thomas Aquinas.
96. Thomas Argentinenſis.
97. S. Thomas à Villanovâ.
98. Trithemius.
99. Valentinus Conſtantinopolitanus.
100. S. Vincentius Ferrerius.

# INDEX III.

## Dogmatum, Procardicorum, Regularum Juris, Axiomatum, ac Sententiarum, Rationes, ac Convenientias pro immaculatâ MARIÆ Conceptione ſubminiſtrantium.

1. ARchangelus Gabriel pronuntiat Mariam immaculatam; nec enim dicere aliàs cum veritate poſſet: *Ave*, nec: *gratiâ plena*, nec: *Dominus Tecum*, *&c.* Ergo. *Ratio* 28.

2. Juxta Pſalmiſt. Chriſtus eſt *ſpecioſus formâ præ filijs hominum*: conſequenter & Mater. *Ratio* 71.

3. Juxta Evang. Matth. *Ex fructu Arbor cognoſcitur.* Ergo & Maria ex benedicto fructu. *Ratio* 83.

4. Juxta Gamalielem, S. Pauli magiſtrum, *Conſilium, quod eſt à Deo, non poterit diſſolvi.* Ergo cùm hactenùs non ſit diſſoluta Doctrina, de immaculatâ Conceptione, eſt hæc à Deo. *Ratio* 32.

5. Juxta D. Paul. *Quæ conventio Chriſti ad Belial?* Ergo nec Matris Chriſti cum peccato. *Ratio* 39.

6. Juxta eundem, *ſi radix Sancta, & ramus.* Ergo Sanctus ramus Sanctam radicem, Filius Sanctus Sanctam Matrem ſupponit. *Ratio*. 40.

7. Juxta eundem, *Nemo unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam.* Atqui Maria fuit caro Chriſti. Ergo. *Ratio* 52.

8. Juxta eundem, Chriſtus fuit *tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit.* Ergo & Maria, utpotè re, & nomine, Chriſti Mater. *Ratio* 59.

9. Juxta eundem, *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Quis ergo contra Te, O Maria! ſi *Dominus tecum*? *Ratio* 97.

10. Juxta S. Auguſt. *In Cœlo qualis eſt Pater, talis eſt Filius: ſic in terrâ qualis Mater, talis Filius.* Vel ergo uterque, vel neuter maculatus. *Ratio* 27.

11. Juxta eundem, *qui grandioris ætatis peccatum actuale non commiſit, nec originale contraxiſſe cenſendus eſt.* Atqui. Ergo. *Ratio* 5.

12. Juxta S. Ambroſ. *Maria non ſolùm corpore, ſed & mente eſt Virgo.* talis autem dici non poſſet, ſi &c. Ergo, &c. *Ratio* 17.

13. Juxta D. Thom. *Eccleſia celebrat Feſtum Nativitatis B. V. Ergo hæc fuit Sancta.* Sed idem dici poteſt de Conceptione: Ergo. *Ratio* 11.

14. Juxta eundem, *Illos, quos Deus ad aliquid eligit, ita præparat, & diſponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei.* Atqui elegit eam Deus ab æterno in Matrem. Ergo. *Ratio* 36.

15. Idem D. Thomas, ex ore ipſiusmét Chriſti, *benè de eo ſcripſit.* Atqui hoc falſum eſſet, ſi abſolutè ſcripſiſſet, ac intellexiſſet Matrem Chriſti maculatam. Ergo. *Ratio* 94.

16. Juxta Bedam Venerab. *Ideò Cœlum in principio totum lucidum creabatur, quia Dei debebat eſſe habitatio.* Atqui etiam Maria, &c. Ergo. *Ratio* 78.

17. Nec mirum; ſi enim *Cicero pro domo ſuâ* (ut in Proverbio dicit ſolet) cur non etiam Deus pro Mariâ? *Ratio* 65.

18. Quod ſi verum eſt illud: *Qui tacet, conſentire videtur*, etiam Eccleſiam Romanam non contradicendo huic doctrinæ, conſentire dubium non eſt. *Ratio* 48.

19. Canit prætereà Eccleſia: *Conceptio tua gaudium annuntiavit univerſo mundo.* quod non verificaretur, ſi fuiſſet maculata. *Ratio*. 8.

20. Similiter canit: *Ut Conceptionis ejus votiva Solennitas pacis tribuat incrementum.* Sed nec hoc verum eſſet. Ergo. *Ratio* 14.

21. Item canit: *Exaltata eſt Sancta Dei Genitrix, ſuper Choros Angelorum, ad Cœleſtia Regna.* Ergo ſicut in Cœlis, ſic & in terris, ſuper omnes alios fuit exaltata, nempe per immaculatam Conceptionem. *Ratio* 54.

22. Prætereà in Eccleſiâ de peccatis Feſtum non agitur: cùm ergo agatur Feſtum Conceptionis, ſupponitur, eam fuiſſe ſine peccato. *Ratio* 19.

23. Hinc eſt, quod rariſſimè celebrentur Beatorum Natales; quia nempe tunc præſumuntur in peccato fuiſſe. Ergo cùm Eccleſia celebret non tantùm Nativitatem, ſed & Conceptionem Mariæ, ſequitur, utramque peccato caruiſſe. *Ratio* 44.

24. Licèt autem celebretur Joannis Nativitas, non tamen celebratur Conceptio; quia hic in Nativitate fuit Sanctus, non in Conceptione. Cùm ergo utraq; in Eccleſiâ celebretur Mariæ Feſtivitas, utraque Sancta dicenda eſt. *Ratio* 45.

25. Verùm Theologos audiamus! qui ex eo, quòd Maria *Tota pulchra* in Script. dicatur, concludunt, nunquam ab illâ commiſſum peccatum veniale. multò minùs ergo originale. *Ratio* 7.

26. Jux-

26. Juxta illos enim; quidquid erat uniendum, vel terminandum hypoſtaticè à Perſonalitate Verbi, debuit fuiſſe Sanctum. Atqui: Ergo. *Ratio 3.*

27. Et omne beatificandum per meritum Chriſti, ex prædeſtinatione Divinâ, eſt gratificandum gratiâ, gratum faciente, per idem meritum. Atqui. Ergo. *Ratio 73.*

28. Hinc ſi non de condigno, ſaltem dicenda erit pura originaliter, de congruo. *Ratio 13.*

29. Ut eam innocentiam, quam Filius habuit à naturâ, Maria acceperit per gratiam. *Ratio 15.*

30 Præſertim, cùm Mariæ innocentia, ex præſervatione, magnam attulerit excellentiam ipſi Deo. *Ratio 26.*

31. Econtrà culpa Matris maximam ipſi intuliſſet ignominiam. *Ratio 20.*

32. Sicut enim, habitâ optione, Filius quisque Parentes ſibi nobiliores, ac decentiores eligeret, ſic multò magìs Deus ipſe decentiſſimam, ac innocentiſſimam Matrem. *Ratio 74.*

33. Cùm viles natales Matris alicui Principi valdè ſint erubeſcendi. *Ratio 87.*

34. Præterea Chriſtus, ut reconciliator perfectiſſimus, debuit ſaltem ſecundùm unum individuum, perfectiſſimo modo reconciliare. *Ratio 21.*

35. Et tanquam perfectiſſimus artifex, debuit utique, in ſubjecto perfectiſſimo, quale Maria fuit, opus perfectiſſimum exercere. *Ratio 35.*

36. Apparet inſuper ex eo vel maximè ſapientia artificis, ſi ex materiâ imperfectâ producat opus perfectum: adeoque ex immaculatâ Conceptione Mariæ, ſecundùm Adamum conſideratæ, probatur ſumma Dei Sapientia. *Ratio 79.*

37. Ut meritò Maria ſpecialiter laudet, ac magnificet Deum; quia *Opus laudat ſuum artificem.* *Ratio 100.*

38. Et nonnè Redemptionis opus eſt æquè excellens, ac opus Creationis? ſi ergo ibi fuit creata natura protoparentum ſine peccato in gratiâ, etiam hìc ſaltem aliqua creatura debuit præſervativè redimi, ſine peccato, in gratiâ. *Ratio 41.*

39. Ut proinde, ſicut Adami & Evæ fuit pura productio, ſic Mariæ fuerit pura Conceptio. *Ratio 62.*

40. Cùm Chriſti origo tantæ utique perfectionis fuerit, quantæ fuit origo Adami, qui proceſſit è terrâ, nullo adhuc peccato infectâ. *Ratio 25.*

41. Nec enim ipſe naſci potuiſſet in juſtitiâ originali, niſi à Matre habente juſtitiam originalem. *Ratio 61.*

42. Caruit igitur Maria tam corporali corruptione, quàm corruptione animæ; adeoque fuit ſine peccato, cujus utraque corruptio eſt effectus. *Ratio 23.*

43. Ubi nimirùm omnis effectus cauſæ deeſt, etiam cauſa ipſa deeſſe cenſetur. Atqui. Ergo. *Ratio 43.*

44. Inſuper, nonnè Filius eſt tantæ Sapientiæ ac potentiæ, in eligendo ſibi Matrem in terris, quantæ Pater in producendo quoad intrà coæquale ſibi Verbum? Sed hic non potuit producere, niſi Verbum ſibi gratum, & expers corruptionis. Ergo. *Ratio 63.*

45. Potuit igitur Deus, & voluit Mariam præſervare. *Ratio 34.*

46. Et tanquam ſummum bonum, ſui communicativum, eam boni immunitatis ſuæ reddere participem. *Ratio 51.*

47. Si enim, juxta Proverbium, *Amicus eſt alter ego*; Maria certè, ſuo modo, nempe quoad immunitatem à peccato; alter Filius. *Ratio 98.*

48. Tali namquè amicitiæ ſpeciali, qualis fuit inter Chriſtum, & Matrem ejus, repugnabat omnî modo macula originalis. *Ratio 42.*

49. In hac ergo præſervatione Matris, Dei Filius deceptore diabolo longè fuit potentior, ac ſapientior. *Ratio 24.*

50. Verbo, Mariæ immaculata Conceptio, utpotè antecedens omnia reliqua creata in Decreto Divino, antecedit etiam ipſum peccatum. *Ratio 38.*

51. Hoc dicunt non Theologi tantùm, ſed & integræ Provinciæ, Religiones, Univerſitates, Populi, &c. Atqui *Vox populi vox Dei.* Ergo. *Ratio 12.*

52. Nec deſunt miracula plurima, quæ utiquè non patrantur, pro aſſerendâ falſitate. *Ratio 10.*

53. Quod ſi, juxta Canoniſtas, Epiſcopus Canonicè electus & confirmatus, ante actualem conſecrationem jam gaudet eâdem juriſdictione & privilegijs, quibus gaudet actu conſecratus; Maria certè, quamprimùm fuit electa in Matrem Dei, nempe ab æterno, gaviſa eſt privilegio exemptionis. *Ratio 96.*

54. Privilegia verò perpetuâ firmitate conſtare debent. Ergo & dictum Mariæ privilegium. *Ratio 81.*

55. Quòd ſi non aſſumenda in Abbatiſſam illa, quæ non eſt Virgo; licèt etiam fuerit violenter corrupta; quomodò Maria aſſumenda in Reginam Sanctorum omnium; ſi fuerit aliquando peccatrix? *Ratio 82.*

56. Et quæ Regina Angelorum conſtituenda, quomodò deterior Angelis habenda, qui fuerunt creati in gratia? *Ratio 30.*

57. Poſſeſſor ergo malæ fidei ullo tempore non præſcribit, qualis eſſet Diabolus, reſpectu Mariæ. *Ratio 58.*

58. Cùm plures eandem rem in ſolidum poſſidere non poſſint. v. g. Deus, & diabolus. *Ratio 33.*

59. Et ſi ſponſalia cum infideli ipſo facto ſunt irrita, irrita etiam fuiſſet Mariæ cum Spiritu S. deſponſatio, ſi per peccatum infidelis inventa fuiſſet. *Ratio 77.*

60. Sponſa enim non debet carere amicitiâ Sponſi. Ergo nec Maria ad momentum. *Ratio 57.*

61. Imò Sponſa, relicto proprio, aſſumit nomen Sponſi. Ergo Maria relicto Protoparentis nomine, nomen Spiritûs Sancti puriſſimi. *Ratio 80.*

62. Sicque ratum Maria habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum. *Ratio 9.*

63. Præſertim, cùm ſemel malus ſemper præſumatur eſſe malus. *Ratio 29.*

64. Et ſemel deprehenſus, centiès reus habeatur. *Ratio 46.*

65. Nec certè Jura Civilia aliud docent; ut enim Chriſtus ipſe pronunciavit: *Reddenda ſunt Cæſari, quæ ſunt Cæſaris.* Ergo Mater ſupremi Cæſaris nunquàm alterius. *Ratio 56.*

66. Et ſanè, ſi Senatores, Præfecti, & alij in dignitatibus conſtituti, ducere non debent ancillas, vel alias obſcuras mulieres, illa quam Spiritus S. ſibi deſponſavit, obſcura minimè dicenda erit. *Ratio 91.*

67. Si enim adſtantes lateri Principis, Illuſtres dicuntur, juxta illud: *Quos lateris noſtri decor illuſtrat*, multò illuſtrior Regina Mater, quæ aſtitit à dextris, in veſtitu deaurato. *Ratio 55.*

68. Melior nimirùm debet eſſe conditio Reginæ, quàm ſervi. *Ratio 31.*

69. Imò Princeps eadem privilegia Auguſtæ concedit, quæ ipſe habet. *Ratio 37.*

70. Nec annectuntur tributa, & penſiones beneficijs Filio Principis conceſſis. Atqui B. Virgo eſt *Filia Principis.* Ergo. *Ratio 85.*

71. Nec Jura poſteriora unquam poſſunt derogare prioribus, niſi in caſibus à Jure expreſſis. Atqui. Ergo. *Ratio 95.*

72. Aliquo etiam conceſſo, omnia intelliguntur conceſſa, ſine quibus eo commodè uti non poſſumus. Ergo conceſſâ Maternitate, hoc ipſo Mariæ conceſſa eſt immunitas à labe. *Ratio 92.*

73. Præſertim, cùm beneficium, & indultum Principis ſit latiſſimè interpretandum. *Ratio 69.*

74. Inſuper Mater, ac Proles eodem privilegio gaudeant. *Ratio 4.*

75. Deinde iniquiſſimum ſit, Patrem vel Matrem egere, cujus Filius in facultatibus eſt. *Ratio 6.*

76. Benefacientibus enim nobis benefacere debemus; nam beneficij receptor, qualis eſt Filius, naturaliter obligatur. *Ratio 90.*

77. Sicut enim (teſte Ariſtotele) nemo eſt, qui habeat ſuper aliquos talem obligationem, qualem habent Parentes ſuper filios: ſic viciſſim obligantur Filij, illis ſubvenire, ſecundùm totum ſuum eſſe, & omnes vires, quod Mariæ Filius fecit. *Ratio 75.*

78. Imò Ariſtoteles putat, honorem parentibus, quaſi Dijs, exhibendum eſſe; quia filij æquivalens præſtare non poſſunt. *Ratio 84.*

79. Et nonnè Jura pronuntiant, veſtes reliquendas eſſe debitori? cùm ergo Maria ſit quaſi veſtis Chriſti, qui ex ipsâ carnem aſſumens, *habitu inventus ut homo*, noſtra in ſe debita ſuſcepit, etiam Maria illi relinquenda erit. *Ratio 50.*

80. Fœminas item in dote protegendas eſſe, Jura volunt. & quid aliud eſt præſervatio, quam dos Mariæ à Spiritu Sancto accepta? *Ratio 18.*

81. Prætereà, ut quis poſſit reconciliatorem agere inter duos litigantes, oportet utique, ut utriuſque partis ſit bonus amicus. Sed B. Virgo eſt conſtituta mediatrix inter Deum, & peccatorem. Ergo. *Ratio 16.*

82. Si deinde ad quem ſpectat onus, & emolumentum ſpectare debet: cui majus emolumentum ex Redemptione competit, quàm Mariæ, quæ ſub Cruce ſtans, maximum exinde onus tulit? *Ratio 86.*

83. Econtra nullus debet ex dolo ſuo, cui debetur pœna, lucrum reportare, qualis fuit diabolus, dolosè hominem circumveniens. *Ratio 49.*

84. Cæterùm Beatius eſt magìs dare, quàm accipere. Sed ſi Maria fuiſſet in maculâ concepta, plus dediſſet Filio, quàm ab eo accepiſſet. Ergo &c. *Ratio 89.*

85. Nec tamen prœmium primum alteri de jure competit, quàm cujus compoſitio, præ reliquis, caruit omnî errore. Ergo nec B. Virgo accepiſſet prœmium primum, ac præcipuum, Maternitatis, niſi caruiſſet omnî labe. *Ratio 47.*

86. Quod ſi ſpurius legitimatus ſimilis in Jure dicitur ægro, curato à vulnere, cujus ſemper aliqua manet cicatrix, certè etiam remaneret Mariæ cicatrix: fuiſſe aliquando peccatricem. *Ratio 66.*

87. Concludunt ergo Jura, actore non probante, reum abſolvi; affirmanti enim incumbere probationem, non neganti: adeoque manet immaculata Conceptio in ſuâ poſſeſſione. *Ratio 93.*

88. Suffragatur etiam huic doctrinæ Medicina, dum ait, ut priſtinum temperamentum corporis evocetur, & reſtituatur, applicandam eſſe medicinam, quæ illi omninò ſimilis ſit. Ergo B. Virgo, quæ unà cum Chriſto, tanquam medicina primi temperamenti, nempe gratiæ, erat conſtituta, debebat eſſe ſimilis primo homini, ante peccatum. *Ratio 76.*

89. Dicitur item in Proverbio, *Principijs obſta; ſerò Medicina paratur.* Ergo perfectiſſimus Medicus, Chriſtus, principijs maculoſis in Mariâ obſiſtere voluit. *Ratio 99.*

90. Favet etiam Philoſophia, dum dicit: Bonum ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu. Ergo ne Maria dicatur mala, omnî momento abſque labe dicenda eſt. *Ratio 60.*

91. Item cauſa non eſt deterior ſuo effectu. Ergo nec Maria Mater, quoad immunitatem, Chriſto Filio. *Ratio 2.*

92. Cùm locus communiter ſit æqualis locato. *Ratio 70.*

93. Et forma munda, ac pura non poſſit educi, niſi

niſi à ſubjecto mundo, & puro. *Ratio 22.*

94. Inſuper relativa ſunt ſimul naturâ, & cognitione. Sed ratio Filiationis, & Maternitatis, in Chriſto, & Mariâ, ſunt ſuo modo correlativa. Ergo &c. *Ratio 88.*

95. Sic etiam propinqua magìs participant de Principio. Quis autem propinquior Chriſto, quàm Maria? *Ratio 72.*

96. Præſertim, cùm Maria plus fuerit à Deo amata, quàm omnes reliquæ creaturæ, atque adeò, cùm amare ſit velle bonum, plus ei bonum voluerit, & actu contulerit Deus, quàm omnibus alijs. *Ratio 1.*

97. Conſtat prætereà, duo perfectè, & privativè contraria, non poſſe verificari in eodem ſubjecto. Ergo nec in Mariâ deſtinata Maternitas Chriſti, & peccatum. *Ratio 64.*

98. Qui enim vult finem, vult etiam media conducentia ad finem. Ergo qui voluit Mariam Matrem, voluit hoc ipſo immaculatam. *Ratio 67.*

99. Tandem propter quod unumquodque tale, illud magis tale. Sed ob Mariam plurimi à peccatorum periculis liberati. Ergo magìs illa. *Ratio 68.*

100. Optimum denique, pro Concluſione, eſt Argumentum, deductum ex evidentibus abſurdis, quorum non eſſet numerus, ſi Maria diceretur in originali peccato concepta. *Ratio 53.*

# INDEX IV.

## Hiſtoriarum, Revelationum, Miraculorum, Mariam ſine labe conceptam perſuadentium.

1. S. *Nicolaus* Myræ Epiſcopus, Elſino Abbati, in maris periculo conſtituto, auxilium hac conditione offert, ſi velit impoſterùm celebrare Feſtum Conceptionis, aliosque ad idem cohortari. *Hiſtoria 1.*

2. *S. Anſelmus* Archi-Epiſc. Cantuar. Ord. S. Ben. intellecto Elſini miraculo, primus introducit in ſuo Archi-Epiſcopatu celebrationem Feſti hujus, ſucceſſivè à totâ Eccleſiâ receptam. *Hiſtoria 2.*

3. *S. Bernardus* Abbas Clarevall. apparet poſt mortem cuidam Ordinis ſui Religioſo, totus luce circumfuſus, unico tamen nigro punctulo in pectore notatus, rationem manifeſtans, eò quòd nimirùm per modiciſſimum aliquando tempus putârit, B. Virginem in maculâ conceptam. *Hiſtoria 65.*

4. *S. Thomas Aquinas* apparet Fauſtino, Paduano Epiſcopo, eique ſuam explicat ſententiam, in favorem immaculatæ Conceptionis. *Hiſtoria 50.*

5. *S. Ildephonſus* Archi-Epiſc. Toletanus, Ord. S. Bened. unus è præcipuis immaculatæ Conceptionis cultoribus, teſtimonium à S. Leocadiâ è tumulo accipit, eique à B. Virgine caſula candida offertur. *Hiſtoria 46.*

6. *B. Guidiſalvus* ibidem Archi-Epiſcopus, communiter Mariæ Capellanus vocatus, in Feſto Conceptionis Miſſam dicturus, ab eâdem ſimilem caſulam accipit, ac plura de immaculatæ Conceptionis veritate, eâ revelante, intelligit. *Hiſtoria 74.*

7. *S. Joannes Damaſcenus*, Ord. S. Bened. amputatam ſibi dexteram miraculosè recipit à Mariâ, cujus immaculatæ Conceptionis cultor extitit eximius. *Hiſtoria 38.*

8. *S. Dominicus* ſuam de Conceptione doctrinam, contra Albigenſes, flammis committit, ſed illæſam retrahit, Propoſitionibus Albigenſium conſumptis. *Hiſtoria 23.*

9. *S. Bernardinus Senenſis* apparet duobus Patribus ſui Ordinis, Senis in Bibliothecâ parvulâ, opera ejusdem Sancti de immaculatâ Conceptione luſtrantibus, eorumque ſtudium approbat. *Hiſtoria 97.*

10. *B. Joannes* à *Cruce*, Ord. Carmelit. exhibet poſt mortem in membris ſuis imaginem pulcherrimam immaculatæ Conceptionis. *Hiſtoria 89.*

11. *B. Paſchalis*, Ord. S. Franciſc. Frater Laicus, ſingulariter immaculatæ Conceptioni devotus, in annuo ejusdem Feſto communiter in extaſin raptus, Mariæ colloquitur. *Hiſtoria 52.*

12. *Joannes Anachoreta*, candelam coram immaculatæ Conceptionis imagine accendere ſolitus, eam poſt plures etiam peregrinationis ſuæ Menſes inextinctam reperit. *Hiſtoria 64.*

13. *B. Petrus Villarienſis*, Ord. Ciſterc. revelatâ ſibi à B. V. Conceptionis Feſtivitate, in tali aliquando Feſto ab ipſómet Chriſto cum Mariâ deſponſatur. *Hiſtoria 82.*

14. *B. Nicolaus Pratenſis* ſummo ſtudio laborat, ut Ordo Cœleſtinorum celebret Octavam Conceptionis, B. Virgine beneplacitum ſuum per miraculum commonſtrante. *Hiſtoria 14.*

15. *Duns Scotus*, Ord. S. Franciſc. ducenta argumenta contra immaculatam Conceptionem Pariſijs ſolus reſolvit, marmoreâ B. V. ſtatuâ ante Di-

Diſputationem miraculosè caput, inclinante. *Hiſtoria 58.*
16. *S. Birgittæ* apparet B. V. ſeque immaculatè conceptam profitetur. *Hiſtoria 55.*
17. *S. Hildegardi* ex Ordine S Bened. Abbatiſſæ revelatur Cœlitùs Mariæ immaculata Conceptio. *Hiſtoria 94.*
18. *B. Beatrix à Sylva* inſtituit Ordinem de Conceptione. Perdit deinde Bullam Pontificiam in Mari, quam tamen miraculosè reperit ſuo in ſcrinio. *Hiſtoria 68.*
19. *B. Oringa Chriſtiana* videt in extaſi Chriſtum luce veſtitum, ſimiliter B. Virginem, candidiſſimâ veſte ornatam, revelatque ei Chriſtus, agi hodie Feſtum immaculatæ Conceptionis. *Hiſtoria 84.*
20. *B. Joanna de Cruce*, Feſtum hoc ſolenniter agere ſolita, fruitur ſæpiùs gratioſâ Beatæ Virginis apparitione, impetratque eâ mediante, Roſaria complura ab Angelo in Cœlum ſublata, ab ipſâ SS. Trinitate benedici, ſibique denuò ad cellam deferri. *Hiſtor. 98.*
21. *B. Urſula Benincaſa* honori immaculatæ Conceptionis Eccleſiam extruit: Feſtum annuum ſolenniſſimè celebrat: Muſicam mirabiliter impetrat. *Hiſtoria 96.*
22. *Anna à S. Bartholomæo*, Ord. Carmel. in frequentibus tentationibus ab immaculatâ remedium quærit, quam ſæpiùs apparentem habet, ac ad gaudia æterna invitantem. *Hiſtor 49.*
23. *Sixtus IV.* Pont. Max. tam ante, quàm in Pontificatu, in Laudibus, ac Veſperis, commemorationem immaculatæ Conceptionis, per modum ſuffragij, adjungit. *Hiſtoria 17.*
24. *Ejus Diplomate* Madritum adventante, Lampas coram immaculatæ Conceptionis Imagine noctu accendi ſolita, claro die, ſponte ſuâ ardere incipit, aquâ olei locò fomentum ſuppeditante. *Hiſtoria 42.*
25. *Philippus III.* Hiſpaniæ Rex, & Margaretha Regina uxor, mirè ſe devotos exhibent, erga illibatam Conceptionem. *Hiſtoria 4.*
26. *Ferdinandus III.* Hiſpaniarum Rex, & Iſabella Regia uxor, voto Mariæ immaculatæ facto, Urbem Granatenſem, antehàc inexpugnabilem, Mauris expulſis, in ſuam poteſtatem redigunt. *Hiſtoria 61.*
27. *Joannes II.* Rex Arragoniæ, conſentiente Clero, prohibet, ne ſuo in Regno doceatur, Mariam in maculâ fuiſſe conceptam. unde etiam pijſſimè è vivis excedit. *Hiſtoria 37.*
28. *Regius in Hungariâ Princeps*, cùm contrà votum Virgini immaculatæ factum, terrenæ ſe ſponſæ deſponsâſſet, à B. V. increpatus, relictâ mox ſponsâ, Religionem ingreſſus Aglarienſis paullò poſt in Friuliâ Epiſcopus proclamatur. *Hiſtoria 40.*
29. *Franciſcus Ximenius*, Archi-Epiſcopus Toletanus, Toleti ac Compluti ſplendidum extruit, ac fundat Hoſpitale, ſub Titulo Conceptionis immaculatæ, Confraternitate pro juvandis pauperibus adjunctâ. *Hiſtoria 60.*
30. *Hiſpalenſes* erga immaculatam Conceptionem devotiſſimi, telam pretioſam, ex ærario publico comparatam, eidem offerunt. *Hiſtor. 30.*
31. *Hiſpani* à Batavis obſeſſi, repertâ caſu Conceptionis Imagine, eam pro ſigno præferunt, hoſteſque in fugam agunt, apparente ipſis eâdem B. Virgine. *Hiſtoria 70.*
32. *Alphonſo Rodericio* apparet B. V. eique manifeſtat, unam ex præcipuis cauſis inſtitutæ Societatis JEſu fuiſſe, ut defenderet immaculatam Conceptionem. *Hiſtoria 81.*
33. *P. Franciſcus Suarez* fusè ſcribens pro immaculatâ Conceptione, laudatur ab ipsâmet B. V. ejusque ſtudium ac doctrina approbatur. *Hiſtoria 20.*
34. *Moniali* devotæ apparet Beatiſſima Angelorum Regina, eique revelat, Conceptioni ſuæ tria Cherubinorum millia interfuiſſe. *Hiſtoria 51.*
35. *Alteri Religioſæ Virgini* revelat Chriſtus, celebrari ab Angelis, annis ſingulis, in Cœlo hanc Matris ſuæ Feſtivitatem, eosque, qui in terris idem facturi eſſent, veniam delictorum, & vitam æternam obtenturos. *Hiſtoria 57.*
36. *Alia Virgo* à Mariâ inſtruitur, quomodò per *Ave Maria* ejus immaculatam Conceptionem honorare poſſit. *Hiſtoria 15.*
37. *Marianus Cliens* edocetur, quomodò B. Annam utiliter poſſit invocare, ob partum nimirùm puriſſimæ ſuæ Filiæ. *Hiſtoria 35.*
38. *Joannes Ximenius* S. J. Laicus ex immaculatæ Conceptionis Imagine intelligit, quantæ ſit utilitatis, orare pro animabus purgatorij. *Hiſtoria 36.*
39. *Puerulus 13. Menſium 4.* Verſus in honorem Conceptionis immaculatæ diſtinctiſſimè pronuntiat. *Hiſtoria 95.*
40. *Dæmon* conjuratus, quid de Mariæ Conceptione ſentiendum? ex obſeſſâ nil aliud reſpondet, quàm: *ſine maculâ, ſine maculâ, ſine maculâ. Hiſtoria 31.*
41. *Alius obſeſſus* penitùs illitteratus, eloquentiſſimo ſermone latino, in immaculatæ Conceptionis laudem perorat. *Hiſtoria 92.*
42. *Antonius de Guero*, Congregationis S. Philippi Nerij, reperit Lilium è ſpinis progerminans, figuramque immaculatæ Virginis expreſsè in radice repræſentans. *Hiſtoria 66.*
43. *In Trunco* diſſecto reperiuntur verba hæc Hiſpanica: *Maria concepida ſin peccato. Hiſtoria 83.*
44. *Picta Conceptæ Virginis Imago*, Sozopoli in Piſidiâ, miraculoſam unguenti, ſeu olei, ſcaturiginem è manu effundit. *Hiſtoria 80.*
45. *Alia Conceptionis Imago* Lugduni ab hæretico haſtâ petita, copioſum ex accepto vulnere ſanguinem profundit. *Hiſtoria 86.*
46. *Papyracea Conceptionis Imago* in ardentem fornacem injecta, tamdiù manet inconſumpta, donec ab Epiſcopo extrahatur, paucis tantùm locis rubeſcentibus. *Hiſtoria 85.*
47. *Duaci* exorto magno incendio, & P.P. Franciſca-

ciſcanorum tam Monaſterio, quàm Templo conflagrante, ſola Conceptionis Imago remanet illæſa. *Hiſtoria 45.*

48. *Similiter*, cùm Abroxanum Eremitorium à B. Petro Regalato, Ord. Min. ædificatum, unà cum Eccleſiâ igne conſumeretur, flamma omnia reliqua depaſcens, ſolam præterit SS. Eucharistiam, & Imaginem Conceptionis. *Hiſtoria 90.*

49. *Congeſta ligna*, aliaque materialia pro ædificandâ proximè Conceptionis Eccleſiâ, ab imminentibus flammis miraculosè præſervantur. *Hiſtoria 79.*

50. *Frater Laicus*, Deiparæ immaculatæ defenſor, in medio ignis illæſus perſiſtit. *Hiſtoria 11.*

51. *Duæ diverſorum Ordinum Tertiariæ*, dum veritatem immaculatæ Conceptionis per ignem probaturæ, flammas ſubeunt, una abſumitur, illæsâ alterâ permanente. *Hiſtoria 72.*

52. *Pictor*, Mariæ conceptæ imaginem ſpecioſiſſimè, dæmonis econtrà turpiſſimè depingens, dejectus à diabolo tabulis, ab eâdem B. V. Imagine miraculosè retinetur, ne cadat. *Hiſtoria 34.*

53. *Dæmon* ſervum agens Nobilis cujusdam, nocere Hero ſuo non poteſt, ob quotidianam precatiunculam, in honorem immaculatæ Conceptionis. *Hiſtoria 54.*

54. *Joannes Berckmann*, ob ſingularem immaculatæ Conceptionis cultum, per omnem vitam ab impuris cogitationibus, ſtimulisq; carnalibus liber permanet. *Hiſtoria 27.*

55. *Luxurioſus* à Confeſſario ſuo emendatur, impoſitâ recitatione Officij immaculatæ Conceptionis. *Hiſtoria 29.*

56. *Puella honeſta* in proximo amittendæ Virginitatis periculo conſtituta, impurum amatorem, monſtratâ immaculatæ Conceptionis effigie, à propoſito abſterret. *Hiſtoria 7.*

57. *Naves* immaculatæ Conceptionis Imagine ſignatæ, reliquis naufragio ſepultis feliciter appellunt. *Hiſtoria 24.*

58. *Mulier Cantuarienſis* à præſentiſſimo tam Maris, quàm partûs periculo liberatur, ad invocationem Virginis immaculatæ. *Hiſtoria 32.*

59. *Uxor* à marito ſeveriſſimè habita, tantum ab illibatâ Deiparâ efficit, ut miraculosè tandem corrigatur, & paullò poſt beato fine decedat. *Hiſtoria 91.*

60. *Bernardinus de Buſtis* litteras à Rege Hiſpaniæ ad Papam directas caſu amittit, benignam tamen ab eodem audientiam obtinet, imò ipſas litteras, voto Mariæ immaculatæ facto, in tempore recipit, ac exhibet. *Hiſtoria 10.*

61. *Mediolanenſes*, voto facto, celebrandi annuum Feſtum Conceptionis (uti & alij complurium Civitatum incolæ) à peſtiferâ lue quantocyùs abſolvuntur. *Hiſtoria 63.*

62. *Concilio Baſileenſi* immaculatam Conceptionem ſtatuente, Peſtis ibidem deſinit. *Hiſtoria 100.*

63. *Civis Medoëtiæ*, morboſo ulcere infectus, invocatâ per immaculatam Conceptionem Virgine, ſanitati reſtituitur. *Hiſtoria 22.*

64. *Franc. Maſtrillus*, Soc. J. cùm in erigendo immaculatæ Conceptionis Pegmate occupatus, malleo caput ejus graviter vulnerante, in extremum vitæ diſcrimen deveniret, mediante tamen eâdem miſericordiæ Matre, & S. Xaverio, cereum illi, ac baculum offerente, ſanitati redditur. *Hiſtoria 76.*

65. *Vir* in itinere, unà cum equo, in præcipitium dejectus, ad implorationem immaculatè conceptæ Deiparæ, illæſus aſcendit. *Hiſtoria 6.*

66. *Puerulus Pergamenſis* 4. annorum, è ſolario delapſus, matre Mariam per myſterium immaculatæ Conceptionis ſuæ invocante, vivus, ac incolumis reperitur. *Hiſtoria 59.*

67. *Vindictam de inimico ſumpturus*, eumque jam occiſurus, ad Mariam caſu ſe reflectit, dumque immaculatam ejus Conceptionem mente revolvit, gladio interim miraculosè in vaginâ retorto, ab executione retinetur. *Hiſtoria 93.*

68. *Mater* obſervans filium ſuum furibundum, ſuper diſtrictum gladium procidentem, orando B. Virginem, per myſterium immaculatæ ſuæ Conceptionis, tantum efficit, ut gladius (licèt omnia filij veſtimenta, ad nudam uſque carnem penetrâſſet) molliſſimæ inſtar ceræ effectus, nullam corpori inferat læſionem. *Hiſtoria 41.*

69. *Sacerdos* Nortmannus malè mortuus, jamq; damnandus, ob exiguam quotidianam devotionem, vitæ Mariâ intercedente redditur, eâ conditione, ut annuum Conceptionis Feſtum diligenter peragat, alioſque ad ſequelam commoneat. *Hiſtoria 3.*

70. *Præbendarius in Galliâ*, cùm Fluvium trajecturus, ob grave commiſſum ſcelus, à dæmonibus ſubmergeretur, jamque ad tartara abripiendus eſſet, ope Virginis, cujus tum invitatorium: *Ave Maria, &c.* orabat, eâ è dæmonum manibus conditione eripitur, ut Feſta Mariana, præſertim Conceptionis, Sanctiùs impoſterùm peragat. *Hiſtoria 19.*

71. *Canonicus in Cataloniâ*, ab inimico interfectus, vitæ per 4. horas redditur, ut nimirùm revocaret, quæ hactenùs contra immaculatam Conceptionem docuerat. *Hiſtoria 94.*

72. *Rappaciolus* S. R. E. Cardinalis, oblatâ medicinæ locò ſchædulâ, hæc verba continente: *In Conceptione tuâ Virgo imaculata fuiſti, &c.* à ſtranguriâ miraculosè liberatur. *Hiſtoria 47.*

73. *Monialis Cappucina* calculo laborans idem beneficium obtinet; vix enim chartam deglutit, cum inſcriptione: *Immaculata Conceptio S. Genitricis Dei Mariæ*, confeſtim ſanitati redditur, binis calculis eidem ſchædulæ involutis, è corpore prodeuntibus. *Hiſtoria 71.*

74. *Binchcueta* Ord. Ciſterc. Abbatiſſa, periculosâ Febri, capitiſque dolore dirè cruciata, virtute imaginis cujusdam immaculatæ Conceptionis, caſu in infirmariâ repoſitæ, ex integro reſtituitur. *Hiſtoria 69.*

75. *P. Jacobus Laynez*, S. J. in Concilio Tridenti-

no Febri laborans, prolixam tamen Panegyrin in honorem im̃aculatæ Conceptionis perorans, à Febri liberatur. *Hiſtoria 75.*

76. *Bernardus Veneges*, Mariæ conceptæ devotiſſimus, cùm diu ſurdus extitiſſet, in ipsâ Conceptionis Vigiliâ auditum recipit. *Hiſtoria 78.*

77. *Nobilis Mediolanenſis* Mariæ immaculatæ addictiſſimus, cùm infirmus à Sacerdote quodam viſitaretur negante pertinaciter illibatam Conceptionem, ſignum à Deo impetrat, ac confeſtim ſanatur, morbo adverſarium tamdiù corripiente, donec ſententiam mutet. *Hiſtoria 67.*

78. *Thomas de Bohemiâ*, Ord. S. Franc. deſiccatâ periculosè tibiâ, omnique vigore deſtitutâ, mirè curatur, quamprimùm (cum maximâ quidem difficultate) Miſſam dixit, in honorem immaculatæ Virginis. *Hiſtoria 88.*

79. *Alexander Alenſis*, calamum contra immaculatam Conceptionem ſtricturus, mox gravi morbo corripitur: voto tamen mutandæ ſententiæ facto, feliciter reconvaleſcit. *Hiſtoria 77.*

80. *Joannes à Viterbio* celebris in Italiâ Concionator, pari voto mediante, à ſuâ infirmitate liberatur. *Hiſtoria 87.*

81. *Infirmus Mediolanenſis*, voto facto, affigendi ad portam domûs ſuæ certam Tabulam cum Authoritatibus, & picturâ de immaculatâ Conceptione, ſanitatem recipit. *Hiſtoria 21.*

82. *Matrona* in Civitate Laude, dum vovet, immaculatæ Conceptionis Myſterium ſe magnâ devotione ſæpiùs contemplaturam, à gravi infirmitate eripitur. *Hiſtoria 16.*

83. *Catharina Kamerhoberin* Ord. S. Franc. Mendicantium ſoror Monachij, ex repræſentatione Imaginis immaculatæ, licèt nunquam antehac ſibi viſæ, vel notæ, à maximo amborum genuum dolore liberatur. *Hiſtoria 8.*

84. *Petrus de la Vega* Epiſcopus Carthaginenſis, dum Proceſſionem, in immaculatæ Conceptionis honorem inſtitutam, perturbare, ac impedire nititur, nocte ſequenti ſubitaneâ morte extinguitur. *Hiſtoria 33.*

85. *Petrus Antonius de* Bernardis, Notarius Mediolanenſis, Conceptionis immaculatæ per complures annos oſor acerrimus, ſomnio terretur, ac demùm miraculosè emendatur. *Hiſtoria 53.*

86. *Religioſus* Mantuanus, eradens è Calendario Feſtum immaculatæ Conceptionis, primùm elinguis redditur, deinde poſt modicum è vivis excedit. *Hiſtoria 44.*

87. *Mortuum ſe ſimulans*, ad demonſtrandam, ficto miraculo, Mariam in labe conceptam, verè mortuus reperitur. *Hiſtoria 28.*

88. *Rector ſtudiorum* Toloſæ, Romæ publicas rationes ſuæ contra immaculatam Conceptionem ſententiæ daturus, conſtitutâ Diſputationis horâ, in cubiculo mortuus invenitur. *Hiſtoria 9.*

89. *Profeſſor* in Angliâ, impugnaturus publicè inſtitutionem Feſti Conceptionis, nocte præcedente, graviſſimis doloribus corripitur; quapropter mutatâ confeſtim ſententiâ, pulcherrimam in laudes immaculatæ Panegyrin, mane ſequenti, perorat. *Hiſtoria 43.*

90. *Lectori Mantuano* immaculatam Conceptionẽ publicè exploſuro, verba adeò in ore invertũtur, ut aliam proponere Theſin non poſſit, quàm quòd Maria fuerit concepta ſine peccato. *Hiſt. 26.*

91. *Concionator* Hiſpanus, cùm communem inchoandi formulam: *Laudetur Immaculata Conceptio B. V.* ſtudiosè omiſiſſet, eò quòd huic Myſterio contrarius eſſet, in numo, quẽ paullò ante dono acceperat, eadem verba, miraculosè interim impreſſa, poſt Concionem obſervat. *Hiſtoria 73.*

92. *Alius* Pariſijs contra im̃aculatam peroraturus, in viſione nocturnâ à Gabriele jubente Deiparâ flagellatur, ſicque in ore ſermo invertitur, ut pulcherrimum proximo mane ſermonem in ejus honorem perorârit. *Hiſtoria 56.*

93. *Alius* Romæ æquè indignè de Mariæ Conceptione perorans, ſcandalum ingens præbet Suldani filio, Chriſtianis proximè Sacris imbuendo, adeò, ut ægerrimè ferens, talia de Matre Chriſti à Sacerdotibus Chriſtianis proponi, quæ nemo Turcarum de matre Mahometis auderet dicere, mutato mox propoſito, dolente graviter ſummo Pontifice, qualis advenerat, in patriam ſit reverſus. *Hiſtoria. 12.*

94. *Alius* Firmis in Piceno, è pulpito calumniator, prorumpente è naribus copioſo ſanguine, ceſſare, & meliùs de Mariâ conceptâ ſentire cogitur. *Hiſtoria 62.*

95. *Alius* eidem propoſitioni confirmandæ ſignum ab ipſâmet Deiparâ petens, confractâ inferiore Cathedræ parte, deorſùm ruendo, auditoribus fit ludibrio. *Hiſtoria 13.*

96. *Alius* in Caſtro Baculi, idem argumentum proponens, canis inſtar latrare incipit, corruente interim, magno cum fragore, lapideâ Deiparentis ſtatuâ, ſuper fores Eccleſiæ poſitâ. *Hiſtoria 48.*

97. *Alius*, peractâ Toloſæ, in idem Virginis præjudicium, Concione ſacrificaturus, obſervat, ſtatuam Virginis marmoream, faciem à ſe avertere, moxque cæcitate in Altari percuſſus, viſum non recepit, donec votum fecerit revocandi. *Hiſt. 18.*

98. *Alius* linguam acuens contra immaculatam Conceptionem, cadit retrorſùm, linguæque uſum ad dies vitæ amittit.

99. *Alius* (quem Paulum dicunt, Doctorem Cracovienſem) Mariam originalis peccati participem conſtanter affirmans, finitâ Concione corruit, & expirat. *Hiſtoria 39.*

100. *Alius* denique, poſt peractam eodem modo Concionem, in medio Choro, ſpectantibus, ac contremiſcentibus Confratribus, ab enormi lupo, velociter adventante, ac per medium populi penetrante, ſuffocatur. *Hiſtoria 5.*

# INDEX V.

## SYMBOLORUM, SIVE EMBLEMATUM.

### Immaculatam Deiparæ Conceptionem adumbrantium.


cum Lemmate.

1. ADamas, fruſtrà percuſſus: *Non nocet ictus.* Symb. 81.

2. *Agna*, reliquis in præceps euntib⁹: *Non ſequor una.* Symb. 97.

3. *Agnus*, ramo trahendus: *Dux mihi Virga.* Symb. 25.

4. *Alauda*, in altum evolans, *Laudat Alauda.* Symb. 57.

5. *Alea*, ſemper erecta: *Alea recta.* Symb. 89.

6. *Altare privilegiatum*, ubi Miſſa *Una beabit.* Symb. 88.

7. *Alveare*, continens in ſe *Nil niſi dulce.* Symb. 22.

8. *Anchora*, ſalus periclitantium: *Anchora ſervat.* Symb. 76.

9. *Aqua*, à Creatore ſuo *non maledicta.* Symb. 93.

10. *Aquilæ*, Jovis Avi, fulmina *nulla nocebunt.* Symb. 51.

11. *Arundo*, ventis frementibus, *neſcia frangi.* Symb. 16.

12. *Avis Paradiſiaca*, in aëre, *pulveris experſ.* Symb. 3.

13. *Aurora*, tenebras diſpellens, *lumina portat.* Symb. 9.

14. *Aurum*, cui, præ alijs metallis, *nulla rubigo.* Symb. 68.

15. *Baſiliſcus*, per ſpeculum necatus: *forma necavit.* Symb. 74.

16. *B.* proxima littera poſt A. *Proxima primæ.* Symb. 2.

17. *Bravium*, ex pluribus *præripit unus.* Symb. 75.

18. *Candela* ultima Matutini tenebroſi, *una refulget.* Symb. 92.

19. *Carbunculus*, radijs ſuis, *nocte refulget.* Symb. 7.

20. *Caſtanea* ſpinoſa; ſed *non niſi cortex.* Symb. 40.

21. *Cerva* Cæſaris intacta: *Cæſaris iſta.* Symb. 94.

22. *Cervus*, ad fontem properans, *appetit undas.* Symb. 50.

23. *Ciconia*, pro grato cibo *devorat anguem.* Symb. 27.

24. *Cithara*, ruptâ chordâ, inamæna: *deſtruit una.* Symb. 72.

25. *Cœlum* nocturnum, ſerenum: *Hinc procul umbræ.* Symb. 38.

cum Lemmate.

26. *Columba*, ſponſum ſequens: *Sponſa fidelis.* Symb. 77.

27. *Coralia*, ex aquis protracta, *firma rubeſcunt.* Symb. 90.

28. *Crux*, Mariæ præſidium: *In Cruce victrix.* Symb. 54.

29. *Cryſtallus*, umbra carens: *Umbra recedit.* Symb. 61.

30. *Cygnus*, undis inſidens, *non madefactus.* Symb. 34.

31. *Elephas*, telis petitus, *diſcutit haſtas.* Symb. 15.

32. *Elephas*, viſo alieno cruore, *ardet in iras.* Symb. 96.

33. *Faculæ* accenſæ flamma, ſemper *tendit in altum.* Symb. 62.

34. *Favus mellis*, Apum opus, *pungere neſcit.* Symb. 83.

35. *Gallus*, Diei prodromus, *læta reportat.* Symb. 14.

36. *Heliotropium*, ad Solē converſum, *ſemper ad iſtū.* Symb. 63.

37. *Hercules* nunquam duos, Maria *tres necat unā.* Symb. 28.

38. *Herculis Templum* muſca *nulla ſubintrat.* Symb. 42.

39. *Horologium Solare* inutile, ſi *deficit umbra.* Symb. 84.

40. *Hortus* elegans, porcis occluſus: *non penetrabunt.* Symb. 82.

41. *Ignis*, inter ſpinas: *hinc magis ardet.* Symb. 11.

42. *Labyrinthus*, quem ingredi *abnuit una.* Symb. 48.

43. *Lampas* inextincta, quam *vitra tuentur.* Symb. 64.

44. *Laurus*, ab Apolline protecta; *fulmina ſpernit.* Symb. 10.

45. *Leo*, animalium Rex, *fræna recuſat.* Symb. 36.

46. *Leo*, Virgineo cantu territus: *Horreo cantum.* Symb. 26.

47. *Libri* editio II. correctior: *corrigit alter.* Symb. 8.

48. *Lilia*, inter alios flores, magis *candida præſtant.* Symb. 66.

49. *Locuſta*, à quâ, ad mortem uſq; *pungitur anguis.* Symb. 5.

50. *Lucidia* Avis, noctu *lumina præfert.* Symb. 49.


51. *Luna*

cum Lemmate.

51. *Luna plena*, eſt *Æmula Solis.*
Symb. 79.
52. *Luna*, latrantes canes audiens, *Non timet iſtos.*
Symb. 20.
53. *Malum*, ſæpè fallax: *forma doloſa.*
Symb. 47.
54. *Mare*, exoriente Sole, *Lumine plenum.*
Symb. 23.
55. *Margarita* in conchyli *candida ſemper.*
Symb. 19.
56. *Mollia* Tormentis objecta: *mollia frangunt.*
Symb. 67.
57. *Navis piratica* proſcripta: *Pellitur illa.*
Symb. 31.
58. *Nimbus*, infra montes: *Non timet imbres.*
Symb. 13.
59. *Nix*, cujus eſt *candida origo.*
Symb. 39.
60. *Nubecula*, maris amari *filia dulcis.*
Symb. 73.
61. *Numerus* 1. mille nullis *prævalet unus.*
Symb. 52.
62. *Nummus*, ab expreſsâ imagine habet *inde valorē.*
Symb. 17.
63. *Oculus* delicatus, quem *parva moleſtant.*
Symb. 99.
64. *Oliva*, cujus ſerpentem *enecat umbra.*
Symb. 80.
65. *Palma* triumphalis *convenit uni.*
Symb. 24.
66. *Pavo*, cujus inſpecto pede, *gloria ceſſat.*
Symb. 71.
67. *Phœnix*, avis ex cineribus rediviva, *Unica viva.*
Symb. 18.
68. *Polypus*, ſcopulo adhærens: *hæreo tutus.*
Symb. 29.
69. *Primula Veris*, flos præcedens: *Primula Veris.*
Symb. 69.
70. *Principium ſolenne* ſtudiorum: *A Jove cæptum.*
Symb. 1.
71. *Præmium*, digniſſimo oblatum: *Præmia dignis.*
Symb. 43.
72. *Pſittacus*, ſerpente aſtutior: *fallitur anguis.*
Symb. 33.
73. *Puncta* extrema, line[illegible]ctæ, *devia nunquam.*
Symb. 60.
74. *Pyramis*, ventis fortior, *undique firma.*
Symb. 32.
75. *Reliquiæ Sanctorum* colendæ: *Oſſa colenda.*
Symb. 98.

cum Lemmate.

76. *Rex* reijcit chartam maculatam. *Dedecet iſtà.*
Symb. 56.
77. *Roſa*, inter ſpinas exorta, *neſcia ſpinæ.*
Symb. 21.
78. Sal, à putredine ſervans: *Putrida nunquam.*
Symb. 59.
79. *Salamandræ* animali *non nocet ignis.*
Symb. 30.
80. *Scintilla* parva ſæpè magnos *excitat ignes.*
Symb. 37.
81. *Scopulus* marinus, procellis *fortior ipſe.*
Symb. 87.
82. *Sirenum* cantus periculoſus. *Sperno periclum.*
Symb. 6.
83. *Siſyphus*, ſaxum elevans. *fervor inanis.*
Symb. 58.
84. *Solis* radius, cloacam penetrans, *tranſeo purus.*
Symb. 95.
85. *Sol*, non læſus à ſagittâ, *deſpicit hoſtes.*
Symb. 53.
86. *Sol*, repræſentatus in ſpeculo, *clarior inde.*
Symb. 55.
87. *Stella* piſcis, inſtar ſtellæ, *ardet in undis.*
Symb. 35.
88. *Structura*, feliciter abſoluta, *ſorte ſecundâ.*
Symb. 100.
89. *Teſtudo* bina, quarum uni *conſonat illa.*
Symb. 4.
90. *Tuba-Roſa*, miro *fragrat odore.*
Symb. 41.
91. *Turtur*, ſine felle: *fel mihi nullum.*
Symb. 45.
92. Vas, ſine rimâ, liquorem ſervans: *Neſcia rimæ.*
Symb. 91.
93. *Vexilli* bellici, ſæpè trajecti, *gloria major.*
Symb. 65.
94. *Vexilli* Romani litteræ *S.P.Q.R.* *Pura triumphat.*
Symb. 70.
95. *Vinea*, circumdata ſpinis: *Spina tuetur.*
Symb. 86.
96. *Vitis*, fulmine percuſſa, *nil valet iſta.*
Symb. 78.
97. *Vitrum*, argento vivo infractum, *debile vincit.*
Symb. 12.
98. *Umbella*, contra pluvias, *Protegit iſta.*
Symb. 85.
99. *Uncornis*, cui alienus *diſplicet hoſpes.*
Symb. 46.
100. *Urbs*, ab Arce protecta: *Protegit Urbem.*
Symb. 44.

IN-

# INDEX VI.

## Antiquitatum, tum ex Hiſtorijs, tum è Fabulis petitarum, Immaculatæ MARIÆ Conceptioni applicatarum.

1. A*Chilles*, à Thetide matre ſtygijs aquis immerſus, factus exinde invulnerabilis. *Antiquitas 4.*

2. *Æneas* Anchiſen Patrem à Trojano incendio liberat. *Antiquitas 11.*

3. *Alexander Magnus* Epheſum devaſtans, Templo Dianæ parcit, quia (ut ajebat) *Puritas deſtructioni non eſt obnoxia. Antiquitas 42.*

4. *Idem* Homeri Librum in aureâ arcâ aſſervat, dicens: *Folia hæc non aliam, quàm pretioſiſſimam thecam depoſcere. Antiquitas 59.*

5. *Idem* Urbis Leontopolitanæ fundamentis calcis locò, farinam candidiſſimam ſubjicit. *Antiquitas 38.*

6. *Idem* prohibet interfici Pavones, dicens: *In ijs reperiri compendium pulchri. Antiquitas 46.*

7. *Idem* in elargiendis præmijs liberaliſſimus, dicebat: *alijs quidem ſatis eſſe modica accipere, ſibi autem ſatis non eſſe modica dare. Antiquitas 90.*

8. *Idem* cùm ad Apellis officinam diverteret, equus Regius adhinnire cœpit equo picto, cui inſidens Alexander repræſentabatur. *Antiquitas 55.*

9. *Alphonſus* Luſitaniæ Rex, ſcuto à Chriſto accepto, ac 5. SS. Vulneribus inſignito, hoſtes infideles in fugam agit. *Antiquitas 70.*

10. *Ancæus*, audiens Aprum in dilectam Vineam ſuam irrepſiſſe, opem laturus velociter accurrit, ubi tamen à ferâ apprehenſus dilaniatur. *Antiquitas 78.*

11. *Andromede* à Nymphis ſcopulo alligata, Balenæque devoranda expoſita, auxilio Perſei, monſtrum interficientis, liberatur, eidem copulatur, ac tandem ſtellis aſſociatur. *Antiquitas 43.*

12. *Anniceris*, expertiſſimus auriga, equos & currum 20. vicibus velociſſimè in gyrum agit, nè digitum quidem latum unquam ab orbitis diſcedens. *Antiquitas 86.*

13. *Anſeres*, canibus dormientibus vigilantes, & Capitolij Romani arcem ſtrepitu ſuo ab hoſtibus defendentes, cauſam præbent, Feſtivitatis annuæ Anſerum. *Antiquitas 77.*

14. *Apelles*, Parrhaſius, alijque perfecti pictores, non audent dicere: *Fecit*, ſed imperfecto contenti, *Faciebat* ſubſcribunt. *Antiquitas 20.*

15. *Apollo* Juvenis, Pythonem, ſerpentem nocentiſſimum interficit. Ad memoriam hujus Victoriæ fiunt annui ludi Apollinares. *Ant. 31.*

16. *Arabiæ Naves* quædam, ſine omni ferramento, ob Magnetis ibi copioſè creſcentis pericula. *Antiquitas 16.*

17. *Archimedes* punctum unicum extra mundum deſiderat, quo dato, totum facilè Orbem vellet commovere. *Antiquitas 50.*

18. *Ariobarzenes*, Cappadociæ Rex, Regno ſe ultrò abdicans, volenti nolenti Filio, ſibi dilectiſſimo, Diadema imponit *Antiquitas 62.*

19. *Artemiſia* cataphracta Regina, in Græcorum exercitum ſola irruens, ingentem illis ſtragem infert. *Antiquitas 24.*

20. *Aſdrubal* Carthaginenſium Dux, à Scipione Æmiliano devictus, ejuſdemque uxor generoſa, malens in ignem ſe præcipitare, quàm captivam ſe tradere. *Antiquitas 30.*

21. *Atilius Regulus*, immanem Draconem, per frequentes ſilicum percuſſiones interimit. *Antiquitas 58.*

22. *Auſtreberta* Abbatiſſa, ad præveniendas noctu Matutinas miraculosè admonita, mortis periculum, ex Dormitorij conquaſſatione, ſibi ſuiſque imminens evadit. *Antiquitas 9.*

23. *Bellerophon*, magno Numinum applauſu, ingentem Chimæram telo transfigit. *Antiq. 48.*

24. *Bellona* armata è Jovis cerebro proſiliens, caput Meduſæ ſerpentibus coronatum clypeo inſculptum gerit. *Antiquitas 54.*

25. *Cæſar Auguſtus*, Alexandriam devaſtaturus, conſpectâ ad portam Urbis inſcriptione: *Alexander me fecit*, eidem parcit. *Antiquitas 37.*

26. *Idem*, cùm 3. Soles in unum coëuntes Romæ cernerentur, Aſtrologorum judicio, intelligebatur, 3. Orbis partes in unam aliquandò Monarchiam redacturus. *Antiquitas 100.*

27. *Caligula* Imperator, pulchra ac rara omnia Romam inferri imperat. *Antiquitas 15.*

28. *Calliſto* in urſam mutata, cùm Arcas eam ſagittâ ferire vellet, à Jove in Cœlum tranſlata, ac ſtellis adſcripta, nunquam occidit. *Antiquitas 79.*

29. *Cambyſes* Perſarum Rex, deſtructo Templo Jovis, mox punitur, exercitu integro ſubcollapſis montibus ſepulto. *Antiquitas 88.*

30. *Caredus* Scotorum Rex, à ſtatuâ, telo venenoſo, in horto transfigitur. *Antiquitas 3.*

31. *Cleobis, & Beton* jugo juncti, genitricem ad templum deducunt. *Antiquitas 14.*

32. *Cloëlia* Virgo Romana, Fluvium generosè tranatat. *Antiquitas 6.*

33. *Colchorum Rex* magnam gerit curam, de cuſtodiendo in Templo Martis aureo Vellere. *Ant. 17.*

34. *Conſtantinus M.* Imperator, devictis hoſtibus, aureum Numiſma cudi imperat, cujus una pars laureatam ejus effigiem, altera labarum Crucis, cum involuto in ſpiram contrito ſerpente repræſentaret. *Antiquitas 95.*

35. *Cretenſis Inſula* non nutrit animalia venenoſa;

quia magnus ibi exportus] Jupiter dicitur. *Antiquitas 13.*

36. *Cyrus* Perſarum Rex gratias agit præſumptuoſo militi, quòd magna petendo, occaſionem exercendæ liberalitatis præbuerit. *Antiq. 96.*

37. *Dianæ Templum* in Aſiâ dum ædificari cœpit, puella ſpecioſa fundamentis injecta. *Antiq. 2.*

38. *Eduardus* Britanniæ Rex pretioſa in Nuptijs ſuis inſtituit Torneamenta, cujus ſcuto inſcriptum: *In me omnia. Antiquitas 68.*

39. *Epaminondas* Athenienſium Dux, graviter in conflictu ſauciatus, majorem de ſcuto ſuo, quàm de ſeipſo, ſollicitudinem gerit. *Antiq. 99.*

40. *Filia* matrem in carcere detentam exerto ubere ſuſtentat, in cujus rei memoriam Ara pietatis in eodem loco extruitur. *Antiquitas 8.*

41. *Flandriâ* horrendo diluvio inundante, in colliculo tenellus reperitur infans, qui dulciter intereà dormiens, ſine ullo timore, ac moleſtiâ miraculosè eſt præſervatus. *Antiquitas 84.*

42. *Gabriela* ex aulâ Henrici IV. Galliarum Regis proſcripta, dum nova Regia Sponſa, Maria Florentina, eò deducitur. *Antiquitas 49.*

43. *S. Gregorius Magnus* prohibet Caſtorio Epiſcopo, conſecrare Eccleſiam, eò quòd in illo loco putridum cadaver nuperrimi defuncti jaceret. *Antiquitas 21.*

44. *Gualterius*, Marchio Grifeldenſis, cùm conjugem ſuam nudam domo proſcriberet, talia verba hæc protulit: *Nuda è domo patris egreſſa, nuda eò revertar, niſi quod indignum rear, ut hic uterus, in quo filij fuerunt, quos tu genuiſti, populo nudus appareat. Antiquitas 73*

45. *Hector* ab Achille interfectus, feriſque objectus, à Venere oleo delinitur è roſis expreſſo, cujus odore feræ in fugam actæ, & corpus conſervatum eſt. *Antiquitas 66.*

46. *Hercules* ingentem Leonem jugulans, detractam pellem pro paludamento deportat. *Antiquitas 75.*

47. *Hiſpalenſes Nobiles* ob Aſſis condonati prærogativam, à plebeijs diſcernuntur. *Antiq. 25.*

48. *Hiſpanus Grandis*, jubente Rege, proditorem hoſpitio excipiens, eo abeunte Palatium deſtruit. *Antiquitas 18.*

49. *Horatius Coclites* integram Hetruſcorum aciem ſolus in Ponte Sublicio detinet. *Antiq. 98.*

50. *Hugolinus Girardeſcus*, ob fortunam nimiùm elatus, paullò poſt captivus in Turrim conijcitur, cujus clavî in flumen abjectâ, miſerè ipſi eſt pereundum. *Antiquitas 82.*

51. *Jaſon*, devictis Tauris, & ſopito Dracone, aureo Vellere potitur. *Antiquitas 32.*

52. *Indica quædam Arbor*, à ſerpentibus infici in radice ſolita, expulſo per theriacam veneno, fœcundior redditur. *Antiquitas 83.*

53. *Julij Cæſaris* Conceptio à Diogene ex conſtellationibus obſervata, in ſigno Capricorni, & Piſcis, ab eodem declaratur. *Antiquitas 23.*

54. *Idem* torrentem tranatans, Commentarium propriâ manu ſcriptum ſollicitè ſalvat, ac minimè madefactum profert. *Antiquitas 1.*

55. *Idem* Vectorem ſuum, exortâ gravi tempeſtate timidum, his verbis corripit: *Nil metue! Cæſarem vehis, & fortunam ipſius. Antiquitas 67.*

56. *Leander*, ab Arcturo Rege, cui paullò ante venenum porrexerat, ad necem quæſitus, ad ſinum Agrippinæ Regiæ matris confugiens, aſylum invenit, ac veniam. *Antiquitas 76.*

57. *Lucius Manlius*, propter filium apud judices accuſatus, ab eodem filio generosè defenditur. *Antiquitas 10.*

58. *Marcius Coriolanus*, Romam vaſtaturus, occurrente propriâ matre placatur, obque ejus reverentiam, tam Urbi, quàm civibus parcit. *Antiquitas 41.*

59. *Marulla* Virgo integrum Turcarum exercitũ ab Arce Coccinâ fortiter repellit. *Antiquit. 26.*

60. *Mediolanenſis Nobilis*, corruente vicinâ Turri, ac domum, ubi ille cum alijs pluribus convenerat, conquaſſante, priùs miraculosè evocatur, ſicque ſpecialiter ab hac ruinâ præſervatur. *Antiquitas 47.*

61. *Metellus* parentem ſuum in prælio captum, ac neci tradendum, calidiſſimis precibus, & lachrymis liberat. *Antiquitas 93.*

62. *Midas* à Baccho petens, ut omnia ſua in aurum vertantur, eo obtento, ne fame pereat, denuò petit, auream hanc gratiam ſibi auferri. *Antiquitas 91.*

63. *Navarræ Regij Conjuges* Adamantem pretioſiſſimum in annulo geſtant, cui Sol, Luna & ſtellæ inſculptæ erant, cum inſcriptione: *ſimul, & ſemper. Antiquitas 81.*

64. *Nicæas*, Conſul Athenienſis, Juvenem formoſum è carcere dimittit, eò quòd indignum judicaret, tam præſtantem formam in tetro carcere captivam detineri. *Antiquitas 65.*

65. *Novatianum Templum*, exorto Conſtantinopoli incendio, omnia devaſtante, ab igne illæſum ſervatur. *Antiquitas 36.*

66. *Nympha* cervos inſecuta, ingruentibus tenebris, periculo ſerpentum, bufonum &c. expoſita, à Phœbo, clariſſimam ſagittam illuc ejaculante, liberatur. *Antiquitas 72.*

67. *Nymphæa*, è paludibus procreſcens, clavam Herculis in radice repræſentat, cujus amore capta Nympha in hunc florem transmutata eſt. *Antiquitas 33.*

68. *Octavius Balbus*, mortem fugiens, audito, quòd Filius ſui locò ſit occidendus, ſpontè revertitur, proque Filij ſalute mortem ſuſtinet. *Antiquitas 97.*

69. *Perſeus*, juſſu Palladis, Meduſam terrificam obtruncat. *Antiquitas 63.*

70. *Pherenica*, non obſtante lege, contra fœminas latâ, de non interveniendo ludis Olympicis, tamen ob Filij in ijsdem ludis dexteritatem admittitur. *Antiquitas 40.*

71. *Philippus Bonus*, Burgundiæ Dux, Matronæ elegantis ſtatuam, à Leone cuſtoditam, hoſpitibus ſuis exhibet, cum hac Epigraphe: *Nemo meam Dominam contingat! Antiquitas 7.*

72. *Pindari* domus ſola, in deſtructione Civitatis

tis

tis Thebanæ, juſſu Alexandri M. reſervatur. *Antiquitas 22.*

73. *Plato* diſcipulos ſuos, mediante ſpeculo, ad omnes bonos mores comparandos inſtruit. *Antiquitas 74.*

74. *Idem*, juxtà Legem Æginenſium, morti tradendus abſolvitur, eò quòd hæc Lex tantùm pro hominibus, non pro Philoſophis, qui mediæ eſſent inter Deum & homines naturæ, lata eſſet. *Antiquitas 87.*

75. *Pompeius Atticus* gloriatur, ſe nunquam cum Matre in gratiam redijſſe. *Antiquitas 29.*

76. *Protogenis* imagini, ex Apellis effato, ſola deeſt gratia, ſeu vita, quam ſi haberet, immortalis exiſteret. *Antiquitas 34.*

77. *Idem* ex ſubtiliſſimâ lineâ, Rhodi conſpectâ, Apellis præſentiam conijcit. *Antiquitas 53.*

78. *Ramiſes* ingentem obeliſcum erigi curat, cui pretioſæ moli (omnî reliquâ Urbe in cineres redactâ) Cambyſes Perſarum Rex nullum damnum intulit. *Antiquitas 85.*

79. *Rodopeæ* calceus ſpecioſus ab Aquilâ ad pedes Regios delatus, nuptias cum Rege conciliat. *Antiquitas 71.*

80. *Romulus & Remus* turpi fratricidio exordia Urbis Romanæ viriant. *Antiquitas 44.*

81. *B. Samſon*, Dolenſis Archi-Epiſcopus, draconem primùm, dein & leonem Regno proſcribit. *Antiquitas 28.*

82. *Scipio Romanus*, parentem Annibalem hoſtium manibus ſolus, & unicus glorioſè eripit. *Antiquitas 56.*

83. *Scythæ*, fugientes à facie Darij Regis, ad ſepulchra Parentum ſe recipiunt. *Antiquitas 51.*

84. *Siciliani* malogranata à vectigalibus eximunt, eò quòd à naturâ gerant coronam. *Antiquitas 27.*

85. *Sigridis* ab extremo Maris periculo miraculoſè liberatur, ob Sanctam prolem, Birgittam, quam gravida gerebat in utero. *Antiquitas 57.*

86. *B. Simeon Stylita* altiſſimam conſcendit columnam, cui per 80. annos immobilis inſiſtit. *Antiquitas 89.*

87. *Stygis* Fluminis aquæ mortiferæ omnia vaſa confringunt, niſi ungula equi inijciatur. *Antiquitas 5.*

88. *Teutonum, ac Cimbrorum* militum uxores, maritos his verbis animant: *Eja viri! pugnate fortiter, ne nos Romanorum captivas videatis!* *Antiquitas 12.*

89. *Themiſtocles*, cùm ad ludos Olympiacos procederet, mox omnium oculos, poſthabitis ludis, in ſe converſos videns, dixit: tunc ſe omnium laborum, quos hactenùs pro Republicâ ſuſcepiſſet, fructum, ac mercedem retuliſſe. *Antiquitas 45.*

90. *Theodoricus*, Gothorum Rex, prohibet Purpuram Regiam ab impudico tinctore attrectari. *Antiquitas 19.*

91. *S. Thomas Apoſtolus*, infidelitate ac incredulitate ſuâ, plus proficit ad fidem credentium diſcipulorum, quàm ſi nunquam dubitâſſet. *Antiquitas 94.*

92. *Vaſco Fernandez*, per medios hoſtium cuneos penetrans, chartam muro affigit, hæc continentem: *Huc pervenit Vaſco Fernandez.* cui alter præcurrens, ſimiliter affixit hæc verba: *Huc non pervenit Vaſco Fernandez.* *Antiquitas 60.*

93. *Victoriæ Navis*, reliquis omnibus ſubmerſis, ſola totum mare Atlanticum emenſa, feliciter revertitur. *Antiquitas 52.*

94. *Virgines* quædam, inſano furore in ſemetipſas deſævientes, per comminationem denudandorum cadaverum, ab ulteriori furore coërcentur. *Antiquitas 35.*

95. *Virgines Romanæ* galeatæ, tanquam militi cuidam deſponſatæ, ab hoſtium furore ſunt ſecuræ, quibus id pro teſſerâ præferendum: *Galeata ſum.* *Antiquitas 61.*

96. *Ulyſſes*, generoſus Juvenis, atrociſſimum Polyphemum generoſo vino ſopitum exoculat. *Antiquitas 64.*

97. *Wickberus*, germanus miles fortiſſimus, cataphractum Turcam uno ictu diſcindit, Leonem inſuper ingentem primo ictu exanimat. *Antiquitas 92.*

98. *Xenocratis* ſinus, Paſſeris ab accipitre perſecuti gratioſum refugium. *Antiquitas 69.*

99. *Zeuxis*, videns conflagrantem viciniam, própriamque domum, de artificioſâ quadam imagine præ omnibus alijs ſollicitus, clamat ſæpiùs: *Servate mihi Adonidem!* *Antiquitas 39.*

100. *Idem* uvæ botrum artificioſè depingens, aviculas fallit illuc convolantes; qui tamen ipſe paullò poſt à Parrhaſio, linteum pingente, decipitur. *Antiquitas 80.*



IN-

# INDEX VII.

Anagrammatum, ſive Salutationis Angelicæ, multipliciter litteris permutatæ, quibus Archangelus Gabriel, à DEO ad MARIAM miſſus, per illa Verba:

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

Eandem ſine omni labe conceptam totiès quotiès reſalutat.

1. Ave pura Regina, ſummo amanti dilecta.
2. Virgo ſerena, pia, munda, et immaculata.
3. Eva ſecunda, Agni immolati pura Mater.
4. Magnes cordium, vita animae, tela pura.
5. Alto Regi amica, Tu janua ſemper munda.
6. Regia nata, evadens luctum amari pomi.
7. Intacta à vae mali, Virgo ſemper munda.
8. Alma Dei Virgo, ante caſum praemunita.
9. Gemma pura, mirè ſalutata à Dei nuncio.
10. Regia munda, et palatium emicans auro.
11. Adami amarum ingens vae it procul à Te.
12. Tu pia Regina, ſumma, et munda Coeli Ara.
13. Imago Dei, ſumma, clara, et pura inventa.
14. Alma Regina, jure munda es à tactu pomi.
15. Pura à maculâ omni, et digna JEſu Mater.
16. Lumina mea aperi caſta, et munda Virgo.
17. Eja Tu orientalis gemma, pura, ac munda.
18. Nivea, lactea, pura, ſumma, meritò digna.
19. A maculâ Tu remota es, pia mundi Regina.
20. Damna piè avertens, Virgo immaculata.
21. O Munda, alma Regina! Tu ſpecie tuâ mira.
22. Mira Agna, ô ſummè pura, ac in Dei tutelâ.
23. Ingenua, provida Mater, immaculata es.
24. Nitida Regina, et ô ſummè pura à maculâ.
25. Vera primogenita, Tu ſine maculâ Adam.
26. Summa, et pura Mater, digna Coeli janua.
27. Tu jure immaculata, ô magna Dei parens!
28. Euge pura, mira, tota munda, neſcia mali.
29. Caſti Agni Emmanuel, ô diva pura Mater!
30. Virgo, à maculâ Adae patenter immunis.
31. Mira tota, en gaude ſine impurâ maculâ.
32. Ave Arca munda! Tu impleta amoris igne.
33. Virgo, et anima prudens, et immaculata.
34. En minimè vocata es impura, alta gradu.
35. Munda, amata, electa Virgo, prima venis.
36. Alma, evadis contagium irae parentum.
37. Regina purè munda, Tu anima amicta Sole.
38. Iure anguem perdis, ô nata immaculata!
39. Amata, pia, munda, Coelum terrae jungis.
40. Gaude Eva, ſpinâ malorum mirè intacta.
41. Regina mirè tuta, à lapſu communi Adae.
42. Admiror Te, Eva immaculata, ſine pugnâ.
43. Tu Mater es Agni Dei, à maculâ omni pura.
44. Io Agna Dei Mater! lupum averni mactas.
45. Anguem palantem Io! mira Eva trucidas.
46. Primatum tenes, ô Diva, ignara maculae.
47. Luctum Adami ignoras, en pia Mater, Ave!
48. En Tu immaculata es; nam Virgo Deipara.
49. Nivea ô agni Mater! Deum iratum placas.
50. Age caſta, altum Mare, invium praedoni.
51. Diva Regina, ſemper tuta à maculâ omni.
52. O gemma Divina! pura, ſine tetrâ maculâ.
53. Mira, et ſana, en! procul à Te jugum Adami.
54. Intemerata Virgo, jam munda es à culpâ.
55. Naevum, et maculam ignorâſti Deipara.
56. Virgo mea dilecta, Tu manes anima pura.
57. Salve! ô unica nitida gemma, pura Mater.
58. Tu pura DEI menſa, ô Regina immaculata!
59. En Dei amans, pura, et immaculata Virgo.
60. Catenam, vel vae primi Adam, Tu ignoras.
61. Virgo, en! eras pia, munda, et immaculata.
62. Mundi regem unica alis, ô amata, et pura.
63. Ave, Te dignam juro, ſine maculâ partam.
64. Verum Dei Agnum intacta à malo paries.
65. En paritura es Agnum Dei, ô immaculata!
66. Munda, ac peralma Vitis, O genera vitam!
67. Adam, et Evam in maculâ purè ignorâſti.
68. Regina munda, amata Coelum aperuiſti.
69. Io Regina! pura, munda, et immaculata es.
70. Age Idea ſanè clara omnium puritatum!
71. Gaude Mater inviolata; nam purè micas.
72. Regem Deum amata, ac pura, alito in ſinu.
73. Age! Numen paris, ô Diva, ter immaculata!
74. Tu Evae, Tu Adami crimen palam ignoras.
75. Iurè munda pates, O Regina immaculata!
76. Ave munda Caeli porta! vitam germinas.
77. Prima, ac ultima munda es, ô integra Eva!
78. Lactea via, en ſumma, pura, meritò digna.
79. Eja, munda parens, et immaculata Virgo!
80. Neonata Regia, Te aulam puram dicimus.
81. Antea immaculata Virgo, en! Deum paris.
82. Deum integra paries, ô una immaculata!
83. O Dei veri magna parens! Tu immaculata.
84. Mater Agna, janua Coeli, Te puram damus.
85. Iam pura es, age, alito Deum incarnatum!
86. Natum Dei paries: una ergo immaculata.
87. Virgo planè munda, ac Mater amati JESU.
88. Scala aurea, Te non premit jugum Adami.
89. Tu, merâ Divinâ ope, immaculata regnas.
90. En! Tu manes immaculata, Virgo Deipara.
91. Colimus Te puram, en amata, diva Regina!
92. Virgo, an deturpata es à maculâ? minimè.
93. Mundi patrona, age! jure immaculata es.
94. Jam vale, ſemper munda intacta Virago!
95. Agna pura es, ô mei, ac mundi mira tutela!
96. Munda, integra, immaculata, opera JESU.
97. Vale Regina, tam pia, tam munda, Cor JESU!
98. Agni Mater, ô ſummè pura, ac nitida, Vale!
99. Lacta puro ſinu (Eja amata) mundi Regem.
100. En Virgo ſemper munda à macula. Ita: Ita.

D E

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS I.

## §. I. *Scriptura.*

I. PVra DeIpara, ob aqVas Congregatas, MARIA appeLLata.

*Geneſ. c. 1 v. 10.* Congregationes aquarum appellavit Maria.

MAri me committo, fateor, dum altiſſimam, ac penè imperſcrutabilem Marianæ Conceptionis innocentiam, per complures Conceptus, ex profundo Sacrarum paginarum oceano ſtudioſè deductos, adſtruere aggredior, vix naufragium evaſurus, niſi Mare hoc Virgineum, omnî momento placidiſſimum, nullius unquam originariæ tempeſtatis adverſitate turbatum, ſecuram mihi navigationem promitteret, aſpirante præſertim ſuaviſſimo Divini illius Spiritûs favonio, qui ſtatim abinitio *ferebatur ſuper aquas.* (Gen. 1. v. 2.) Addit prætereà animum mellea planè Divi noſtri Bernardi ſententia, quâ Mariam non tam mare, quàm ſtellam Maris nuncupans, ſæpiùs hortatur: *Reſpice ſtellam, voca Mariam!* (Hom. 2. ſuper miſſus.) Ad quam proinde & ego reſpiciens, Mariam voco, Mariam invoco, & ab ipſo *Mariæ* nomine primum Conceptum inchoans, illas *aquarum congregationes* in medium produco, quas, ſub ipſum ſtatim ſacræ Geneſis initium, *Maria,* non ſine myſterio, Dominus appellavit. Sicut ergò aquæ, ab ipſo ſuæ creationis exordio, congregatæ ſunt, jubente DEO, in locum unum, quas deinde aquarum Congregationes appellavit *Maria*; ſic aſſerere haud dubito, in Deiparam ſolam, tanquam in locum unum, congregatas fuiſſe, ſtatim abinitio creationis ſuæ, omnes aquas gratiarum poſſibilium, quas inter haud dubiè etiam fuerit exemptio à culpâ originalî, quæ (Maria ſcilicet) hoc ipſo, à S. Epiphanio *Mare ſpirituale, cujus gratia immenſa*, (Orat. de laud. V.) à S. Joanne Damaſceno, *Gratiæ abyſſus,* (Orat 2. de aſſump.) ab ipſo denique Angelo, Dei nuntio, *gratia plena* ſalutatur, & ex ſpeciali Divini Numinis conſilio, *Maria* appellatur. Et ſanè communis hæc Sanctorum Patrum videtur opinio: ſic enim, inter alios, S. Antoninus appoſitè diſcurrit: *Congregatis,* inquiens, *omnibus gratijs Sanctorum, in unum locum, ſcilicèt in animam Virginis, appellavit eam Mariam, quaſi mare gratiarum.* (4. p. tit. 15. cap. 4. §. 3.) Haud aliter Seraphicus ſentit Bonaventura: *Sicut,* ait ille, *in mari aquarum, ſic in Mariâ ſunt congregationes gratiarum.* (In ſpec. Virg. c. 7. tom. 2. opuſc.) Conferat prætereà ſuum hanc in rem ſuffragium Sophronius: *cæteris,* inquit, *per partes gratia data eſt, ſed Mariæ tota ſe infudit gratiæ plenitudo.* (Serm. de aſſumpt.) Sicut ergo (ut ſupra dictum) in ipſo mundi exordio, *Spiritus Dei ferebatur ſuper aquas,* ſic minimè dubitandum, in Mariæ exordio, ſive Beatiſſimâ Ejusdem Conceptione, mox adfuiſſe Spiritum Sanctum, omnîque eam gratiâ quantocyùs repleviſſe. Veniant modò omnes, quicunque aquas ſitiunt limpidas, & dulces gratiæ, ad mare hoc Marianum, minimè amaum, gratijs plenum, quod in inſtantî Conceptionis, gratiarum aquas congregans, omnibus exinde ſalutem liberaliſſimè propinat, Damiano teſte, Virgînem ſic alloquente: *Tu Fons pe-*

*rennîs gratiæ, tu benedictionis uberrima ſcaturigo, copioſos latices ad nos transfudiſti.* Hic ergo ad ſatietatem bibituri, afferant hydrias ſuas, ſed mundas, Proficiat hauſtus gratiarum! ut inde, juxta Bernardum, *captivus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, juſtus gratiam &c. obtineat.* Memores tamen illos eſſe velim, Mariæ aquas, alijs ut plurimùm aquis demereri, id eſt, gratias Virginis immaculatæ, lachrymis, ob peccatorum maculas profluentibus, obtineri; Quemadmodùm enim mare, licèt amarum, vapores emittit ſurſùm, qui, Cœli beneficio, mox ſuaves in aquas dulcorantur, ita lachrymæ pœnitentûm, maximè laſcivorum, puriſſimæ Virgini oblatæ, exuunt amarorem.

Serm. de nativ. Mariæ.

Serm. in verba Apoc.

## §. 2. *Authoritas.*

2. S. ALbertVs MagnVs, DeIparæ sIne Labe proteCtor.

1. *Væ culpæ eſt triplex, ſcilicet originalîs, mortalîs, & venialîs: Porrò ſine iſto triplicî væ, fuit Beatiſſima Virgo Maria.* In Bibliâ Mar. ſuper Evang. Luc.
2. *Hæc Virgo ſola, à communî illâ regulâ excipitur: Omnes in Adamo peccaverunt.* Lib. de laud V. ſuper *miſſus.*
3. *Sanctiſſima eſt caro B. Mariæ Virginis, quæ nunquam admiſit aliquid ſanctitati contrarium: omnes autem alij ſancti aliquid admiſerunt.* ad c. 1. Luc.
4. *Invenisti gratiam: non creaſti, ut Deus, non rapuiſti ut Angelus, non perdidiſti ut Adam, non emiſti, ut Simon magus, non abſcondiſti, ut infidelis Doctor, ſed reſtituiſti potiùs.* Serm. 1. de annunt.

## §. 3. *Ratio.*

3. VeLLe DeI, eſt IpsVM faCere.

AMare juxta Ariſtotelem eſt, *velle bonum*: ſed Deus plus amavit Mariam, quam omnes reliquas creaturas, ut alibi patebit. Ergo plus ei voluit bonum. Atqui velle Dei, eſt ipſum facere, id eſt, practicum, & collativum boni, ergo plus Mariæ fecit, ſeu practicè contulit, quàm omnibus alijs creaturis. Subſumo: ſed alijs quibusdam contulit bonum Sanctificationis in utero, ut Joanni Baptiſtæ, & Ieremiæ: alijs contulit bonum creationis, absque originalî, ut Angelis, & Adamo &c. Ergo multò magìs hæc omnia Mariæ contulit.

## §. 4. *Hiſtoria.*

CeLebrItas FeſtIVa sIne Labe ConCeptæ, à SanCto NICoLao, ELsIno AbbatI ManIfeſtata. 4.

CUm Elſinus, vel, ut ab alijs refertur, Elpinus, Abbas Rhemenſis (à quibusdam Remeſinenſis dicitur) Anno Chriſti Milleſimo, Centeſimo Nono, ablegationem jamiam ſuam, in graviſſimis Nortmanici Ducis Guilielmi negotijs ſuſceptam, ex Angliâ in Daniam, laudabiliſſimè, ac deſiderato cum fructu, perſolviſſet, ſuo tandem in reditu, Mari ſe comittens, feliciſſimo, per tempus non modicum, perſoluto itinere, horrendâ tandem exſurgente Cœli intemperie, Ventorum turbine, fluctuumque Spumantium fragore, in extremum communîs naufragij, diræque ſubmerſionis periculum eſt redactus. Verùm, cùm Cœlicolis, ipſique præſertim Auguſtiſſimæ Cælitum Reginæ, tenerrimâ ſemper devotione, addictus extitiſſet, ſpectabilem habere promeruit præclarum quendam, è cœleſtîs Aulæ proceribus, Heroem, Divum ſcilicet Nicolaum, ſpecialiſſimum jam pridem navigantium, ac periclitantium Patronum. Hic promptam mox cum morte decertanti aſſiſtentiam, ac certiſſimam è proximo periculo liberationem Abbati, hâc expreſsè additâ conditione, ſpopondit, ſi ipſis Cœlitibus Feſtiviſſimũ, DEI genitricis, ſine omnî labe conceptæ myſterium, Feſtivâ quot annis celebritate, cum Religioſis ſuis recolere, alijsque ad parem ſolennitatem piè peragendam, quà publicis è Ca-

è Cathedrâ cohortationibus, quà privatis, inter colloquia perſuaſionibus pertrahendis, pro viribus vellet allaborare. Quo Sanctè promiſſo, Elſinus mox Cœlitùs ereptus, ad portum Anglicanum feliciter appulit, ac non ſolùm, quoad vixit, votum ſuum fideliſſimè ipſus adimplevit, verùm etiam alios complures in ſuam traxit ſequelam, Virginiſque immaculatæ odorem, ut ex Divo noſtro Anſelmo, in proximâ Hiſtoriâ adducendo, latiùs apparebit. *Ex Card. Baron. Petro de Natal. Jacob. de Vorag. &c ſpecialiter autem ex Dionyſ. Cart. Serm. de Concept.*

## §. 5. *Symbolum.*

5. DeIparæ sIne Labe, prInCIpIVM
soLenne IngratIâ.




Principium ſolennè decet, ſi quando Profeſſor
Dictare incipiat: Qui benè cœpit, habet.
Principium, ſine labe, decet ſolenne MARIAM:
PRINCIPII genitrix, quæ benè cœpit, erit.

*Ego ſum α & ω Principium & Finis Apoc. 1. v. 9.*

## §. 6. *Antiquitas.*

6. LIber, proprIâ IVLII CæſarIs
ManV ConsCrIptVs, eIVS porreCto eX aqVIs braChIo, ab
InterItV saLVatVs.

Julius Cæſar, cùm aliquandò hoſtem, longè validiorem, audaciùs fuiſſet inſecutus, tandem cum ingenti ſuorum ſtrage devictus, fugam arripere eſt coactus. Cùm autem nulla alia evadendi pateret via, quàm torrens aliquis, ponte deſtitutus, quem tranatando, relictâ quidem pretioſiſſimâ Supellectilî, nil niſi vitam, eamque non ſine periculo, ſibi reſervare poſſet, hoſtîs à tergo inſequentis furorem in tempore evaſurus, fluctibus ſeſe generosè immiſit, non erubeſcens, nimium illum, quo antehàc in confligendo tenebatur, ardorem, modò frigidis in undis, extinguere. Ubi notabile, nullam omninò rem ſumpſiſſe ſecū Julium, per aquas fugitivum, quàm unicum quendam Librum, propriâ ſuâ manu, paulò ante conſcriptum, de geſtis ſcilicèt ſuis commentarium. De hoc igitur Libro, magìs, quàm de propriâ vitâ, ſollicitus, brachio indeſinenter in altum ſublevato, tantum effecit, ut per medias licèt undas, periculosè tranatans, minimè madefactum charum hunc librum protulerit. *Svetonius.*

Modò, quis neſcit, Numen Divinum feciſſe *potentiam in brachio ſuo?* tunc præſertim, quandò, reliquis ex Adamo hominibus, in aquam originalîs peccati decidentibus, imò in profundum inferni demergendis, Mariam, futuram Matrem ſuam, *Librum generationis JESU Chriſti*, potentî ſuo brachio, in altum extulit, ſicque qui *Exaltavit humiles*, humillimam *ancillam* exaltando, ab undis hæreditarijs ita reſervavit illæſam, ut nec ad momentum, ijs madefacta fuerit, aut infecta. Adeò nimirùm adamavit Librum hunc, cujus cartham ſciebat Regalem: *Regalî ex* Eccleſia
*progenie:* Ligaturam nobilem, quia de- in brev.
ſponſatam ipſi Spiritui Sancto, & ligandam caſtiſſimo Sponſo Joſepho, ex Regio ſanguine: *cùm eſſet deſponſata, &c.* clauſuram perfectiſſimam: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* ſcripturam Divini ſpiritûs: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te &c.* Tenorem & materiam libri, unicum Verbum, & quidem Abbreviatum, ſed Divinum: *& Verbum Caro factum eſt.* Quid ergò mirum, Librum hunc, tantam, in uni-

verſalî Conceptionis diluvio, obtinuiſſe gratiam, ut minimè madefactus, nullâ unquàm maculâ fuerit fœdatus?

* * *

### §. 7. *Anagramma.*

AVepVra à Labe, aMantI DILeCta! 7.

*Ave pura Regina, ſummo amanti dilecta!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS II.

### §. I. *Scriptura.*

DEI Mater pVrè ConCepta, Terra VIrgo.

8. Geneſ. c. 2. v. 7. *Formavit igitur Dominus DEUS hominem, de limo terræ.*

A Mari, ad terram progredior, & immaculatam Deiparæ Conceptionem ſic ulteriùs proſequor: Formatum à DEO primum hominem, de limo terræ, & quidem de terrâ etiamnùm Virgine, innocente, purâ, utpote nulli hucusque maledictioni ſubjectâ, ſacra abundè exhibet Hiſtoria. Porrò cùm, teſte Apoſtolo, primus ille parens noſter Adam, fuerit *forma futuri*, & ſecundi Adami, Domini noſtri, figura; Hinc dubium nullum remanet, quin Chriſtus quoque, utpote Divinæ ſuæ perſonæ dignitate, Adamum illum infinitè excedens, è terrâ fuerit formatus puriſſimâ, omnisque maculæ experte, ſcilicèt Beatiſſimâ Virgine, non tantùm nulli ſubjectâ maledictioni, ſed plenâ inſuper omnî benedictione, juxta illud Pſalmiſtæ: *Benedixiſti Domine terram tuam.* Nec immeritò MARIAM *Terram* dicimus; ut enim terram noſtram diverſos producere fructus cernimus, uſui, & utilitati hominum deſervientes, ſic neminem latere poteſt, produxiſſe MARIAM, & peperiſſe nobis illum *Benedictum fructum ventris ſui*, qui ſalutem mundo attulit univerſo. Teſtem fortè, in Conceptûs hujus confirmationem, deſideras? omnî exceptione majorem invenio, Virum, ex Apoſtolico Collegio, in paucis præclariſſimum, S. Andream, ita Crucem ſententiæ huic præferentem. *Sicut*, ait ille, *primus Adam formatus eſt ex terrâ, antequàm eſſet maledicta, ita ſecundus formatus eſt ex terrâ Virgine, nunquàm maledictâ.* Quod idem Sanctus quoque Pater Dominicus clarè confirmat, his verbis: *Sicut primus Adam fuit ex terrâ Virgine, & nunquam maledictâ formatus, ita decuit in ſecundo fieri.* Nec prætereunda hìc videtur celebris illa, licèt ſatìs prolixa, hanc in rem D. Bernardini Senenſis Sermocinatio: *Certum eſt*, ait ille, *quòd DEUS creavit Adam, ſine peccato originalî, ex limo terræ, deinde ex coſtâ ejus creavit Evam, & ſine peccato: & certum eſt, quòd Chriſtus incarnatus fuerit DEUS, & homo, & fuit major, quàm Adam, & Eva, & majoris dignitatis, & tantum intereſt inter eos, quantum inter creatorem, & creaturas; modò non eſt credendum, quod ipſe Filius DEI voluerit naſci ex Virgine, & ſumere ejus carnem, quæ eſſet maculata ex aliquo peccato originali? imò, credendum eſt, quòd voluit ſumere carnem ex carne puriſſimâ, & quòd ejus Mater fuerit plus, quàm Eva, & Adam, qui creati fuerunt ſine peccato originali.* En! quàm præclarè conceptum hunc graviſſima SS. Patrum authoritas ſtabiliat? Addo prætereà ingenioſam D. Ruperti noſtri, ſuper illa Iſaiæ verba: *Generationem ejus quis ennarrabit?* expoſitionem: *Signatè*, ait,

Marginalia: Rom. c. 5. v. 14. — Pſal. 34. v. 1. — In Epiſtol. Presbyt. Achaiæ. — Lib. de carne Chriſti c. 17. — Tom. 4. Serm. 49. poſt Paſc. c. 1. — c. 53. v. 8.

Lib. 2 in Iſaiam c. 19. ait, *de terrâ viventium dicit, non verò morientium, ut intelligatur, de eâ Virgine naſciturus Chriſtus, quæ mortua, illâ infamis peccati morte, non fuerit, quâ omnes in Adam moriuntur.* Hanc igitur *Terram*, qui terrã incolimus, colamus, huic, qui terrenis hucuſque vanitatibus nimiùm adhæſimus, filialî impoſterùm devotione adhæreamus, ab hac Virgine illibatâ, illibatam cordis, carnisque munditiem, immundi terræ peccatricis filij, impetremus, ut corpore quidem in terrâ poſiti, mente tamen in Cœleſtibus continuò habitantes; tandem de terrâ hac mortalî, per obitum, abſciſſi, *videre mereamur bona Domini, in terrâ viventium.*

## §. 2. *Authoritas.*

9. B. ALCVInVs, MARIÆ à Labe Defenſor.

1. *Semen ſerpentis, Originalîs peccati primordium* interrogat 75. in gen. per quod explicatur illud: *Inimicitias ponam inter ſemen tuum, & ſemen illius.*
2. *Maria fuit lana mundiſſima, & Virginitate clariſſima &c. Eratque talis ac tanta, ut ſola digna fuerit, quâ nullus alius indueretur, niſi auguſtâ præditus dignitate. Ita Spiritus Sanctus Superveniens in Beatam Virginem, & Virtus altiſſimi, obumbravit eam, ut lana fieret Divinitate purpurata, ſolummodò æterno Imperatore indui digniſſima, & ſic facta eſt Beatiſſima Virgo Theothocos &c.* lib. 3. de Trin. c. 14.

## §. 3. *Ratio.*

10. MarIa eſt CaVsa, non DeterIor effeCtV.

CAuſa nequit eſſe deterior ſuo effectu: Ergo MARIA infici non potuit peccato originalî. Ant: conſtat ex communî mente Philoſophorum: quidquid enim perfectionis eſt in effectu, hoc eminenter, virtualiter, vel formaliter, eſt in causâ: atqui, ſi cauſa eſſet deterior effectu, aliquid perfectionis eſſet in effectu, quod non eſſet in cauſa. Ergò &c. Conſeq, etiam probatur: MARIA eſt cauſa, Chriſtus eſt effectus, ut enim ait S. Amadæus: *Maria eſt puteus clauſus, & ſignatus, de quo* (Hom. 7. de laud. Virg.) *egreſſus eſt fons domûs David.* Atqui non habere peccatum originale, ſeu ejus carentia, eſt aliqua perfectio; quia importat juſtitiam originalem. Ergo ſi MARIA habuiſſet peccatum Originale, quod tamen Chriſtus nullo modo habuit, cauſa fuiſſet deterior ſuo effectu.

## §. 4. *Hiſtoria.*

FeſtIVItas ConCeptIonIs, ab AnſeLMo InChoata, In ECCLesIâ reCepta. 11.

DIvi Anſelmi, Cantuarienſis Archi-Epiſcopi, & Angliæ Primatis, Clariſſimi Benedictinæ noſtræ familiæ luminis, ſuper omnia præclariſſimè geſta, honor præcipuus, a ſingularî, in Beatiſſimam DEI genitricem, ſtudio promanavit, quod ex eo vel maximè apparuit, dum immaculatam dictæ Virginis Conceptionem, non ſolùm, ſuis in Libris publicè defendere, Feſtumque hujus Myſterij diem, in dicto ſuo Epiſcopatu, Solenniter celebrandum, primus introducere voluit, verùm etiam alios quoque Angliæ Co-Epiſcopos (communicatâ ipſis paulò ante recenſitâ Elſini Abbatis Hiſtoriâ) ad eandem devotionem propagandam fervidè cohortatus eſt, verba hæc formalia ſuæ ad eos Epiſtolæ inſerens: *Non puto, verum eſſe Virginis amatorem, qui celebrare reſpuit Feſtum ſuæ Conceptionis.* Unde mirum minimè videri debet, altefatam myſterioſam Feſtivitatem per complures exindè Provincias, Urbes, Univerſitates, ſucceſſivo progreſſu, receptam, in totâ tandem Eccleſiâ, ſub præcepto inſtitutam, noſtris jam temporibus, ſolennî octavâ celebriorem, indulgentijs, è theſauro S. Matris Eccleſiæ auctam, tantum ſumpſiſſe incrementum, non niſi devotiſſimo huic Præſuli, præ omnibus alijs, adſcribendum. Et nonnè Virgo ipſamet Beatiſſima, ob tantum, pro honore illibatæ ſuæ Conceptionis, laborem, gratam ſe Anſelmo exhibuit? vinci certè tantis, à famulo ſuo ſibi exhibitis, devotionis officijs, non eſt paſſa, dum Matrem ſe, in pluribus occaſionibus, ei præſtitit gratiſſi-

mam ſimul, ac gratioſiſſimam, eo præſertim tempore, cùm obſcurâ aliquandò nocte, præceps ex alto delapſus, non ſine præſentiſſimo mortis periculo, inclamatâ Divinæ Genitricis ope, nec minimum damnum perpeſſus, non ſine miraculo, ſurrexit innocuus. *Petrus de Alva in ſole verit. Bivarius in Anſelmo vindic. Card. Baron. Bucelin. ad diem 21. April.*

## §. 5. *Symbolum.*

12. proXIMa DEo, sIne peCCato.




Aurea, quam cernis, ſtat littera *proxima primæ.*
B. *Benedicta* gerens, B. *Bona* cuncta ferens
*Alpha* Chriſtus erat: ſed littera *proxima primæ*
Ter puræ, genitrix ter quoque pura fuit.

*Non arguas proximum, & non deſpicias eum Eccli. c. 31. v. 41.*

## §. 6. *Antiquitas.*

13. pVeLLa, fVnDaMento InIeCta.

INter primaria, haud immeritò, orbis miracula numerabatur Templum illud, quod in Aſiâ, per Ducentos, & Viginti annos continuos, laborioſiſſimè, immenſis ſumptibus, exædificatum, Dianæ, fictæ illi gentilium Divinitati, ab infidelibus populis dedicabatur. De hoc templo id, præ reliquis, notatû dignum ſcriptores referunt, quòd, cùm primum ibi lapidem fundatores poſituri eſſent, Puellam quandam Virginem, unà cum lapide, vivam fundamento iniecerint, non elegantiſſimæ tantùm formæ, verùm etiam pretioſiſſimis indutam veſtibus, ac monilibus, incomparabilis valoris, ſuperbiſſimè adornatam. Sperabant nimirùm ſuperſtitioſi illi populi, tam ſpecioſâ puellæ formâ illuc repoſitâ, tam pretioſum ædificium longiſſimo tempore duraturum, ac in ipſam quasì æternitatem, facilì negotio, conſervandum eſſe.

Dicam ego potiùs, non ſuperſtitioſâ quâdam impreſſione, ſed piâ de Virgine Matre perſuaſione, Puellam fundamento injectam, MARIAM fuiſſe, & quidem ab ipſomet Unigenito DEI Filio, cujus *fundamenta, in montibus Sanctis.* Pſal. 86. v. 1. Cùm enim Divina omnipotentia, ac Sapientia opus quoddam, non per ducentos viginti duntaxat annos, ſed *ab initio, & ante ſæcula* creans, & exædificans, illud (MARIAM ſcilicet) non fictæ cuidam, ſed uni, ac veræ Divinitati, ſibi nimirùm ipſi, à principio, dedicare vellet, Virginem fundamento iniecit, id eſt, ipſam MARIÆ Conceptionem, tanquam totius reliquæ vitæ fundamentum, Virginem voluit, illibatam, ex ſpecialì privilegio eam conſervando, ac pretioſiſſimis Virtutum monilibus & veſtimentis ſalutis indutam perpetuò cuſtodiendo.

## §. 7. *Anagramma.*

VIrgo pIa, & MVnDa à peCCato. 14.

*Virgo ſerena, pia, munda, et immaculata.*
Verſio litteralis
*Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.*

DE

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS III.

## §. I. *Scriptura.*

15. VIrgInea genItrIX, IVCVnDVs DIVInæ VoLVptatIs paraDIsVs, ab InItIo.

Geneſ. c. 2. v. 8. *Plantaverat autem Dominus DEUS Paradiſum voluptatis, à principio.*

TErreſtrem Paradiſum, ab omnipotenti DEI manu, à principio, plantatum, ac omnigenis deliciarum generibus, ad omnem voluptatem, inſtructum, quis ennarrare ſufficiat? hìc nimirùm rara fragrantiſſimorum florum elegantia, hìc arborum diverſarum, quas inter *Lignum etiam vitæ in medio Paradiſi*, fructuumque amæniſſimorum varietas, hìc integra volatilium agmina, canoris aerem vocibus verberantia, hìc peramænus aquarum limpidiſſimarum ſtrepitus, hìc animantium diverſi generis, in hominum ſervitia, creatorum, multifaria ſpecies, verbo, plantatum hoc voluptatis creatæ compendium, dignus omninò locus erat, in quo primus Adam, innocentiſſima etiamnùm Divini Numinis imago, collocaretur, quem haud dubiè diutiùs cuſtodire licuiſſet, niſi neglectâ ſui ipſius cuſtodiâ, ſerpenti infernali in ſe aditum incautus Adam ultrò reſeràſſet. Verùm enimverò, expulſo, pro demeritis, primo homine, aditúque dicti Paradiſi non Adamo tantùm, ſed & poſteris, præcluſo, alius ſe prodidit Divinæ voluptatis, & quidem longè illo perfectior Paradiſus, DEI ſcilicet genitrix beatiſſima, cujus *gratia, ſicut Paradiſus in benedictionibus*, quæ ab ipſo ſtatim conceptionis ſuæ principio, ipſius Divinæ ſapientiæ manu, Paradiſi ad inſtar, plantata, omnî deliciarum ſpiritualium genere abundè repleta, diverſiſque virtutũ ac donorum Cœleſtium floribus eſt exornata. Verè Paradiſus feliciſſimus, in quo ſecundus Adam, Chriſtus, redemptor noſter, erat collocandus, Paradiſus rarâ arborum varietate inſtructus, ſic Virgine de ſeipſâ loquente: *Quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano, quaſì Cypreſſus in monte Sion: Quaſi palma exaltata ſum in Cades, quaſì Platanus &c. Quaſì Terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris, & gratiæ.* Paradiſus, ex quo quadripartitus Evangeliorum fons dimanans, mortalibus fide exornatis, miſerationum fluenta ubertim emittit, juxta illud: *Ego quaſì trames aquæ immenſæ, de fluvio, Ego quaſì fluvij Diorix, & ſicut aquæductus exivi ex Paradiſo.* Paradiſus jugiter cuſtoditus, ubi *Hortus concluſus, fons ſignatus, ad quem* (Teſte SS. Epiphanio & Damaſceno) *ſerpens aditum non habuit.* Verè *Hortus deliciarum,* ut cum Sophronio loquar *in quo conſita ſunt univerſa florum genera, & odoramenta Virtutum, ſicque concluſus, ut neſciat violari, neque corrumpi.* In cujus etiam Paradiſi medio, puriſſimo ſcilicèt Virginalis uteri Sacrario, lignum vitæ à DEO eſt poſitum, imò vita potiùs ipſa, cujus vivifica, & ſalutaris virtus mederi debebat omnibus humanis infirmitatibus, æternamque vitam, & ſalutem hominibus conciliare. Quòd ſi ad Virgineum hunc Paradiſum *ſerpens aditum non habuit*, quomodo credendum, eam à ſerpente originalem aliquandò morſum accepiſſe? ſi *hortus concluſus, fonsque ſignatus* Virgo fuit, quomodo vel ad momentum violata, aut corrupta? ſi non lignum tantùm vitæ in Mariâ poſitum, ſed vita ipſa, ſuo tempore, illius ex utero proceſſura, quomodo Mortis filia, vel ad punctum, ſupponenda? abſit! dicendum potiùs, quod Abbas noſter Tuitienſis in Deiparæ defenſionem, ſcriptum reliquit: *Iſte eſt novus Paradiſus*

Gen. 2. v. 9.

Eccli. 40. v. 17.

Eccli. 24. v. 17. & 18.

v. 24.

v. 41.

Cant. 4. v. 12.

de Laud. Virg. Serm. 1. de aſſump.

Sophr. Serm. de aſſump.

Rupertus

c. 4. in cant. *ſus Cœleſtis, in illo poſuit Dominus Deus hominem, quem formavit: in iſtâ formavit hominē, qui apud ipſum in principio erat, iſtam humū, iſtā terram ſuam benedixit Dominus & ex eâ cuncta germina gratiarum produxit.* Si proinde veras delicias, ac voluptates quærimus, ad Virgineum hunc Paradiſum, omnibus apertum, ſoli ſerpenti clauſum, cum fiduciâ accedamus, ut per hunc ad illum, Cœleſtem ſcilicèt Paradiſum, omni deliciarum genere ſine fine repletum pertingere valeamus.

## §. 2. *Authoritas.*

16. ALphonsVs ToſtatVs, nesCIens LabeM DeIparæ.

*Beatam Virginem, ſine originalî maculâ conceptam fuiſſe, nullo modo nego, ſed toto animo confiteor.* Prolog. in Hieron.

## §. 3. *Ratio.*

17. Caro MarIæ, ConIVngenDa Verbo.

QUidquid erat uniendum, conjungendum, vel terminandum hypoſtaticè à perſonalitate Verbi, debuit fuiſſe Sanctum, omniſque labîs, & umbræ expers, juxta illud S. Petri Dam. Serm. de Nativ. *Quid vitij in ejus mente vel corpore vendicare ſibi potuit locum, quæ ad inſtar Cœli plenitudinis totius Divinitatis meruit eſſe Sacrarium?* Atqui Caro MARIÆ erat conjungenda, & hypoſtaticè terminanda, à perſonalitate Verbi Divini. Ergo Caro MARIÆ, in primo inſtantî ſuæ Conceptionis, debuit eſſe expers labîs, & peccati originalîs. Min. probatur. Corpus humanum erat hypoſtaticè conjungendum, & terminandum à perſonalitate Verbi Divini. Atqui corpus Chriſti, in primo inſtantî conceptionis, erat ipſa Caro MARIÆ, quia ex puriſſimo ſanguine, & carne Virginis erat formatum corpus Chriſti: Ergo Caro MARIÆ, in primo inſtantî ſuæ Conceptionis, erat hypoſtaticè terminanda, à Verbo Divino, adeoque ſancta, & ſine peccato.

* * *

## §. 4. *Hiſtoria.*


saCerDos NortMannIæ resVsCItatVs. 18.

DEceſſerat ſine omnî pœnitentiæ ſigno, morte extinctus ſubitaneâ, Sacerdos quidam Nortmanniæ, tanto miniſterio vel ideò indigniſſimus, quia notorijs, ac meritò abominandis Sceleribus ſuis, tam Superis infenſus, quàm hominibus ſcandaloſus. Cùm ergo, nullâ præviâ commiſſorum expiatione, ab infernalibus jamjam monſtris, ad commerita Tartarorum ſupplicia eſſet abſtrahendus, pientiſſima tamen Numinis Genitrix, quam ſibi fortè per exiguam, eamque quotidianam devotiunculam, aliquandò devinxerat, tam fortiter eum defendebat, ut orcini Divinæ juſtitiæ miniſtri prædam confeſtim relinquere cogerentur, ipſeque reus, raro admodùm eventu, in gratiam tantæ protectricis, vitæ reſtitueretur. Sed quid pro tanto favore, periclitanti animæ exhibito, Beatiſſimam deſiderâſſe Virginem exiſtimatis? Nil aliud certè, niſi, ut ſeriam modò de retroactis pœnitentiam ageret, inque illâ, ad ſecundum uſque obitum, perſeverare conaretur, hàc inſuper conditione ſingulariter adjunctâ: Feſtum puriſſimæ Conceptionis ſuæ, per annos ſingulos, die octavâ Decembrîs, ſummâ quâ poſſet devotione perageret, alios quoque ad idem pietatis officium, ferventî ſuaſione pertraheret. Quo factum, ut Sacerdos, obtento hunc in modum, unà cum vitâ, pænitentiæ ſpatio, non priſtinos tantùm deteſtari errores, confiteri, vitamque agere per omnia emendatiorem cæperit, verùm etiam (quod liberatrix miſericordiſſima ſpecialiter deſiderare videbatur) Feſtum Immaculatæ Conceptionis devotiſſimè impoſterùm celebrans, ſuo tum verbo, tum exemplo, complures etiam alios in laudabilem pertraxerit ſequelam, ut dubium omninò nullum remaneat, Sacerdotem hunc, dupliciter reſuſcitatum, ſecundâ licèt vice mortuum, procurante tamen im-

immaculatâ Virgine, vitam in Cœleſtî Paradiſo vivere, nullâ morte extinguendam. *Raynaud. tom. 2. pag. 274. Robertus Gagninus Ord. SS. Trin. Miniſter General. de Concept. B. V.*

## §. 5. *Symbolum.*

19. MARIA aVIs paraDIsI, Carens Labe orIgInaLI.




Pulveris expertem quæris ſi fortè Volucrem?
En! Paradiſiacam (Pes ubi nullus) Avem.
Hæc dum continuò tenet alta. figura MARIÆ eſt,
Quæ nullo labis pulvere ſpurca fuit.

*Noſtra autem converſatio in Cœlis eſt.* Philipp. c. 3. verſ. 20.

## §. 6. *Antiquitas.*

20. HortVs CareDI sCotorVM RegIs.

CAredo Scotorum Regi, hortum fuiſſe aulicum, omnî deliciarum genere, ſlorum elegantiâ, fructuum ubertate, artificiorumque diverſitate inſtructiſſimum, poſteris transmiſit antiquitas. Sed, proh! fatales horti delicias, quæ coronato etiam capiti diadema detrahere, mortemque, dum minimè cogitatur, inferre non verentur. Sic nimirùm Caredo contigit, qui, cùm Regijs aliquandò curis quietem modicam interpoſiturus, in dictum ſe hortum reciperet; ac hinc indè deambulando, modò hoc, modò illud artificium, nunc hanc, nunc illam ſtatuam attentiùs conſideraret, inter alia pretioſa non minùs, quàm rara, imaginem quandam obſervavit, Deæ Cupidinis ſtatuam, recens à ſuis, quos conſtanter alebat, artificibus, ſummo ſtudio elaboratam. Speciòſum illa, manu ſiniſtrâ, referebat pomum, dexterâ arcum tenebat, quasì telum in quemcunque hoſtem eiaculatura. Statua porrò iſta tam ingenioſè erat adinventa, nemo ut arripere pomum poſſet, quin etiam, in pœnam tantæ curioſitatis, telo, eodemque venenoſo, configeretur. Hujus fatalis myſterij, ac periculi ſibi exinde imminentis, minimè conſcius Rex, vix pomum attrectat, cùm à telo tactus, ac miſerè confixus in terram deijcitur. Caſus haud multum illi abſimilis, quo prima Hominis innocentia, in horto Paradiſi corruit. Rex erat Adamus, nec horti tantùm à Divinâ manu ad omnem elegantiam inſtructi, ſed & omnium animantium, perfectus Dominus. Sed Ecce! tangit incautus porrectum ſibi ab Evà pomum, perguſtat fructum prohibitum, inficiens hoc modo, & configens, venenoſo originalis culpæ telo, omnem poſteritatem, ſolâ tamen exceptâ Deiparâ, cui appoſitè convenit illud Regij Pſaltis vaticinium: *Cadent à latere Tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad Te autem non appropinquabit.* Pſal. 90. v. 7.

## §. 7. *Anagramma.*

EVà ſeCVnDa, CharI AgnI Mater! 21.

*Eva ſecunda, agni immolati pura Mater!*
Verſio litteralis.
*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS IV.

### §. I. *Scripturâ.*

22. ConCepta, aDIVtorIVM.

Geneſ. c. 2. v. 18. *Faciamus ei adjutorium, ſimile ſibi.*

CReato jam primo homine, dixit Dominus Deus: *Non eſt bonum, hominem eſſe ſolum, faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Quod & actu perfecit, cùm è coſtâ Adami, Evam formavit, in omnibus, & per omnia, quantùm per naturam licuit, viro perſimilem.

Haud aliter, cùm DEUS decreviſſet, Filio ſuo unigenito, pro redimendo genere humano, aſſumendam eſſe carnem, ſimul etiam decrevit, & prædeſtinavit, quæ deberet ejus eſſe Mater, & redēptionis noſtræ cooperatrix, Maria ſcilicèt, quæ, ut ipſi, quantùm fieri poſſet, ſimillima eſſet, omnes eas dotes, & perfectiones, in illam contulit, quas nulli unquā creaturæ puræ ante contulerat. Porrò, ſi omnîs creaturæ perfectio ſita eſt, in ſimilitudine ſui creatoris, eoque cen ſetur perfectior, quò illi ſimilior, dubium non eſt, Mariam Chriſto Domino, cui in opere ſalutis noſtræ quaſi *adjutorium*, ſeu cooperatrix adjuncta eſt, præ omnibus alijs, fuiſſe ſimillimā, v.g. ſi Chriſtus Deus-Homo, Maria Virgo Mater, ſi Chriſtus *formā ſervi accipiēs*, Maria *Ancilla Domini &c.* (Philipp. ſ. 2. v. 7.) Atque adeò, ſicut ille fuit totus purus, & ſine peccati labe conceptus, ſic illam quoque, non quidem per naturam, & ex debito, (quod ſoli Filio competebat) ſed ex peculiarî gratiâ, & privilegio, ejuſdem Filij ſui, totam puram, & citrà omnem peccati maculam, fuiſſe conceptam, ſentiendum eſt. Favet huic conceptui præ reliquis S. Juſtinus Martyr, dum in expoſitione Fidei, hæc habet: *Verbum animadvertit, creaturam ſuam opus habere inſtauratione, & injungendas eſſe pœnas,* (tit. de Trinit.) *quas Adam per transgreſſionem incurrerat. Tunc de Cœlo ad nos deſcendit, & ad eam diſpenſationem, uſum eſt ſequeſtrâ, Virgine ſtirpis Davidicæ, ſicut illi Regi promiſſum fuerat.* Nec immeritò Sanctus hic Martyr, Mariam noſtræ reparationis ſequeſtram appellat: eſt enim ſequeſter, de quo contentio non eſt, & cujus cauſa non agitur, quaſì mediator, uti & illa inter Deum, & hominem, litis omnîs expers extitit, in quo ſe omninò ſimile Chriſto *adjutorium* oſtendit, de quo pariter Tertullianus ait: *Hic ſequeſter DEI, atque hominum appellatur, ex utriuſque partis depoſito commiſſo ſibi &c.* (lib. de reſurrect. carn.) Neque hìc ſilentio prætereundum, ſimillimum hoc Divini Filij *adjutorium*, Mariam, genito ſuo, mundi redemptori, agno per omnia immaculato, non abſque myſterij ratione, in ſuâ etiam morte præſentem aſtitiſſe, cùm præſentiæ hujus aliam cauſam minimè reperiamus, niſi, ut feliciſſima humani generis reparatio, deplorabili mundi ruinæ correſponderet; Quemadmodùm enim, ſub arbore ſcientiæ boni, & mali, in primo illo Paradiſo, prævaricatori Adamo mox ſocia adfuit, & coadjutrix Eva, infelix transgreſſionis *adjutorium*, quæ prior malum malè deguſtans, idipſum Adamo quoque marito obtulit, eâ ipsâ prorsùs ratione in Paradiſo Montis Calvariæ, cùm ſecundus, & Cœleſtis Adamus, ſub arbore vitæ, Sanctiſſimo Crucis ligno, mundum redimere ſtatuiſſet, neque ipſi videbatur bonum, eſſe ſolum, ſed ſociam habere voluit Agnus innocentiſſimus, immaculatus, Evam innocentiſſimam, immaculatam, non morientium, ſed viventium Matrem. Quòd ſi Eva illa, prima mater fuit in interitum, fuit Maria mater in vitam, ſi illa coadjutrix ad perditionem, Maria cooperatrix ad redemptionem, ut non aliter redemptos nos

eſſe,

eſſe, ac vitæ æternæ reſtitutos, fateri oporteat, quàm per Chriſtum, ſecundum Adamum, ut ſalvatorem, per MARIAM autem, ut redemptionis *adjutorium*, & periclitantis hominis advocatam. Huc ergo peccatores, qui toties jam ſceleribus veſtris immaculatum de novo Agnũm mactâſtis, æterni Patris iram iterũ iterùmq; provocâſtis, animas veſtras, Chriſti ſanguine redẽptas, turpiſſimo Principis tenebrarum ſervitio transſcripſiſtis, Huc recurrite! Ecce! *adjutorium* Filio ſimillimum, MARIAM, ſine labe Conceptam! hæc pœnitentibus adjutorium impendet, hæc reconciliationis coadjutricem aget, hæc in omnibus, & per omnia, ſceleratos reddet juſtis perſimiles, poſtque ſeriam maculoſæ vitæ emendationem, Paradiſi Cœleſtis efficiet cohæredes.

## §. 2. *Authoritas.*

23. B. AMaDæVs ConCeptIonIs faVtor.

*Eva infecta eſt veneno lethalî, quod transfudit ad poſteros, Maria infuſa vitalî antidoto, quod fidelis transmiſit ad univerſos: corruit illa malè credula ſerpenti, ſurrexit iſta, & juxta verbum, quod dixerat DEUS in Geneſî, contrivit caput ſerpentis.* Homil. 7. de laud. Virg.

## §. 3. *Ratio.*

24. Mater, aC proLes, parI prærogatIVâ, & Lege gaVDent.

JUxta L. *in Sacris C. de proximis Sacrorum Scriniorum* L. 12. ſtatuitur, Filios, & Conjuges eodem Privilegio gaudere, quo parentes, & viri. Ergo Beatiſſima Virgo debuit eſſe exempta à peccato Originalî. Conſeq. probatur. Certum eſt, & evidens, Filium, nempe Chriſtum Dominum, eò quòd non deſcenderit ex Adamo, per ſeminalem propagationem, habuiſſe privilegium exemptionis, à peccato originalî. Ergò ſi Beata Virgo MARIA hanc exemptionem non habuiſſet, clarè conſtat, illam non gaviſam fuiſſe eâdem prærogativâ, & lege cum Filio ſuo.

## §. 4. *Hiſtoria.*

25. phILIppVs TertIVs, ReX HIſpanIæ, & MargarethaVXor eIVs, VIrgInI ILLIbatæ DeVotI.

REgem ſiſto Hiſpaniæ, & Indiarum, Philippum tertium, erga Beatiſſimam DEI genitricem devotiſſimum, præterquàm enim, quòd Anno 1594. miraculoſæ cuidam imagini, in valle Verenâ, in Eccleſiâ Patrum Benedictinorum aſſervatæ, duas, ex auro puriſſimo, pretioſiſſimas impoſuerit coronas, inſuper, cùm parvuli in Hiſpaniâ, ex Divino inſtinctu, per publicas plateas, decantare inciperent, MARIAM ſine labe fuiſſe conceptam, adeò deſuper gaviſus fuit, ac animatus, ut peculiares mox Romam nuntios ablegârit, tantùmque apud ſedem Pontificiam impetrârit, ut per ſpecialem Bullam, Anno 1617. 12. Septembris publicatam, Paulus V. prohibuerit, ne quisquam imposterùm auderet, in publicis concionibus, diſputationibus &c. ſiniſtram de MARIÆ Conceptione ſententiam tueri, aut proponere. Hanc inſuper vocem, tanti ſanguinis faſtigio digniſſimam, Philippus edidit: *Si inquit, neceſſarium omninò putarem, me Romæ adeſſe, & ad ſanctiſſimi Patris pedes provolvi, ut pro Virginis Mariæ originalî juſtitiâ, extremam ſententiam ferre, & cauſam, per Spiritûs Sancti aſſiſtentiam, definire, ac determinare vellet, quamprimùm fieri poſſet, alijs quibuscunque rebus poſthabitis, cunctisque difficultatibus ſuperatis, Romam contenderem, & ſanctiſſimo Patri me ſiſterem.* O dignam orthodoxo Principe vocem! dignam Auſtriaco ſanguine! Sed & Regia ejus Conjux, Margaretha Auſtriaca, paris erat in puram Conceptionem teneritudinis, quæ inter alia, ex hac pijſſimâ, & omnibus prægnantibus imitandâ conſuetudine ſatìs eſt colligenda, quòd quotiescunque tempus pariendi adveniret, mox fructum ventris puriſſimæ Virgini magno devotionis affectu obtulerit, ejusque maternum auxilium, & aſſiſtentiam, multis precibus implorârit: prætereà novem dierum inſti-

tutis comprecationibus, ad diverſas Deiparæ Eccleſias, per novem decantata Miſſarum ſolennia, totidem diverſarum ejusdem Feſtivitatum devotam egerit memoriam, ita, ut primo loco tanquàm immaculatè Concepta, 2°. ut nata, 3°. ut in Templo præſentata, 4°. ut ab Angelo ſalutata, 5°. ut viſitata, 6°. ut expectans nativitatem, 7°. ut parturiens, 8°. ut purificata, 9°. ut in Cœlos aſſumpta, in auxilium vocaretur. Ex quo utique ſingularis pijſſimæ Reginæ in immaculatam Conceptionem devotio ſatis conſtat, quia primo loco, eam non aliter, quàm mediante hujus ſpecialiſſimi privilegij recordatione, in auxilium vocare voluit, quâ etiam opem ferente, ſemper feliciſſimè eſt enixa. *Calendar. B. V. Franc. de la Croix, in hort. Mar. art. 3. c. 1. Anton. Vaſconcell.*

## §. 5. *Symbolum.*

26. TaCtâ Vnâ TeſtVDIne, aMbæ parIter Conſonant.




Tacta dat una ſonum Teſtudo, ſed altera concors,
Tacta licèt nunquam, reddit & illa ſonum.
Dum maculæ accuſas genitricem, tangitur una:
Dat genitus, velutì tactus & Ille, ſonum

*Qui enim tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Zach. c. 2. v. 8..

* *
*

## §. 6. *Antiquitas.*

AChILLes, à ThetIDe Matre ſVâ roboratVs. 27.

Achillem, Pelei ex Thetide Filium, in bello Trojano præclariſſimè ſe geſſiſſe, ex eo abundè conſtat, quòd præconem præſtantiſſimum habere meruerit Homerum. Hunc, inter cætera, refetunt, à Thetide matre ſuâ, adhuc infantem, ſtygijs fuiſſe aquis immerſum, atque exinde adeò roboratum, ut factus omninò invulnerabilis, omnia tela, quibus corpus quandoque ſuum ab hoſtibus petebatur, illæſus retunderet, nec ulla pars corporis vulneribus eſſet obnoxia, eâ ſolummodò pedis exceptâ, quâ comprehenſus, dum ablueretur, à Matre Thetide fuerat.

Idipſum, quod de Achille Filio, à Thetide genitrice roborato, ſomniant Poëtæ, hoc ego de MARIA Matre, à Chriſto Filio ſuo roboratâ, non ſomniando, recenſeo: ſicut enim pijſſimâ fide communiter creditur, MARIAM in bello illo, non Trojano, ſed Paradiſiaco, hominem inter, ac ſerpentem exorto, præclariſſimè ſe geſſiſſe, ac cæſis reliquis ſolam triumphâſſe, adeò ut præconem habere meruerit, non præſtantem quendam Homerum, ſed ſponſum ipſum Cœleſtem, his verbis eam deprædicantem: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in Te.* Cant. 4. v. 7, ita inſuper aſſerere audeo, quòd ea non tantùm adhuc infans, ſed vixdum concepta, in illo ipſo nimirùm Conceptionis momento, fuerit à DEO imerſa, non aquis quidem ſtygijs, ut Achilles, ſed aquis gratiarum Cœleſtibus, aut, ut meliùs loquar, pretioſiſſimo ſanguini Chriſti, ex Divinâ præſcientiâ, & præordinatione, pro totius humani generis ſalute aliquandò ex Sacratiſſimis ejus vulneribus effundendo, cujus prævisis meritis adeò fuit, jam tùm, roborata, ac invulnerabilis effecta, ut omnia infernalîs ſerpentis tela, ac intentatas orci machinationes, facillimè eluſerit, omnîque ex parte, ipſo etiam pede, ſive primo in mundum ingreſſu, illæſa gloriosè retuderit.

Gellius l. 1. c. 11.

§. An-

28. *§. 7. Anagramma.*

ConCepta,
Magnes DIVInVs.

*Magnes cordium, vita animae, tela pura!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS V.

### §. I. *Scriptura.*

29. PVra DEI Mater, Conterens CapVt ſerpentIs.

Geneſ. c. 3. v. 15. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem, & ſemen tuum, & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum.*

QUænam eſt illa mulier, niſi *Benedicta in mulieribus*, Virgo Deipara? hæc enimverò communis eſt SS. Patrum, ac præſertim D. noſtri Ruperti Tuitienſis opinio: *Beata MARIA*, ait ille, *mulier iſta eſt, inter quam, & ſerpentem, inimicitias ſe poſiturum eſſe dixit, & poſuit DEUS.* (lib. 5. tract. 9.) Hæc mulier perpetua ſerpentis infernalîs inimica, ab ipſo ſtatim Conceptionis ſuæ exordio, caput beſtiæ adeò repreſſit, ut venenum orginalîs peccati in ipſam, Divinitùs præſervatam, transfundere nullatenùs potuerit. Quamvìs enim ad hujuſcé lucis uſuram necdum veniſſet, nec hoſtem aliquandò conſpexiſſet, eam tamen diaboli jam tum victricem DEUS ſpecialiter voluit, ſic ſuperbiam Angeli refugæ mulctaturus, ut humiliorî ſexu ſuperbientem Angeli deſertoris faſtum protinùs inclinaret; Cujus præ, tereà Heroinæ glorioſiſſimæ ſemen Virgineum, Chriſtus JESUS, ſerpenti huic ultimum exitiale bellum indixit, ac *attritus propter ſcelera noſtra*, (Iſaiæ c. 53 v. 5.) penitùs contrivit, inque Cruce, ſerpentis ænei ad inſtar, ſuſpenſus, propriâ morte glorioſam de inimico victoriam obtinuit. Audiatur hic D. noſter Bernardus, feliciſſimus Chriſti ex Mariâ collactaneus: *Cui hæc*, inquit, *ſervata victoria eſt, niſi Mariæ? ipſa procul dubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni ſuggeſtionem, tam de carnis illecebrâ, quàm de mentis ſuperbiâ deduxit ad nihilum.* (Hom. 2. ſuper. miſſus.) En mulierem, ſerpentis inimicam!

Sed duo hìc occurrunt dubia: primò quidẽ, cur *inimicitias* in pluralî ſe poſiturum, inter mulierem, & ſerpentem, DEUS prænuntiet? ſecundò: cur contritura *caput* ſerpentis, & non potiùs pectus, caudam, ſeu collum MARIA dicatur? Primum quod attinet, habent, O Virgo! aliqui *inimicitiam* cum diabolo, at non *inimicitias*, habent inquàm, inimicitiam adversùs actuale peccatum, non habent etiam inimicitiam adversùs originale, quippe aut concepti, aut nati in illo; non habent igitur *inimicitias*: at Tu, O Virgo beatiſſima! non unam habes inimicitiam cum diabolo, ſed omnes, & adversùs omnia peccatorum genera, actualia, originaria, lethifera, venialia; abſolutè igitur cum ſerpente infernalî omnes, & æternas quidem geris *inimicitias*, ita conteſtante, abinitio ſtatim creatarum rerum, Creatore ipſo, ut toti pateat mundo, omnium Te macularum immunem eſſe, puriſſimã eſſe, eſſe intaminatiſſimam. Ut autem ſecundo pariter dubio ſatisfiat, ſciendum, calcâſſe quidem aliquos caudam ſerpentis eos ſcilicet, qui ad vitæ finem de peccatis, cum bono latrone, pœnitentiam agentes, ſalutem obtinuêre, alios in mediâ ætate conſtitutos cum Magdalenâ, Matthæo, Afrâ &c. ſcelera deplorantes, ſerpentis pectus contriviſſe, alios prætereà, quamvìs pauciſſimos, e. g. Baptiſtam, Jeremiam &c. collum venenoſum fortiter ſtringendo, aſpidẽ in-

interemiſſe, utpotè in ipſo jam matris utero ſanctificatos: cùm interim MARIA, Amazonum omnium Princeps valoroſiſſima, ſola ex omnibus, ſerpentis *caput* invaſerit, ac materno vixdum utero inſinuata, in primo Conceptionis ſuæ momento, Divinæ gratiæ auxilio validiſſimè roborata, generoſo pede, infernalem Draconem fortiter contriverit, eumque, qui veneno illam originalî mox erat aſperſurus, viriliter repreſſerit, ac glorioſiſſimè conquaſsârit. Quod perbenè intelligens magnum illud Eccleſiæ lumen, Auguſtinus, hæc ſcripta reliquit: *Cùm ſubjectio originalîs peccati caput ſit diaboli, tale caput MARIA contrivit, quia nulla peccati ſubjectio ingreſſum habuit in animam Virginis, & ideò ab omnî maculâ imunis fuit.* Porrò ut hujus Triumphatricis, pro viribus, imitatores efficiamur, ponamus inimicitiam, inter nos, & peccatum, nec inimicitiam tantùm, ſed inimicitias, inter peccata nimirùm quæcunque, non mortalia tantùm, ſed & venialia, opponamus nos hoſti, ipſo in capite, quamprimùm tentationibus reſiſtendo, occaſiones fugiendo &c. perque contritiones peccatorum quotidianas, inimicum caput conterendo.

lib. 12. de Geneſ. ad literam.

## §. 2. *Authoritas.*

30. S. AMbrosIVs ConCeptæ DeIparæ propVgnator.

1. *Nec mirum, ſi Dominus redempturus mundum, operationem ſuam inchoavit à Matre, ut per quam ſalus omnibus parabatur, eadem prima fructum ſalutis hauriret ex pignore.* in c. 1. Luc.
2. *Generationis meæ in te privilegium recognoſco, quem nulla potuit macula inquinare peccati.* In Pſal. 40.
3. *DEUS in medio ejus, non comovebitur, nec commotus eſt, quia nullius peccati prolapſione Maria contaminata eſt. Commovetur verò Deus, ubi aliquis graviùs peccat, ut ab eo tranſeat; unde & Adæ peccanti deambulare viſus eſt.* In Pſal. 45.
4. *MARIA eſt Virga, in qua nec nodus originalîs, nec cortex actualîs culpæ fuit.* Serm. de Gabaonitis.
5. *Prima omnium electorum, in puritate majorî, ac maximâ poſt DEUM conſtituta.* l. 2. de Virg.
6. *Suſcipe me, non ex Evâ, ſed ex Mariâ, ut incorrupta ſit Virgo. Virgo per gratiam, integra ab omnî labe peccati.* Serm. 22. in Pſal. 118.

## §. 3. *Ratio.*

QVI nVLLVM aCtVaLe ContraXIſſe perhIbetVr, parIter CVLpæ orIgInaLIs eXpers CenſetVr. 31.

JUxta Auguſtinum l. 5. contra Jul. c. 9. *qui grandioris ætatis peccatum actuale non commiſit, in infantilî ætate, nec originale contraxiſſe cenſendus eſt.* Atqui B. V. juxta Concil. Trid. nullum actuale, nec minimum quidem veniale commiſit, quod etiam idem Auguſtinus l. de nat. & grat. c. 46. confirmat, qui de B. Virgine propter honorem Chriſti, cùm de peccatis agitur, nullam prorſus vult habere quæſtionem. Ergo B. Virgo, in infantilî ætate, peccatum originale non contraxit.

## §. 4. *Hiſtoria.*

ConCIonator, horrenDâ Morte pVnItVs. 32.

DIcebat fortè pro concione pomeridianâ, Ordinis cujusdam in Alemaniâ Religioſus, nec aliud ipſi erat dictionis argumentum, quàm ut immaculatam Deiparæ Conceptionem pro viribus impugnare, atque auditores ſuos à piâ illâ opinione avertere poſſet, quod, ut tantò obtineret ſecuriùs, verbis pondus additurus, ſibi ipſi eſt imprecatus: optare ſe, ut, ſi verum non dixiſſet, affirmando, Mariam in originalî peccato conceptam, Divina illum Juſtitia, eâdem die, malâ morte puniret. Quid agis miſer? hícne verbum Divinum auditoribus proponendi, ac perſuadendi modus? an non times ultorem à tergo DEUM, cujus Matri, tam improbo Sermone, pretioſiſſimam abripis in conceptione innocentiam? verùm quid meas curat increpationes ſuperbus detractor? finit ille eâ, qua cœperat, impudentiâ, Sermonem non

niſi

ſine magno complurium ſcandalo, ac indignatione, moxque ad perſolvendas, cum alijs confratribus, veſperas chorum ſubintrat. Et ecce! horrenda, in ipsâ Fratrum coronâ, exhibetur Tragedia: Prologum agit enormis lupus, qui per mediam populi multitudinem, feſtino curſu penetrans, totum tribus vicibus circumgyrat Chorum, Fratresque ſingulos, horribilî aſpectu, ſucceſſivè conſiderans, ingentî tandem impetu illum ipſum invadit, qui paulò ante ſibi, ſi falſum dixiſſet, malam mortem fuerat imprecatus; hunc ergo, Numine ſic permittente, ac illatam imaculatæ Matri injuriam vindicante, in omnium præſentiâ, crudeliſſimè ſuffocat, ac omnî pœnitentiæ ſpatio denegato, infelicem animam extrudit, abſolutâ autem terrificâ hac ſcenâ, eâdem, quâ advenerat, celeritate aufugiens, nunquam ampliùs comparuit. *Bernardin. de Buſti Serm. 7. de Concept.*

## §. 5. *Symbolum.*

33. LoCVſta, ſerpenteM aggreDI, & pVngere soLIta.




Lethiferum aggreditur colubrum generoſa Locuſta,
Serpentis nocuum pungere docta caput.
Momento aggreditur primo, concepta MARIA
Serpentem, maculæ docta ferire caput.
*Ipſa conteret caput tuum.* ut ſuprà.

## §. 6. *Antiquitas.*

AqVæ ſtIJgIs FLVMInIs, VasI aLICVI InfVsæ, hoC Certè ConfrIngent, nIsI VngVLa eqVI InIICIatVr. 34.

AQuam ſtygis Fluminis, à ſingularî naturæ miraculo, hunc in modum, celebrat Pauſanias, *in Arcadicis lib. 8.* ait enim, Aquam illam è præcelsâ rupe guttatim decidentem, mortiferam eſſe, non cuivis tantùm animantium, ſed & ipſi homini. Ubi illud prætereà notandum, vaſa & pocula omnia, quâcunque ex materiâ ſint, ſive vitrea, aut cryſtallina, ſive fictilia, aut lapidea, quin etiam ex ferro, ære, plumbo, argento, imò, & auro, ſi dicta infundatur aqua, certocertiùs confringenda eſſe, quòd ſi tamen ungula equi tali vaſi inijciatur, hâc ſolâ virolentam aquæ virtutem adeò continendam, ut vaſculum findi non poſſit. Sic Pauſanias, penes quem ſit hujus rei fides.

Porrò ſtyx (quæ in fabulis Filia Oceani, Mater Hydræ, monſtri centum capitum, communiter perhibetur) peccatū originale ſignificat, è cujus utero centiceps hydra naſcitur, hoc eſt, omne peccatū. Lues ergo iſta originalis, velut è præruptâ *petrâ, unde exciſi ſumus omnes*, id eſt, ex Adamo, quaſi guttatim decidit in omnes homines, proprium in ſingulos, frangitq; vaſa prorsùs omnia, ſola tamen equi ungula reſiſtit veneno, MARIA ſcilicèt; quemadmodùm enim *equus albus* Apoc. 6. v. 2. Chriſtum ſignificat, mundum ab omni peccato, quid nì munda quoque ſit ungula equi, Beatiſſima ejus mater? ſcire nimirùm oportet, per *ungulam equi*, juxta S. Gregorium, *Lib. 31. moral. c. 22.* intelligi *perfectionem virtutum*, quæ perfectio nulli utique alteri excellentiùs competit, quàm MARIÆ, de quâ cant. 6. v. 8. *Una eſt columba mea, perfecta mea*; nam, dum, per Antonomaſiam, Maria *perfecta* dicitur, vas omnî tempore, etiam in ipsâ conceptione, intemeratum comprobatur.

Iſaiæ 51. v. 1.

§. 7.

§. 7. *Anagramma.*

35. ALto RegI aMICa, IanVa InſIg-
nIs, DIſtans à Labe.

*Alto Regi amica, Tu Janua ſemper munda!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS VI.

§. I. *Scriptura.*

36. ArCa NoeMItICa, sVper
VnDas.

Geneſ. c. 7. v. 18. *Porrò Arca ferebatur ſuper aquas.*

Cùm omnis jam caro, ſceleribus turpiter immerſa, corrupiſſet viam ſuam, univerſaque terra abominandis fuiſſet iniquitatibus repleta, æquiſſimus meritorum præmiator, malorumque vindex Deus, mundum adeò iñundum univerſalî diluvio mundaturus, Arcam à Noemo confici juſſit, quam ſubintrans juſtiſſimus hic Patriarcha, cum ſuorum aliquot, conſervaretur illæſus. Inundantibus ergò vehementer diluvij aquis, ſola arca, naufragantis mundi onuſta reliquijs, unica compendiati totius generis humani habitatio, ſola in ſalo ſalus, Noemi, & ſuorum oneraria, indomitas undas felix inambulabat, juxta illud ſcripturæ: *Porrò Arca ferebatur ſuper aquas*, licèt ipſi etiam excelſi montes univerſi penitùs fuerint operti, omniſque reliqua caro conſumpta, donec enubilato tandem furore, Nemeſis, exhauſtis abyſſi fontibus, extinctiſque per diluvium ultionis Divinæ flammis, paſſa eſt, demerſis omnibus, terram emergere, & ſuffocatis flagitijs, emundatum orbem denuò inhabitare.

*Arca* illa *Noemitica ſuper undas* feliciter inambulans, Beatiſſimam Dei genitricem pulcherrimè repræſentabat, cum hoc ſolo diſcrimine, ab Heſychio, Jeroſolymitano Presbytero, annotato: *Illa*, ait, *erat animalium arca, hæc autem arca vitæ, illa corruptibilium animalium, iſta verò vitæ incorruptibilis, illa ipſum Noe, hæc verò ipſius Noe factorem portavit.* (Hom. 2. de Virg.) Hæc arca Virginea, ab ipſomet Divino Noe, non per centum tantùm annos elaborata, ſed *negotium ſæculorum*, univerſo humano genere originalî culpâ inquinato, æternique diluvij pœnis obnoxio, ſola ab univerſalî aquarum exundantium cataclisмo immunis *ferebatur ſuper aquas*, id eſt, ſola originalis expers, angelis purior, altior univerſis, in ſublimî gradu primæ innocentiæ ſubſtitit, licèt ipſi etiam excelſi Montes, id eſt, ſanctiſſimi cæteroquin homines, Patriarchæ, Prophetæ, Apoſtoli &c. & reliqui univerſi fuerint aliquandò hoc originalî diluvio cooperti. Elevata eſt nimirùm arca illa Deifera in ſublime, exaltata eſt in montes gratiarum, in cacumen unius puriſſimæ prærogativæ, & *ferebatur ſuper aquas* immundi hujus mundi, & puritatis primigeniæ. Sicut autem arca illa, veteris teſtamenti, adeò fuit ſublimata, & præſervata, eò, quòd intraverit in eam juſtus Noe, novus impoſterùm orbis parens futurus, ſic etiam ſublimata, & ab omnî labis diluvio præſervata eſt Virgo Beatiſſima, eò, quòd in illam poſtmodùm ſubintrare decreverit, *juſtus Dominus*, Verbum Patris, ſol juſtitiæ, futurus mundi univerſi redemptor, ac reformator. Quamobrem Vates regius optimè pſallebat: *Veruntamèn in diluvio aquarum multarum, ad eam non approximabunt.* (Pſal. 31. v. 8.) Notandum hìc occurrit, Arcam illam Noemiticam, Rabinorũ teſtimonio, cryſtallinam habuiſſe feneſtram, per quam lux neceſſaria ingrediebatur, ita tamen clauſam, ut nec guttula diluvij penetrare potuerit. Et quis adeò lumine eſt deſtitutus, ut non videat, talem feneſtram, ipſam fuiſſe immaculatam Deiparæ Virginis

Con-

Conceptionem? utpote, quæ in primo jam creationis ſuæ momento lucidiſſima, Spiritûs Sancti lumine undequaque illuſtrata, ita clauſa fuit, & cuſtodita, ne guttula quidem univerſalîs diluvij, ſeu minima communîs delicti participatio, illam penetrare potuerit. Fecit ergo, ex Divino mandato, venerandus ſenex arcam hanc, ante diluvium, quâ inundantibus poſteà ultricibus aquis, conſervaretur humanum genus, fuitque illa bitumine oblita, ne fatiſceret, & hauſtis paulatim aquis denique ſubſideret: parvâ quoque, ut diximus, feneſtellâ deſuper illuminata. Haud aliter Arca noſtra myſtica, Virgo Deipara; ſi enim Arca illa ſervandis erat viventibus cõſtructa, hæc univerſo humano generi ſalvando ædificata, ſi illa bitumine contecta, hæc charitate undiq; inflamata, ſi illa deſuper illuſtrata, hæc *radius* ipſa *Deitatis*, à radio ſolis intelligibilîs irradiata: ſi illa deniq; à ſubmerſione libera, hæc à peccato omnî præſervata. Ad hanc igitur Arcã, quotquot, ob commiſſa ſcelera, *in maligno poſiti*, malum ignem, æternasque infernalîs diluvij pœnas pertimeſcimus, maturè confugiamus, ut per hanc, delictorum veniam ab irato Numine impetrantes, undis illis fatalibus ſuperiores evadamus, ac mediante Marianâ hac Arcâ, ſubſidere tandem in *Monte*, *qui Chriſtus eſt*, valeamus.

Bern. ſuper ſalves.

### §. 2. *Authoritas.*

37. S. AMphILoChIVs ConCeptæ CVLtor, aC proteCtor.

*Quid ſtulte à veritate diſſentis? qui enim antiquã illam Virginem ſine probro condidit, & ſecundam ſine notâ, & crimine fabricatus eſt.* Orat. 4. in Deiparam, à R. P. Franc. Combeſi Dominicano in latinum translatâ. fol. 42.

### §. 3. *Ratio.*

38. MatrIs InopIa, affLVentI FILIo InDeCora.

Juxta L. *Siquis.* §. *ſi impubes.* ff. de agnoſcendis liberis: *Iniquiſſimum eſt, Patrem, vel Matrem egere, cujus Filius in facultatibus eſt.* Ergò Beat.[ma] Virgo nequit fuiſſe concepta in peccato originalî. Conſeq. prob. Quid æquitati, jurique naturali magìs diſſonum excogitari poteſt, quàm ditiſſimum, & potentiſſimum Filium, Matrem ſuam unicè dilectam, à ſummâ egeſtate, ſimulque ab infenſiſſimi hoſtîs poteſtate, & Tyrannide non præſervare? ſed habere peccatum originale, eſt eſſe redactum in ſummam egeſtatem, nempè privationem omnium donorum, & dotum ſupernaturalium: eſt eſſe excluſum à jure hæreditatis paternæ, nempe æternæ: eſt eſſe conſtitutum in infernalîs, & infenſiſſimi noſtri hoſtîs poteſtate, & imperio. Ergò rationi naturali repugnantius excogitari nil poteſt, quàm quòd Beata Virgo incurrerit peccatum originale, & quòd æterni Patris Filius, in quo omnes Sapientiæ, ſcientiæ, ac omnipotentiæ theſauri abſconditi ſunt, cujus poſſe eſt velle, velle bonitas, & juſtitia, ſuam unicè dilectam Matrem à peccato originalî non præſervârit: Atqui, quæ æquitati naturali repugnant, abſolutè nequeunt eſſe in Deo: ergò abſolutè nequit eſſe Maria concepta in peccato originalî.

### §. 4. *Hiſtoria.*

DeIparæ ILLIbatæ, VtILIs ImpLoratIo. 39.

Obtinuerat ſuis à Superioribus licẽtiam, Religioſus Frater, Clemens de Claris, ex Ord. S. Franciſci, ad certum quendam pagum procedendi, tùm, ut Solenni Conceptionis Feſto, quod ſummâ ibidem celebritate per annos ſingulos agebatur, intereſſe, tùm etiam conſanguineos quosdam ſuos, ibi habitantes, pro aliquo illorum ſolatio, viſitare poſſet. Huc quoque properabat dicti Fratris Clementis genitor, qui equo paulò inſolentiori inſidens, unà cum illo, ſuprà magnum Molendini cujusdam præcipitium decidit. Caſui huic periculoſiſſimo ſi quis ſpectator interfuiſſet, dixiſſet utique, actum eſſe de viri vitâ, aut ſaltem graviſſimo eum crurifragio conquaſſatum. Verùm longè aliter res ſe habuit: docuit nimirùm eventus, quàm

utilis ſit Deiparæ illibatæ imploratio. Invocaverat nempè vir ille admodùm devotus, in extremo hoc casûs periculo, Virginem Beatiſſimam, per immaculatam ejus conceptionem, cujus tùm agebatur pervigilium; hinc mirabiliter, unà cum equo, evaſit incolumis, ac ſine omnî læſione, ſupernaturalî adjutus ope, denuò ad culmen aſcendit, cùm tamen, præ casûs altitudine, ipſa etiam, cui inſederat, ſella, in duas partes per medium ſciſſa videretur. Tam feliciter ergò per immaculatam Dei genitricem liberatus, lætus cum alijs ad pagum pervenit, narrans, quod ipſi contigerat à Virgine, beneficium. Hinc alterâ die, celebritas ejus Sanctiſſimæ Conceptionis, ſummâ ab omnibus devotione, eſt geſta, laudibusque tam gratioſæ matri jugiter perſolutis, reliquus dies, in omnî religiosâ lætitiâ, ac optatæ converſationis ſuavitate conſumptus. *Bernardin. de Buſti Serm. 6. de Concept.*

## §. 5. *Symbolum.*

40. sIrenVM CantVs non noCet DeIparæ.




Dum dulcî interitum cantu parat improba Siren;
Aures claude tuas! non nocet illa tibi.
Dum dulcî alloquio Serpens quoque decipit Evam,
Occluſâ Matri non nocet aure DEI.

*Sepi aures tuas ſpinis.* Eccli. c. 28. v. 28.

## §. 6. *Antiquitas.*

CLoeLIa RoMana, perVnDas effVgIens. 41.

POrſenâ, celebrî illo Belli-Duce, ex Hetruriâ, Romam ingentî militum exercitu petente, atque Urbem dirâ obſidione premente, Romani decem illi Virgines, formâ præcellentes, in obſides ſubmiſerunt, quibus in Porſenæ caſtris benignè exceptis, ac honeſtè ſuſtentatis, licitum inſuper eisdem voluit, certis temporibus, ad ripam fluminis progredi, ſuaque pro libitu corpora abluere. Pergunt illæ, die quâdam, longiùs à caſtris, ad Fluvium aliquem pergrandem: cùm ecce! una ex illis, Cloelia nomine, cæteris generoſior, reliquas hortatur, in Fluvium ſeſe unà immittant, eumque tranatantes, Romam denuò gloriosè revertantur. Erat quidem Fluvius latus, præceps, plenusque periculis: hoc tamen non abſterrente, audent Virgines generoſam per undas fugam, ac Cloeliâ duce, dictum Fluvium intrepidè tranatantes, quamvìs non ſine magno labore, effugiunt, Romamque feliciter ad propria perveniunt. Admirantur ſummè, generoſum hoc puellarum factum Romani, nihilominùs conſultiſſimum ipſis videbatur, eas denuò Porſenæ Duci remittere; quo facto, obſtupeſcens ille tantam in Romanis Virginibus generoſitatem, quænam tam periculoſæ fugæ auctrix, ac dux fuiſſet? curiosè ſciſcitatur. Cui Cloelia: Se equidem fuiſſe illam, primamque tranatâſſe, intrepidè reſpondit. Hinc Borſena mox pretioſum adduci equum curavit, quo eidem in donum oblato, inſinuare voluit, Cor Cloeliæ virilî potiùs virtute, quàm muliebrî trepidatione præditum eſſe. Hoc porrò factum eò permovit Romanos, ut æneam in Urbe ſtatuam, ad æternam rei memoriam, erexerint, inſidentem generoſo equo Cloeliam repræſentantem. *Livius, Decad. 1. ab urbe cond. l. 1. & 2. Dionyſ. l. 5. c. 31.* Si ego mundum hunc univerſum magno cuidam Fluvio, vel po-

potiùs mari vaſtiſſimo comparavero, juxta illud Pſalmiſtæ : *Hoc mare magnum, & ſpatioſum* Pſal. 103. v. 25. non errabo; in hoc enim mare omnes Adæ filij, per hæreditariam protoparentis labem, incidentes, miſerè ſtatim ab initio ſubmerſi fuêre, nemine prorsùs evadente, præter unicam Cœleſtem Cloeliam, Virginem Beatiſſimam, immaculatam Numinis genitricem. Hæc enimverò ſola, per medias turbidi maris procellas, ab omnî peccato ſervata, gloriari poterat : *Gyrum Cœli circuivi ſola, & profundum abyſſi penetravi, & in fluctibus maris ambulavi.* Eccle. 24. v. 8. Si ergò Romani, in memoriam Cloeliæ ſuæ, pretioſiſſimam erexerunt ſtatuam, quidni & MARIÆ, noſtris in cordibus, perpetuam erigamus memoriam, ſingularîs devotionis, erga immaculatam ejus conceptionem ?

### §. 7. *Anagramma.*

ReglNa, à LVCtVoſâ poMI Labe Defenſa. 42.

*Regia nata, evadens luctum amari pomi!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS VII.

### §. I. *Scriptura.*

43. pVLChra nIMIs, haVDLæſa.

Geneſ. c. 12. v. 14. *Viderunt Ægyptij mulierem; quod eſſet pulchra nimis.*

INgreſſo quondam, cum dilectiſſimâ ſuâ uxore Sarai, Abrahamo Ægyptum, inſolita peregrinæ hujus mulieris ſpecies, formæque decor incomparabilis, adeò ſtatim omnium in ſe Ægyptiorum oculos rapuit, ut velociſſimo, ad ipſum Pharaonis Regis palatium, curſu contendentes Principes, miris alienam hanc pulchritudinem laudibus, pleno ore, deprædicârint. (v. 14. & ſeq.) *Cùm itaque* (ut ipſis Sacræ Scripturæ verbis rem enarrem) *ingreſſus eſſet Abram Ægyptum, viderunt Ægyptij mulierem, quòd eſſet pulchra nimis, & nuntiaverunt Principes Pharaoni, & laudaverunt eam apud illum, & ſublata eſt mulier in domum Pharaonis, Abram verò bene uſi ſunt, propter illam.*

Porrò, quam aliam præfigurare tunc poterat mulier illa, *pulchra nimis*, quàm Beatiſſimam Virginem MARIAM? quæ Sacris in canticis, haud immeritò (c. 1. v. 7.) *pulcherrima inter mulieres* celebratur, utpotè, quæ pulchritudinem ſuam originalem nullo unquam momento amiſit, animæque puritatem, nec originalî, nec actualî peccato labefactavit. Hanc proprijs aliquandò oculis conſpiciens S. Dionyſius Areopagita, O! quantis mox laudibus vix non Divinam ejus pulchritudinem concelebrare voluit? *Perſpexi*, ait, *atque proprijs oculis intuitus ſum, Deiformem, atque ſupra omnes Cœlicos Spiritus Sanctiſſimam Matrem Chriſti JESU, Domini noſtri.* (Epiſt. ad Paul. præceptorem.) *Ductus fui*, pergit ulteriùs, (ibid.) *ad Deiformem præſentiam altiſſimæ Virginis, & tantus me, tamque immenſus Divinus ſplendor circumfulſit, ut nec corpus infelix, nec Spiritus poſſet totius, ac tam æternæ felicitatis inſignia ſuſtinere.* Concludit denique : *Teſtor, qui aderat in Virgine DEUM, ſi tua Divina præcepta non me docuiſſent, hanc ego verum DEUM eſſe credidiſſem.* O pulchritudinem Virginis, infrà DEUM, nulli certè alteri comparandam! Quid ergo mirum, MARIAM cum Joſepho, Sponſo caſtiſſimo, eandem aliquando Ægyptum ingreſſam, vidiſſe quidem, ſed præ nimiâ Virgineæ pulchritudinis claritate excæcatos, non recepiſſe Ægyptios? quæ tamen à Cœleſtî Pharaone ſummè adamata, ſublata eſt tandem in domũ illius, & glorioſiſſimè in Cœlos aſſumpta,

pta, non Joſepho tantùm puriſſimo Sponſo, ſed & omnibus huic Virgini immaculatæ devotis, hodiedùm benigniſſimè habitis, propter illam. Verùm, ut ex hac ipsâ Deiparæ in Ægyptum profectione, immaculata ejusdem Conceptio meliùs innoteſcat, Hiſtoriam totam compendio percipite: Illuſus à Magis Herodes, irâ, & invidiâ accenſus, Regem verum Judæorum adhuc infantem formidabat, & ſollicitè ad perdendum quærebat, ne Regni injuſtam poſſeſſionem amitteret. Quid inde? apparuit Angelus in ſomnis Sanctiſſimo MARIÆ Sponſo Joſepho, dicens ei: *Surge, & accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi, uſque dum dicam tibi; Futurum eſt enim, ut Herodes quærat puerum, ad perdendum eum &c.* Liceat hìc quærere, cur, ſi Herodes JESUM infantem quærebat, & non matrem, admonetur Joſeph ab Angelo, ut ſecum ferat in Ægyptum Filium, & Matrem? Tota Tyranni Regis ſollicitudo erat, interficiendi Chriſtum, non occidendi MARIAM: nam illum formidabat, & è medio tollere cupiebat, vel Regni ambitione, vel timore tyrannidis, non Matrem: Quare ergo Joſepho præcipitur, ut ſimul cum Mariâ fugiat in Ægyptum? certè, quia, cùm Herodis furor Chriſtum quæreret, ut interficeret, eo non adinvento, ſi Matrem inveniret, furorem & rabiem in eam converteret, judicans idem eſſe, Matrem, ac Filium interficere. Fugiant itaque ambo, ne in Matre Rex impius audeat complere, quod cupiebat in Filio. Ad rem ergo noſtram: eo prorſus modo, ſi originalis culpa MARIAM maculâſſet, auderet præſumere (ſuperbè ſatis) etiam Chriſtum infeciſſe; ſic enim Chriſti, & MARIÆ communis eſt honor, eadem eſt gloria, inter utrumque tantâ eſt connexio, imo & *naturæ identitas* (ut cum Petro Damiano loquar) quòd contenta eſſet culpa, ſi MARIÆ pulchritudinem maculâſſet, putans, aliquo modo Chriſtum in Matre infeciſſe. Hanc ergo pulcherrimam, ſpecioſiſſimam, ac Deiformem virginem, caſto amore proſequamur, ut eâ mediante, ſordibus peccatorum abſterſis, pulchri, ac illæſi, ante conſpectum Filij ejus, comparere poſſimus.

Matth. c. 2. v. 13.

Serm. 1. de Nativ.

## §. 2. *Authoritas.*

### AnaſtasIVs sIJnaIta, DICens ILLIbataM. 44.

1. *Ex ſecundâ Evâ, Chriſtus tanquam ex lunâ plenâ, Mariâ, quæ nunquam imminuta fuit, aut defecit, aut privata fuit eſſentiali lumine.* l. 4. Anagog.
2. *Quis, dic mihi, ex hominibus, aut dæmonibus audebit dicere, quòd ea, quæ eſt ejusdem ſimul cum DEO eſſentiæ, quod ad carnem attinet, non ſit ad imaginem & ſimilitudinem ejus, qui ex ipsâ natus eſt? quomodò eſt Mater hujusmodi Filij, non ferens integram, & illæſam Filij ſui imaginem?* Lib. 6. Anagog. Quæſt.

## §. 3. *Ratio.*

### Labes orIgInarIa, VenIaLI MagIs InDeCens. 45.

Ex illo Cant. 4. *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in Te,* communiter probant Theologi, B. Virginem nunquam commiſiſſe peccatum veniale, ut docet D. Thom. in Summâ, & primo ſent. Atqui hoc magìs probat de peccato originalî. Ergò, ſi B. Virgo fuit ſine peccato veniali, multò magìs fuit ſine peccato originali. min. prob. quò quis habet majorem maculam, eò quis magìs dicitur maculatus: Ergò, ſi ex eo, quòd B. Virgo dicatur ſine maculâ, inferunt Theologi, eam eſſe ſine peccato veniali, multò magìs inferre debent, eam eſſe ſine peccato originalî, cùm hæc major ſit macula: hoc enim, & non illud tollit amicitiam DEI, hominemque æternæ pœnæ, ac damni reum efficit, atque ita compenſat, quod in ratione voluntarij minus habet. Confirmatur hocipſum ex Concil. Trid. quod Anathema dicit, aſſerentibus, Deiparam, vel venialiter, DEUM offendiſſe, ante Filium DEI conceptum; eò quòd impium foret dicere, DEUM à Matre, quæ venialem noxam aliquandò contraxiſſet,

car-

carnem ſumpſiſſe. Atqui magìs impium eſſet, aſſerere, Chriſtum ex eâ Matre carnem ſumpſiſſe, quæ majorem habuiſſet maculam veniali, ſicut eſt peccatum originale. Ergo in B. Virgine magìs eſſet indecens labes originaria, quàm venialis.


### §. 4. *Hiſtoria.*

46. InſpeCtâ DEI MatrIs effIgIe, VIrgo ILLæſa.

Cùm in expeditione Neapolitanâ, Anno Milleſimo, quingenteſimo Nonageſimo quinto, Carolus hujus nominis Octavus, Galliarum Rex, Italiæ im̃inens, puellam quandam admodùm ſpecioſam obſervâſſet, illicò in eam tam impuris exarſit ignibus, ut jubens eam ad ſe adduci, turpe jamjam crimen volenti nolenti Virgini inferre ſtatuerit. Expleſſet hìc utique Rex deteſtandam cum illâ libidinem, niſi, inſpectâ DEI Matris effigie, illæſa evaſiſſet; cùm enim ad Regium jam cubile vi perducta, animadverteret, ad lecti latus, Tabulam quandam puriſſimæ Virginis dependere, ſic Regem, generosâ modeſtiâ, eſt allocuta: Rex præpotens! Virginem Matrem reverere, cujus hìc tabulam intueris, obque ejus illibatum florem, meum tu ne decerpas! ſi me Virginem deperis, hanc omnibus alijs pulchriorem, quia immaculatè conceptam, Virginem aſpice! ejus tenero amori da pudorem illum meum, quem fœdo deluſus amore, ſtatuiſti miſerè delibare! Plura dixiſſet, niſi amaræ lachrymæ, ac devota erga Virginis imaginem ſuſpiria vocem intercluſiſſent. Et ecce! Rex, quantumvìs fœdo libidinis ardore hactenùs vehementiſſimè accenſus, mox, ut in Mariam immaculatam oculos direxit, Ejus adeò percitus eſt pulchritudine, ut alterius puellæ quaſi immemor, libidinem omnem ſenſerit perfectiſſimè extinctam, hancque puellam, pudicitiâ magìs, quam corporis pulchritudine commendabilem, caſtè veneratus, ſuis reddiderit illæſam, officium præterea extinctæ libidinis, ſibi ab eâ ſanctè exhibitum, Regiâ dote, puellæ præſtitâ, compenſârit. *Marcellin de Piſe in Feſto Concept,*

### §. 5. *Symbolum.*

VIrgInea nVMInIs genItrIX, In Ipſo ConCeptIonIs Inſtantl, à Labe pVra, CarbVnCVLVs, noCtV refVLgens. 47.




Fulmineo velutì Carbunculus igne refulget
Nocte, ſub obſcuris lumina dans tenebris.
Sic ſceleris primi mediâ jam nocte refulſit
Virgo parens, Geniti lumine plena ſui.

*Gemmula Carbunculi, in ornamento auri.* Eccli. c. 32. v. 7.

### §. 6. *Antiquitas.*

Matronæ eLegantIs ſtatVa, à Leone CVſtoDIta. 48.

Philippum Bonum, Burgundiæ Ducem, Anno Chriſti 1454. ſumptuoſiſſimum ſuis Proceribus apparâſſe convivium, complures referunt Scriptores, illud ſingulariter annotantes, inter alia Principalis Aulæ decora, & ornamenta, conſpiciendam fuiſſe Marmoream Matronæ elegantis ſtatuam, ex cujus uberibus, velutì duobus fontibus jugiter ſcaturientibus, varia viſa ſint vina, variæ item aquæ odoriferæ, admirabili ſucceſſione, promanare,

nare. Ad baſim columnæ, cui Matrona inſiſtebat, alligatus accubabat Leo, animalium Rex fortiſſimus, quaſi eidem ab omnî periculo defendendæ cuſtos exhibitus, quod ſcutum ex collo Belluæ pendulum ſatis exprimebat, hanc continens Epigraphen: *Nemo meam Dominam contingat!*

Nonnè hanc ſtatuam pulcherrimam, pulcherrimæ inter mulieres, Deiparæ figuram dixerimus? illius nimirùm Virginis, cujus caſtiſſima ubera, melle, & lacte Divini amoris, & gratiarum Cœleſtium, ac miſericordiarum tamdiù manârunt, & etiamnùm manant, in ſingulare Filiorum ſuorum ſolatium. Sed ecce! adeſt propè illam, imò intra Sacra ipſius viſcera aliquandò accubuit *Leo, de tribu Judâ*. Et quid ille? monet, clamat, rugit: *Nemo meam Dominum contingat!* Audis hoc infernalis ſerpens? cave tibi ab hoc Leone! audiſne ſinuoſe Draco hunc Leonis rugitum? audis invide Dæmon? audis inferne? audis Adami macula? accedite, ſi poteſtis, ſi audetis, ſi tentatis congredi cum hoc Leone! Sed *nemo meã Dominam contingat!* hæc vox eſt, hæc ſententia, hoc monitum Leonis, de tribu Judâ, fortiſſimi, qui ſuam ſic Virginem, ſuam Matrem cuſtodit. Timite igitur, qui aliter ſentitis, Leonem hunc vindicem, non is patietur inultam ſuæ Dominæ injuriam. Hinc nemo de illâ loquatur proboſè, nemo de illâ ſiniſtrè ſentiat, nemo affricet illi originariæ labis maculam &c.

### §. 7. *Anagramma.*

IntaCta à Væ MaLI, ab ADæ Labe pVra. 49.

*Intacta à Vae mali, Virgo ſemper munda!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS VIII.

### §. I. *Scriptura.*

50. Chara VIrgo, DoLoreM EVæ LenIens.

Geneſ. c. 24. v. 67. *In tantum dilexit eam, ut dolorem, qui ex morte Matris ejus acciderat, temperaret.*

Dimiſſo in Meſopotamiam cum pretioſo munerum apparatu, fideliſſimo Abraham Patriarchæ vernaculo, Eliezer, ad quærendam omnî ſollicitudine Virginem, quæ ejus eſſet tam meriti, quàm decoris, ut digna haberi poſſet, conſors fieri Filij Abrahæ Heri ſui, Iſaaci, occurrit tandem, Numine ſic diſponente, Re-
v. 16. becca, pudica admodùm Bathuelis filia, *puella* (ut Sacræ eam collaudant paginæ) *decora nimis, Virgoque pulcherrima, & incognita viro &c.* Hanc porrò ex oblato, non hominibus ſolùm, ſed & camelis potu, agnoſcens, ipſam eſſe mulierem, quam præparâſſet Dominus filio Domini ſui, ſingularî geſtiens gaudio, Bathuelem acceſſit, Filiam, oblatis ingentis pretij muneribus, in Iſaaci Sponſam expoſcens: nec magna adeſſe poterat difficultas, ubi Divina utrinque aderat præordinatio. Annuit igitur puella, ſi tamen parentes annuerent, nec recuſant illi, quod Divinitùs ipſis oblatum videbatur: fit valedictio, paternaque lachrymis intermixta benedictio: Abducitur à ſervo Rebecca, occurrit lætabundus Iſaac, *qui introduxit eam* (Sacrâ perhibente Hiſtoriâ) *in tabernaculum Saræ matris ſuæ, & accepit eam uxorem, & intantùm dilexit eam, ut dolorem qui ex morte matris ejus acciderat, temperaret.*

Haud

Haud aliter dignam Filio ſuo Divino Matrem, Virginem quandam præparaturus Pater æternus, ſive ſi aliter loqui placeat, Spiritus Sanctus eandem ſibi Virginem in Sponſam ab æterno aſſumpturus, Mariã ex millibus elegit, Sanctiſſimorum Parentum Joachimi, & Annæ, non minoris ſanctitatis filiam, puellam certè *decoram nimis, Virginemque pulcherrimam*, de quâ ipſe teſtimonium perhibet: *Pulchra es amica mea, ſuavis, & decora.* (Cant. 6. v. 3.) *Incognitam etiam viro*, Virgine ipsâ teſtimonium perhibente: *quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* (Luc. 1. v. 34.) Hæc igitur, cùm mulier illa eſſet, quam præparavit Dominus filio ſuo, Verbo ſcilicet Divino, ex eâ carnem aſſumpturo, introducta mox fuit in tabernaculum matris, id eſt, ſubſtituta in locum Evæ, communîs morientium matris, quam (Mariam nempe) jam in primo ſuæ Conceptionis inſtantî, non ipſe modò Spiritus Sanctus, ſed & tota Sacroſancta Trinitas, adeò *dilexit, ut dolorem, qui ex morte Matris* Evæ, ſeu peccato originalî, per protoparentes noſtros in totum reliquum humanum genus infeliciter transfuſo, *acciderat*, ipſa ſola præſervata, ſola non morientium, ſed viventium mater penitùs *temperaret*. Et ſanè, quis nõ videt, charam hanc Virginem, in ſuâ Conceptione Deo præſervante illæſam, in tantùm ab eo fuiſſe dilectam, ut dolorẽ Evæ penitùs lenierit? cùm teſtis omnî exceptione major, quia magnus Auguſtinus, idipſum clarè affirmet, his verbis: (Serm. 55. de Sanctis.) *Maria primæ Matris damna reſolvit &c. hæc homini perdito redemptionem adduxit. Mater generis humani pœnam intulit mundo, Genitrix Domini noſtri ſalutem intulit mundo: auctrix peccati Eva, auctrix meriti Maria. Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit.* Quid quæſo clarius, pro conceptu noſtro, dici poteterat? quamvìs idipſum etiam alibì magnum hoc Eccleſiæ lumen confirmet, dicens: (Serm. 18. de Sanct.) *Eva planctum Mariæ cantus excluſit.* Quantam ergo nos omnes par eſt concipere lætitiam, dum illa, quæ eſt *cauſa noſtræ lætitiæ* concipitur, doloremque lenit, ac temperat, ex morte hæreditariâ matris Evæ conceptum? Ceſſare aliquandò videbatur hoſpitum lætitia *deficiente vino*, in Canâ Galileæ, ſed ecce! *dicit Mater JEſu ad eum: vinum non habent.* (Jo. 2. v. 3.) Primum ergò ſignum à Chriſto editum, mutando ſcilicèt aquam in vinum, Mariam habuit advocatam. Sed nonnè hæc ipſa dolorem Evæ leniendo, in primo etiam illo Conceptionis ſuæ articulo, aquam in vinum convertit? vel maximè; dum enim Eva illa fletuum, & ſudoris aquis immerſit omne hominum genus, poſt epulas pomi vetiti, viro ſuo imprudenti inſtructas, Maria primis ſtatim epulis, quibus adfuit, id eſt, primo ſuæ creationis momento, fletum illum, & ſudorem abſterſit; conciliansque DEUM hominibus, ad aquam redactis, ſola tantum valuit, quantum opus fuit ad aquam in vinum mutandam, ad leniendum, ac temperandum ſuper ſcelere noſtro dolorem, ad gratiam impetrandam. Sic nimirum *per fœminam mors per fœminã vita, per Evam interitus, per Mariam ſalus.* (Aug. l. 4 de Symb. c. 4.) Sic *reſtauratur per Mariam, quod per Evam perierat.* (Chryſoſt. Serm. de Geneſ.) Sic *facta eſt Maria reſtauratio fœminarum, quia per ipſam à ruinâ primæ maledictionis probantur eſſe ſubtractæ.* (Fulgent. Serm. de laud. M.) Meritò ergo in tantùm dilexit eam DEUS, ut dolorem, qui ex morte matris Evæ acciderat, temperaret. Hanc & nos omnî ſtudio diligamus, ſi temperatum per Eam, ob ſcelera noſtra, Numinis dolorem, ac indignationem volumus &c.

## §. 2. *Authoritas.*

S. AnDreas ApoſtoLVs, VoLens ILLIbataM. 51.

*Sicut primus Adam formatus fuit ex terrâ, antequam eſſet maledicta, ita ſecundus formatus eſt ex terrâ Virgineâ, nunquam maledictâ.* Abdias l. 4. Hiſt. in ejus geſtis.

* * *

§. 3.

### §. 3. *Ratio.*

52. à ConCeptIone gaV-
DIVM.

COnceptio Immaculatæ Virginis MARIÆ maximum toti orbi gaudium attulit, occinente id ipſum S. Matre Eccleſiâ, in hac eâdem Feſtivitate: *Conceptio Tua, Dei genitrix Virgo! gaudium annuntiavit univerſo mundo; ex Te enim ortus eſt Sol Juſtitiæ, &c.* Atqui gaudium nobis annuntiare non potuiſſet, ſi B. Virgo in labe originalî concepta fuiſſet Ergo &c. Probat min. Conceptio, quæ certo mœrore, amaritudine, & tenebris plena eſt, gaudium annuntiare non poteſt; quod enim non habet, etiam annuntiare non poteſt: Atqui eſſe conceptam in labe originalî, eſt eſſe conceptam in tenebris, & umbrâ mortis &c. adeoque meritò Maria, cum Tobiâ Seniorî, lamentari potuiſſet c. 5. v. 12. *Quale gaudium mihi erit, quæ in tenebris ſedeo, & lumen cœli non video?* Ergo, ſi à Conceptione MARIÆ toti orbi affertur gaudium, eam ſine omnî labe extitiſſe, dicendum eſt.

### §. 4. *Hiſtoria.*

53. IMago VIrgInIs ILLIbatæ, à
DoLore LIberans.

PRoſcriptis Anno 1442. Monachio Hebræis, Albertus Bavarorum Dux Sereniſſimus, Synagogam, quam hactenus illi incoluerant, celebri cuidam viro, Joanni Hartlieb (Aulicus medicus hic erat) dono conceſſit, qui ſibi domicilium ſtruens, Capellam adjunxit in foro, cum Altarî, in honorem immaculatæ Conceptionis, ad omnem devotionem exſtructo, ubi multa ſtatim beneficia, imò & miracula contingebant, magnusque populi accurſus indiès augebatur. Neceſſarium omninò videbatur, Capellam hanc reddere ampliorem; hinc domum ſuam omninò deſtruere non dubitavit devotus Medicus, ut MARIÆ domus dilataretur, quam jugiter fundatam, tribus Altaribus, nec non cryptâ quâdam ſubterraneâ, ac inſignibus Reliquijs providit. Altaris præcipui, ſcilicèt immaculatæ Conceptionis Dedicatio, quotannis celebratur, die Lunæ, dictum Feſtum ſubſequente. Verùm, cùm tempore reformantis, ſeu potiùs deformantis, proh dolor! Lutheri, Eccleſiæ quidem pars ſuperior illæſa perſiſteret, Crypta verò in conſervatorium rerum, ad decorem Eccleſiæ pertinentium commutaretur, adeò, ut dicta immaculatæ Virginis imago per complures Annos inhonorata, vix non oblivioni penitùs traderetur, ſequens tandem Anno Milleſimo, Sexcenteſimo, duodecimo contigit Miraculum: Cùm enim Catharina Kammerhoherin, Ordinis S. Franciſci, Virginum mendicantium Monachij Soror, per Annum, & ultrà, maximo amborum genuum dolore cruciaretur, nullumque malo remedium ſufficeret, fiduciam illa omnem, in DEUM, Sanctiſſimamque ejus Parentem, repoſuit. Et ecce! vivis ejus menti coloribus repræſentabatur imago hujus cryptæ, licèt nunquàm à ſe viſa, vel cognita, ſed tantùm ab alijs, quibus illa apparitionem narraverat, explicata; ipſa autem eodem, quo imago repræſentabatur, momento, ab omnî dolore, ex toto, libera remanſit. Undè factum, ut excitatâ de novo, ergà dictam in cryptâ imaginem devotione, locus confeſtim ad omnem decentiam perpurgatus, tribus feneſtris illuſtratus, Sacriſtia inſuper appoſita fuerit, ac magnâ illuc conveniente populi frequentiâ, plurimis, ut antehàc, beneficijs Imago claruerit. *Magiſt. Joannes Bartholomæus Schrekenfueſſ, Tract. de Cryptâ B. Virg. impreſſo Ingolſtadij Anno 1625.*

* * *

5.

## §. 5. *Symbolum.*

54. **EVa IMpVra, à DeIparâ CorreCta.**




Quæ primus patitur Tractatus menda, ſecundus
Corrigit, extinctis auctior hic maculis.
Sic quas prima gerit, delet correctior Eva
Poſterior maculas, Numinis alma Parens.

*Libri aperti ſunt, & alius Liber apertus eſt, qui eſt vita.* Apoc. 20. v. 12.

## §. 6. *Antiquitas.*

55. **Mater à FILIâ, Vbera traDente, LaCte sVſtentata.**

SAnguinis ingenui mulierem Prætor quidam, apud tribunal ſuum, capitalî crimine damnatam, cuſtodi carceris necandam tradidit, quam ille receptam non protinùs è vivis ſuſtulit, ſed aliqualî motus miſericordiâ, dilatâ ad tempus executione, aditum ad eam filiæ conceſſit, diligenter tamen excuſſæ, ne quid cibi inferret, ſic futurum exiſtimans, ut, quam ipſe trucidare abhorrebat, lentâ tandem morte, famîs inediâ conſumeretur. Dies interim complures interceſſerant, cùm ſecum ipſe quærens, quidnam eſſet, quòd tamdiu captiva ſuſtentaretur, ac ſuperviveret? obſervatâ curioſiùs filiâ, animadvertit, eam, quæ lachrymis ad matrem aditum impetrârat, exerto illam ubere lactare, ſicque vitam protrahere peri-turæ, quam ab ipsâ acceperat, & quæ aliàs certo certiùs fame erat perimenda. Exemplum certè pietatis, omnibus triumphis famoſius! quò enim non penetrat, aut quid non excogitat devotæ prolis erga genitricem pietas, quæ in carcere etiam ſquallido dare vitam ſine cibo potuit? docuit profectò mulier hæc exemplo ſuo illud, quod Paulus 1. ad Timoth 5. filiabus inculcat: *Diſcant primùm domum ſuam regere, & mutuam vicem reddere parentibus: hoc enim acceptum eſt coram DEO.* Quid ergo mirum, ſi ſpectaculi tanti novitate ad Prætorem delatâ, & ab hoc, ad Conſulum judicium remiſsâ, donata eſt Matris ſalus pietati Filiæ, & ne quid ad honorem deeſſet, ambæ publicis alimentis impoſterùm ſuſtentatæ fuerunt. Ne autem tantæ rei memoria intercideret, loco carceris Deæ Pietati conſecrato, Ara ejusdem illuc conſtituta eſt. *Plinius l. 7. c. 36. Sabel. l. 3. c. 6. Valer. Max. l. 5. c. 4.*

Eandem prorsùs pietatem à filiâ quâdem aliâ, Pero vocatâ, Cononi Parenti ſuo captivo exhibitam, Hiſtoriæ produnt.

Accuſent modò, ſi poſſunt, crimine peſſimo, peccati originalîs ream Mariam, ejus illibatæ innocentiæ hoſtes! ſciant tamen, miſericordiſſimum Numen non ſtatim illam, cum alijs Adæ poſteris, in conceptione, morti addixiſſe, ſed mox aditum Filio conceſſiſſe, qui in primo ſtatim inſtantî, ejus indigentiam præventurus, vulnera olim à Judæis infligenda pro nutrimento obtulit, ſicque illam, cujus materno ipſe lacte, humanâ in carne, nutriri deſiderabat, præviâ gratitudine, ſanguine proprio ſuſtentavit, ac, ne morte communî per originale deleretur, ſollicitè procuravit: ut in tam ſingularîs privilegij recordationem, Maria quoque jure meritò *Ara Pietatis* dici poſſit.

* *
*

§. 7. *Anagramma.*

56. Chara DeIpara, à CasV præMVnIta.

*Alma DEI Virgo, ante caſum præmunita!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS IX.

§. I. *Scriptura.*

57. AsCenDens AVrora, BeLLVM fInIens.

Geneſ. c. 32. v. 26. *Dimitte me, jam enim aſcendit Aurora.*

VIx pedem è diverſorio, ſub ipſis adhuc obſcuræ noctis tenebris, Jacobus in itinere conſtitutus extulerat, & ecce! occurrens ei *vir* (Angelus Domini) *luctabatur cum eo*
v. 24. *uſque manè.* Nec iſta ceſſavit inter æmulos colluctatio, uſque ad aſcenſum rutilantis Auroræ, ad cujus amœnam præſentiam, mox quaſi victus in prælio Angelus, dimiſſionem à Jacobo petijt: *dimitte me*, inquiens, *jam enim aſcendit Aurora &c.* Reſpondente autem Jacobo: *Non dimittam te, niſi benedixeris mihi*
v. 29. *&c. benedixit ei in eodem loco.*

Vix Adamus è limo terræ, & Eva ex coſta Adami proceſſerant, & ecce! luctabatur paulò poſt cum illis Angelus, ob perditam tam citò primam innocentiam, ac perpetratum vetiti pomi eſum, qui idcircò, juſſu Divino, flammeo eoſdem gladio è paradiſo voluptatis proſcribens, à luctâ hac, nullo unquam tempore, in poſteris ceſſavit, niſi ad aſcenſum feliciſſimæ Auroræ, Beatiſſimæ nimirùm Virginis Deiparæ, in Annæ utero conceptæ,
Cant. 6. v. 9. juxta illud: *quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi Aurora conſurgens?* Enimverò, ſi D. noſtro Bernardo fides, *Aurora*
Serm. 4. ſuper Salve. *ſemper noctem ſequitur, nox præcedit Auroram. Quid autem eſt nox frigida, & obſcura, niſi originale peccatum, frigidum concupiſcentiâ, obſcurum ignorantiâ? Tu ergo proceſſiſti, ut aurora lucida, & rubicunda, quia ſuperatis originalibus peccatis, in utero matris nata es lucida cognitione veritatis, & rubicunda amore virtutis.* Nec ſine myſterio Auroræ nomen ſortita eſt MARIA, in Conceptione ſuâ, *hæc* enim, ut Petrus noſter Damianus ait, *eſt Aurora, quam ſequitur, imò, de quâ naſcitur Sol juſtitiæ. Nam ſicut Aurora terminum noctis, diei principium adeſſe teſtatur, ſic & Virgo noctem extulit ſempiternam, & de die diem, de terrâ ſuæ virginitatis exortum, terris infudit*: quod Seraphicus Bonaventura confirmat dicens: *O Beata Virgo, tu es Aurora, de Sole procedens, & ortum Solis præveniens, & in lumine Solis diem nuntias.* Et ſanè ſicut Aurorâ micante, ſuas repetere latebras ſolent beſtiæ lucifugæ, ita & ad MARIÆ primordia, dæmonum omnes acies tenebricoſæ conſuluerunt ſibi fugâ. Exhorreſcunt nimirùm dæmones hanc myſticam Auroram, haud aliter, ac nocturni adulteri, qui ſuis nefandis facinoribus noctis tenebras prætendentes, ejus, quam oculis corporeis intuemur, auroræ lucem reformidant, atque odio proſequuntur, quâ proinde appetente, nè ſuis in maleficijs deprehendantur, quàm citiſſimè diffugiunt, ut bene Speculum illud Patientiæ Jobus dixerit: *Si ſubitò apparuerit aurora, arbitrantur umbram mortis.* Quòd ſi dæmones hujus Sacratiſſimæ Auroræ lucem tantoperè pertimeſcunt, quomodò ergo fieri potuit, ut ejus potiundæ, aut per inflictum originale vulnus debellandæ poteſta-

[Right margin notes: Serm. 40. de aſſumpt. — In Spec. Virg. c. 9. — c. 24. v. 17]

teſtatem aliquando acceperint? Bene igitur MARIA à nobis dicitur *Aſcendens* Pſ.45.6.8. *Aurora, bellum finiens*, nam ſicut Pſalmiſta ait: *Poſuit prodigia ſuper terram, auferens bella, uſque ad finem terræ.* Sic lib. 2. de Emanuele c. 25. juxta Richardum Victorinum, *In Virgine nullum fuit internum bellum, ſed ſumma pax.* Sola ergo victrix, in univerſalì hoc, Angelum inter, Paradiſi cuſtodem, & hominem protruſum prælio, transgreſſionisque communìs minimè rea, quia *gratiâ plena*, non dimiſit Angelum, illibatæ maternitatis, Divinæque incarnationis nuntium, donec benedixiſſet ei, inque eodem loco, per ſuperna illa Divinæ ſalutationis verba, *benedictam in mulieribus* deprædicâſſet. Quòd ſi adeò pulchra eſt, & gratioſa Auroræ lux, ut ad ejus præſentiam omnes reliquæ ſtellæ, quasì confuſæ, ac rubore ſuffuſæ noſtris ſe oculis ſubtrahant, affirmante idipſum Senecâ

In Octaviâ act. 1.

*Jam vaga Cœlo ſidera,*
*Fulgens Aurora fugat &c.*

dicam & ego, adeò pulchrã, ac gratioſam Auroræ noſtræ Marianæ lucem, ut ad ejus præſentiam, ob ſingularem puriſſimæ Conceptionis prærogativã, omDan. 12. v. 3. nes reliqui Sancti, licèt fulgeãt *quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*, ob contractum aliquandò peccatum originale, quaſi confuſi, ac rubore ſuffuſi videantur. Hæc ergò Aurora, ut & nobis feliciter illuceſcat, ut infernales gratiæ prædones ab animarum noſtrarum foribus repellat, ut continuis carnem inter, & ſpiritum bellis optatum finem imponat, ut diem tandem invehat beatitatis æternùm duraturæ, quotidianis à nobis obſequijs, affectuque devotiſſimo, eſt devincienda.

## §. 2. *Authoritas.*

58. S. AnDreas CretensIs, InnoCVam propVgnans.

1. *Sola, præter naturam, fuit electa, ad naturam renovandam, ſola deſervit opifici, univerſæ naturæ, quæ cùm eſſet immaculata, & impolluta, & ſupra modum plena puriſſimæ caſtitatis, immaculata, & impolluta ſcilicèt mente, & plena puriſſimæ caſtitatis corpore, quæ univerſam, quæ in carne eſt, generatione naturam ſuperavit.* Orat. 1. de dormit. Deip.
2. *Agna immaculata, quæ ſola, de ſuo utero, lanam Chriſto, humanam nimirùm ſubſtantiam contulit.* Cant. in Nativ. B. V.
3. *Anna ſterilis, intemeratam, caſtamque puellam concepit: Hanc hodie, ceu ſolam immaculatiſſimam, omnes nos Beatam dicamus, ejus nos Sanctam Conceptionem colamus.* In Canone Eccleſiaſtico, poſt Oden 3.

## §. 3. *Ratio.*

DEI genItrICIs noMIne, præVarICatIo non eſt geſta. 59.

JUXta Reg. Jur. in ſexto: *Ratum quis habere non poteſt, quod ipſius nomine non eſt geſtum.* Atqui prævaricatio Originalis non fuit geſta, nomine Beatæ Virginis. Ergo hanc ratam habere non poteſt. min. prob. In tantum fuiſſet, MARIÆ nomine, geſta prævaricatio, in quantum ipſius voluntas fuiſſet transfuſa in voluntatem Adami, ut capitis, incurrendo Legem: *In omnes homines mors pertranſijt.* Sed MARIA non tenebatur hâc lege, conſequenter nec ejus voluntas erat incluſa, quoad hanc partem, in voluntate Adami. Ergo prævaricatio originalis non fuit geſta nomine B. Virginis. min. prob. In omnî Lege latâ, etiamſi eâ teneantur omnes, & ſit univerſaliter lata, non tamen eâ tenetur Regina, & mater; ut patet in Reginâ Eſther, cui dictum: *Non enim pro te, ſed pro omnibus, hæc Lex conſtituta eſt.* Atqui B. Virgo fuit vera Mater DEI, ac Regina Cœlorum: Ergo fuit excluſa, ab hac lege, *omnes in Adamo moriuntur.* Nec tenebatur hâc Lege illa, cujus nomine non erat geſta Adami prævaricatio.

* *
*

## §. 4. *Hiſtoria.*

### 60. MagIſter, IaCens DefVnCtVs.

ANno Milleſimo, quadringenteſimo, vigeſimo tertio, Martino V. Pontificatum gerente, quidam Theologiæ Magiſter, Toloſani ſtudij Rector, determinare auſus eſt, Beatiſſimam Virginem, originalî fuiſſe peccato corruptam. Verùm exacerbatus propterea populus, mox eundem è Civitate proſcripſit, qui indè Romam adveniens, illatam ſibi injuriam lachrymabiliter ſummo Chriſti in terris Vicario expoſuit, ac mirum in modum conqueſtus, Concluſionem ſuam, publicâ ſeſe diſputatione (modò Sanctitas ſua id permitteret) tutari velle, aſſeruit. Conſenſit facilè Pontifex, ur rigidæ hujus, & Virginis honori admodùm nocivæ ſententiæ publicas magiſter ille rationes perhiberet. Verùm, convocato jam maximo Doctorum conventu, cùm, aſſignato Diſputationis tempore, in ipſo Summi Pontificis Palatio, conveniſſent omnes, jamque diutiùs exſpectarent, unicus deſiderabatur Magiſter, ſententiæ ſuæ futurus Præſes, & defendens. Cùm ergò non compareret, qui primus adeſſe debuerat, miſſi tandem ſunt, qui eum advocarent. Verùm, ô triſte ſpectaculum! vix Religioſi, qui eum hoſpitio ſuſceperant, cubiculum ingrediuntur, cùm ecce! in lecto obſervant jacentem Magiſtrum illum, imò miſerè defunctum reperiunt, ac interiora ventris non habentem. Adeò nimirùm MARIA ſuum confudit inimicum, & qui vivus noluerat defendere immaculatam, ſuo damno, puriſſimæ ejus conceptioni, coràm tantâ Doctorum multitudine, teſtimonium perhibere mortuus debuit. Quod factum reliquos etiam omnes in pijſſimâ, de dicto Virginis conceptu, opinione plurimùm confirmavit. *S. Bernardin. Sen. Tract. de Concept. B. V. M.*

* *
*

## §. 5. *Symbolum.*

### AVroræ LVMen, è noCtIs te- 61.
### nebrIs reſpLenDens.




De tenebris olim dixit ſplendeſcere Lucem;
Æterno imperio, qui regit aſtra Deus.
De tenebris maculæ fecit ſplendeſcere lucem
Præſervans Matrem, qui regit aſtra, Deus.

*DEUS, qui dixit, de tenebris lucem ſplendeſcere.* 2. Corinth. c. 4. v. 6.

## §. 6. *Antiquitas.*

### AVſtrebertæ, aD ChorVM 62.
### CItatIO.

DIvina, ergà devotas ſibi animas pietas, ac providentia magnoperè apparuit, in Divâ Auſtrebertâ, ijsque Virginibus, quibus illa, tùm temporis, Abbatiſſâ præfuerat. Ad initium enim Quadrageſimalîs jejunij, ante mediam noctem, audiebat monialis quædam vocem, dicentem ſibi: Surge velociter, & dic Abbatiſſæ, ut quantocyùs, diſcuſſo ſomno, cum omnibus ſuis, Chorum accedat, & conſuetum Matutinarum tempus devotè præveniat. Monialis ſomno nimiùm oppreſſa, differt imperata referre, hinc ſecundò, & tertiò Divinitùs excitata, & ultimâ quidem vice, cum aliqualî increpatione, tandem voci obtemperat, ac quæ toties audiſ-

diſſet, Auſtrebertæ denuntiat. Ad chorum ergo, dato ſigno, accelerant omnes, ac eâ, quâ par eſt devotione, licèt ſolito maturiùs, Matutinas inchoant. Cùm ecce! vix decantato primo Pſalmo, fragor ingens exoritur, ac maxima dormitorij pars adeò collabitur, ut eâ parietum, ac pavimenti colliſione, omnes certè moniales, unà cum Abbatiſsâ, horrendùm obrutæ fuiſſent, niſi, ex ſpecialiſſimâ Numinis providentiâ, ad chorum mirabiliter citatæ, Divinas præveniendo laudes, omnes & ſingulæ incolumes evaſiſſent. *Surius T. 1. in vitâ S. Auſtrebertæ.*

Quòd ſi Divina bonitas, ob dilectam ſibi famulam Auſtrebertam, tam ſollicitè præcavere voluit, ne ipſa, vel una, ex devotis ejus ſanctimonialibus, imminens ſubiret mortis periculum, quomodò, obſecro, non etiam omnem, pro ſuâ cunctipotentiâ, ſollicitudinem adhibuerit, ut dilectiſſimam ſuam amicam, Sponſam, ac Matrem, ab imminente originalis maculæ ruinâ præſervaret? Certè prævenire voluit MARIAM, excitante, ac adjuvante gratiâ ſuâ, tenebroſum illud triſtium Matutinarum tempus, quo totum Adamicæ poſteritatis ædificium, originalis ſcilicèt juſtitia omnis, caſu lachrymando corruit, ſicque illam ſpecialiter conſervare, quæ non Abbatiſſâ modò, ſed Regina Virginum, imò Sanctorum omnium gubernatrix, ac Regina conſtituenda erat.

### §. 7. *Anagramma.*

AbsqVe peCCato ConCepta, ab AngeLo saLVteM aCCIpIens. 63.

*Gemma pura, mirè ſalutata à Dei nuncio!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS X.

### §. I. *Scriptura.*

64. ConCepta, In ConſpeCtV PrIncIpIs CarCerIs, gratIaM obtInens.

Geneſ. c. 39. v. 21. *Dedit ei gratiam, in conſpectu Principis carceris.*

Dan. 13. v. 2. A*Nguſtiæ ſunt mihi undique*, dicere ad tempus, cum caſtiſſimâ Suſannâ, poterat Joſephus, dilectiſſimus Jacobi Patriarchæ filius, non minoris, quàm Suſanna, virtutis: præterquàm enim, quòd ab inhumanâ prorſus hominum, erga hominem, fratrum, ergà fratrem invidiâ, pro exiguo admodùm pretio in Ægyptum fuerit divenditus, inſuper in ipsâ Ægypti regione, ob falſiſſimas impudicæ ibidem Dominæ accuſationes, à Putipharo nimiùm credulo, tetrum in carcerem conijcitur. Verùm premitur ad tempus, non opprimitur innocentia. Joſephus enim, Juvenis innocentiſſimus, ſuæque præſertim caſtimoniæ propugnator Zeloſiſſimus, cùm mortem potiùs oppetere elegiſſet, quàm tanto DEUM flagitio offendere, hinc medios inter obſcuri carceris ſquallores, Divinâ ſe ſenſit gratiâ illuſtratum; Sic enim ait ſacer textus: *Fuit autem Dominus cum Joſeph, & dedit ei gratiam, in conſpectu principis carceris, qui tradidit in manu illius univerſos vinctos, qui in cuſtodiâ tenebantur.* v. 22.

Accuſent modò, quantùm volunt, inſenſi Marianæ innocentiæ hoſtes Virginem Beatiſſimam ſceleris originalis, eamque hoc ipſo, reliquorum ad inſtar mortalium, vel uno ſaltem momento, carceris æterni ream fuiſſe proclament; ſciant tamen, quod idem

Dominus, qui cum innocente Joſepho fuiſſe legitur, fuerit multò magìs cum MARIA, Gabriele atteſtante: *Dominus tecum.* Qui Virginis ſpecialiſſimè miſertus, dedit ei gratiam prævenientem, ab omnî prorſùs culpâ præſervativam. Hinc quamvìs nos omnes *in utero damnati, antequàm nati, quia de peccato, & in peccato concepti, priùs lumen perdiderimus gratiæ, quàm frui licuerit lumine Solis*, tamen ſpecialiter à talî damnatione, ac caliginosâ principis tenebrarum cuſtodiâ, præſervabatur MARIA, tanto jam, in ſuâ conceptione, gratiæ lumine illuſtrata, ut Conceptio MARIÆ videri potuerit, ipſa Conceptio gratiæ. Atque, nè nimia videatur hæc mea propoſitio, ipſam Veritatem, è cathedrâ Crucis loquentem, in hujuſce veritatis teſtimonium adduco; Sic enim è Cruce pendulus Redemptor Joannem alloquitur: *Ecce Mater tua!* cui ſtatim Sacra hiſtoria ſubjungit: *Et ex illâ horâ, accepit eam diſcipulus in ſua.* Quærit hìc, devotâ curioſitate, Ambroſius: *Quæ ſua habebat Joannes, qui mundana, & ſæcularia non habebat?* cui ipſemet reſpondet: *Quæ ergo habebat ſua, niſi, quæ à Chriſto acceperat? Bonus verbi, Sapientiæque poſſeſſor, bonus receptor gratiæ.* ac ſi diceret: Joannes, qui Domini ſequens veſtigia omnia reliquerat temporalia, ſolùm bona illa poſſidebat, quæ acceperat à Chriſto, nempe bona gratiæ, quibus hoc ipſo MARIAM annumerat, dum eam à Joanne in ſua receptam commemorat. Nec immeritò Joannes Mariam inter bona gratiæ annumerat, quæ tantam, in ipsâ jam conceptione, obtinuit gratiam in conſpectu DEI, ut MARIAM concipi perindè fuerit, ac ſi gratia conciperetur; ſic enim concipiente *Annâ*, id eſt, *Gratiâ*, quid aliud erat producendum, quàm gratia? & nonnè hoc ipſum manifeſtè probat, MARIAM, licèt in obſcuro adhuc materni uteri carcere reconditam, jam tùm, in conſpectu Cœleſtîs Principis, gratiam obtinuiſſe? Quod ſi Joſepho illi Ægyptiaco, gratiâ in conſpectu Principis carceris obtentâ, traditi inſuper fuerunt, ut ſupra narravimus, *univerſi vincti, qui in cuſtodiâ tenebantur*: Nonne etiam tradidit DEUS, in maternam immaculatæ Virginis protectionem, omnes peccatores, funibus delictorum ſuorum miſerè illigatos? teſtante idipſum S. Ephrem: *Tu captivorum redemptio, & omnium ſalus.* Tradidit certè MARIÆ eos præſertim vinctos, qui frequentioribus petulantis carnis ſtimulis exagitati, ob indignum tanti flagitij aſſenſum, diaboli ſeſe mancipia ultrò reddiderunt, veniam haud dubiè, ac gratiam, in conſpectu Principis Cœleſtîs, tanto Virginis mediante præſidio, obtenturos; ſi enim, teſtante Apoſtolo, incarnatus DEI Filius, quandò orabat pro nobis Patrem æternum, fuit exauditus, ob reſpectum reverentiæ erga filium: *Exauditus eſt, pro ſuâ reverentiâ*, quia ſcilicèt in tanto fuit reſpectu caracter filij apud Patrem, ut nil ipſi voluerit, aut potuerit negare, imò omnia in manus ejus repoſuerit: *Omnia dedit ei Pater in manus.* Sic piè confidere, ac cum ſupracitato Melliſluo Doctore, concludere poſſumus: *Exauditur pro reverentiâ Filius, exaudietur & Mater*, nil ipſi negabit, omnia dabit ei Pater in manus, ſicut Princeps ille carceris, vinctos tradidit in manu Joſeph, gratiam obtinentis &c.

Bern. Serm. 2. Pent.

Jo. c. 19. v. 27.

in hunc loc.

Orat. de Virgin.

Hæbr. 5. v. 7.

Jo. 13. v. 3.

## §. 2. *Authoritas.*

B. AnsbertVs DeIparaM CVLpâ LIberans. 65.

*Tota pulchra es, & macula non eſt in Te, nec viciſſitudinis obumbratio, id eſt, ut nullo unquam temporis inſtantî, ab umbrâ ad lucem, à luce ad tenebras, mutatione ex alio ad aliud, tranſieris.* in caput 1. Epiſt. Jac. v. 17.

***

## §. 3. *Ratio.*

66. MIraCVLa non patrantVr, pro aſſerenDâ faLsItate.

MIracula tantam habent connexionem, cum veritate ſui objecti, in cujus teſtimonium fiunt, ut de potentiâ DEI repugnet, ut illud non in ſe ſit verum, propter quod miraculum fit: implicat enim v. g. de potentiâ DEI abſolutâ, ut illa doctrina non ſit vera, propter quam DEUS v. g. reſuſcitat mortuum, &c. Atqui plurima miracula facta ſunt (ut in decurſu Operis, ſuo loco oſtendetur) ad confirmationem immaculatæ conceptionis. Ergo Beatam Virginem eſſe immaculatè conceptam, tantam in ſe habet veritatem, ut de potentiâ DEI repugnet, aliter ſe à parte rei habere. major. prob. Si miracula non haberent tantam connexionem cum veritate, ſive ſi DEUS per miraculum aliquid teſtaretur (miracula enim, eò quòd ſint ſupra vires naturæ, à nullo alio, niſi à DEO fieri poſſunt) quod in ſe non eſſet, eo ipſo DEUS mentiretur: hoc autem de DEO dici nequit. Ergo &c. maj. conſtat: ſive per ſe, ſive per alium, falſum teſtari, eſt propriè mentiri. Atqui in dato caſu DEUS, per miraculum, aliquid falſum teſtaretur. Ergo &c. min. patet ex Script. Hæbr. c. 9. *Impoſſibile eſt mentiri DEUM.* Deinde ex ratione: DEUS non eſt magìs primum bonum, quàm primum verum: ſed per hoc, quòd ſit primum bonum, repugnat ei omne malum: Ergo etiam per hoc, quòd ſit primum verum, repugnabit ei omne falſum.

## §. 4. *Hiſtoria.*


67. DesIDerata PontIfICIs aVDIentIa, & LItteræ perLatæ.

MIſſus à Summo Pontifice Sixto IV. ad Regem Hiſpaniarum, in gravibus negotijs, venerabilis ex Ordine S. Franciſci Pater, F. Bernardinus de Caymis, abſolutâ jam feliciter commiſſione, Romam multis cum litteris, ad Pontificem redire ſtatuerat, cùm ecce! inopinatus ipſum caſus vehementer afflixit: Habebat nimirùm certum, ex ſuo Ordine, itineris comitem, cui Superiorum juſſu ad Terram Sanctam proficiſcendum erat: hic omnes litteras, quas inter Regiæ etiam ad Pontificem numerabantur, hactenùs in cuſtodiâ habuerat, ſed, cùm per aliam ipſe viam iter proſecuturus, à reliquis ſe ſeparare deberet, litteras, quæ Romam deferendæ erant, alteri ſocio conſignat, illis ſolummodò exceptis, quæ ad Pontificem directæ, & à quibus totum ſuſcepti negotij pondus dependebat, utpotè quas ſuis caſu litteris immiſcens, ignoranter ſecum aſportabat. Romam interim iter ſuum Bernardinus proſequitur, cumque eò deveniens adverteret, litteras ad ſuam Sanctitatem deſtinatas, à ſocio fuiſſe neſcio quò ablatas, ſummâ id triſtitiâ virum afficiebat, nec audebat abſque ijs comparere, maximam pertimeſcens Vicarij Chriſti indignationem. Profectus fortè etiam cum illo fuerat Bernardinus de Buſti, pro confirmatione Officij, de immaculatâ Deiparæ Conceptione, à ſe compoſiti impetrandâ: hic voto ſe obſtrinxit Virgini Beatiſſimæ, quòd ſi deſideratam illis à ſummo Pontifice audientiam hâc vice procuraret, litteraſque deperditas reſtitueret, tres ad gloriam immaculatæ Conceptionis Sermones, ſummo ſtudio, componere vellet. Et ecce! vix inaudijt Pontifex, Religioſos hoſcè viros Romam adveniſſe, confeſtim advocatos, hilarî vultûs majeſtate, & jucundâ admodùm facie, paternè alloquitur, atque, nè de amiſſis litteris adeò affligerentur, blandè conſolatur, dicens, ſe eandem verbis illorum fidem habere, ac ſi ipſas Regis litteras perlegiſſet. Nec defuit diutiùs epiſtola, adeò dolenter amiſſa; procurante enim absque dubio MARIA immaculatâ, Pater ille, qui inſcienter litteras haſcé ſuis immiſcuerat, antequàm in portu Veneto Navim conſcenderet, in longinqua perrecturus, litteris caſu revolutis, repe-

reperiens non ſuas, easdem confeſtim Romam transmittit, quæ ad confirmationem Legationis fideliſſimè perſolutæ, Pontificijs manibus gaudenter ſunt exhibitæ. *Idem Bernardin. de Buſti Serm. 9. de Concept.*

### §. 5. *Symbolum.*

68. LaVro, & DeIparæ, non noCent fVLMIna.




Fulmina non metuit protecta ab Apolline Laurus,
Æternum ſervans, fronde virente, decus.
Fulmina non metuit maculæ protecta MARIA,
Ter purum retinens, Numine freta, decus.

*Ad te autem non appropinquabit.* Pſal. 90. v. 7.

### §. 6. *Antiquitas.*

69. GenItorIs IMpIè aCCVſatI, DefensIo à genIto.

Accuſabatur, die quâdam, Lucius Manlius, coram Judicibus, per M. Pomponium, quòd ſine ſufficienti ratione, filium ille ſuum, Titum Manlium, domo expuliſſet. Quæ accuſatio contra genitorem peracta, cùm ad aures dicti filij perveniſſet, intimè indoluit, parentem ſuâ propter judicio ſiſtendum; Hinc quantocyùs, auſu generoſo, Pomponij ædes accedit, atque ut ad colloquium admittatur, enixis precibus flagitat. Pomponius, ratus, filium accuſationem Patris non approbaturum tantùm, ſed ulteriùs proſecuturum, mox acceſſum præbet: cui Manlius, Placeat, inquit, ſervos omnes foras dimittere, ut liberiùs noſtris de ſecretis colloquendi ſit facultas. Annuitur petito. Tum enimverò videns, pro voto, Titus ante ſe ſtantem ſolum, ac inermem Pomponium, lamentabiliter primùm conqueri, de impiè, ac nemine deſiderante, accuſato genitore, gladium deinde è vaginâ producere, ac ſeveriſſimè comminari mortem Pomponio, niſi è veſtigio promitteret, imò jurejurando ſeſe obſtringeret, ab accuſatione malè cœptâ deſiſtere, ac charum ſibi parentem, in priſtinâ pacis tranquillitate, imperturbatum relinquere. Exterrefactus inexſpectato Juvenis auſu Pomponius, ſuæque vitæ præſentiſſimum pertimeſcens diſcrimen, non differt ſacramentum dicere, juvenemque jam ex toto conſolatum dimittere. Inaudiére quidem Judices, temerarios Manlij junioris auſus, ac licèt graviſſimæ aliàs pœnæ eſſent ſtatutæ, contra eos, qui publicum quemcunque Urbis officialem violenter aggredi præſumerent, filialis tamen erga Parentem pietatis intuitu, tam Filio, quàm Patri pœna dimiſſa, qui etiam impoſterùm, ob factum hoc generoſum, à totâ Civitate, ſummo in honore habitus fuit. *Tit. Livius Dec. 1. lib. 7.*

O quoties! fuêre aliqui, qui auſi ſunt, accuſare puriſſimam DEI genitricem, quòd Filium ſuum, DEUM ſcilicèt, per peccatum, ſi non actuale, ſaltem originale, è domo animæ ſuæ aliquandò excluſerit! verùm, quid ad hæc Filius? num favet talibus accuſatoribus? num placet talis de genitrice propoſitio? minimè, imò ipſemet in medium procedit, matremque ab omnî incuſatione liberam pronunciat, dicens illud Auguſtini, orat. de 5. hæres. c. 5. *Mater mea eſt, ſi potui inquinari, cùm ipſam facerem, potui inquinari in illâ, cùm ex ipſâ naſcerer.* Ni ergò velimus, ut gladius, in matris defenſionem diſtri-

ctus, non aliquandò noſtra feriat capita, pro more complurium Univerſitatum, juramento nos obſtringamus, à tam injuſtâ Deiparæ accuſatione perpetuò deſiſtendi, ac puriſſimum Virginis Conceptum totis viribus propugnandi.

§. 7. *Anagramma.*

RegaLe PaLatIVM, aVreo nItens DeCore. 70.

*Regia munda, et Palatium emicans auro!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XI.

§. I. *Scriptura.*

71. VIrgo arDens, aC InCoMbVſta.

Exod. c. 3. v. 2. *Videbat, quòd Rubus arderet, & non combureretur.*

MIrum ſanè, ac plenum myſterijs Spectaculum magnus ille Legifer Moyſes cōſpexit, dum nimirùm *apparuit ei Dominus in flammâ ignis, de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Admirāda profectò novitas! Ergóne ignis, & rubus, velut novæ quædam creaturæ, propriã oblitæ naturam, mirâ Divinæ omnipotentiæ virtute, ſplendidum ipſi Divinæ Majeſtati ſubſellium conſtruunt? ergóne voraciſſimum cæteroquin elementum veprem irrigat, ignitoque coronat flore? ergóne vireſcit rubus, qui admoto igne, mox pallere deberet cinere? imo, ardet, non uritur, imbrem videtur perpluiſſe, non ignem, & tamen vera eſt flamma, quæ vernam comam nutrire ſpino conſpicitur: dumoſum intereà virgultum acuit urticas, in medio ignîs, quaſì ignem ſatagens cruentare, pugnacîque mucrone ferire. Paleſtra certè ſpectabilis! ubi decertat ſpinea plantula ut vireat, ignis ut ardeat, atque ambo evadunt victores, ita ut rubus florentes vepres extollat pro lauro, flammaque victrix, non fumigante nube, obſcuretur pro triumpho. Pulchrè de hoc ſpectaculo, talem in modum, diſcurrit Euſebius: *Ignis longè apparebat in rubo pugnans. Natura ipſa fræno coërcita ignîs, erat in rubo, & rubus ignem habebat in ſinu, & non comburebatur.* Ubi præ reliquis notanda illa verba: *In rubo pugnans.* Nitebatur videlicèt abſumere plantulam ignis, facileque arbuſtum devorare, & quaſi acie militarî pugnabat, plantâ è contrario jugiter obſiſtente, ac fortiter in ſui conſervationem, priſtinumque virorem decertante. Audiatur Baſilius Seleuc. hæc habens: *Ecce! ignem monſtrat in rubo ardentem, ignîs effectu ſepoſito: quippe flos igne coronatur, viliſque planta ſuccenſa, flammæ obſiſtit.* Voluit nimirum DEUS oſtendere, flammam hanc, & rubum non alterius quidem eſſe naturæ, ſed alterius gratiæ, hinc ſpectabilî eos duello confligere ſinebat, ut ex unâ parte naturæ propenſionem oſtenderet, & ex alterâ Omnipotentiæ ſuæ virtutem, in coercendo utriuſque naturæ impulſu, exhiberet. Quid ergo mirum, Moyſen viſionem hanc verè magnam perſpectiùs inquiſiturum, audijſſe de ejusdem rubi medio, vocem Domini, dicentis ſibi: *Ne appropies huc, ſolve calceamentum de pedibus tuis; locus enim in quo ſtas, Terra ſancta eſt.* v. 5.

apud Lipomanū.

Orat. 9.

Porrò rubus ardens, & incombuſtus jure meritò Beatiſſima Virgo intitulari poteſt, ardens flagrantiſſimo pariter, ac conſtantî Divini amoris igne, incombuſta, & illæſa non tantùm in admirandâ, omnemque novitatem exceden-

cedente, Filij Divini Conceptione, juxta ſenſum S. Matris Eccleſiæ, dicen-
Offic. tis: *Rubum, quem viderat Moyſes incombuſtum, conſervatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem &c*, verùm etiam in ipſo inſtantî propriæ Conceptionis, incombuſta, & penitùs illæſa, à voraciſſimâ cæteroquin, omnemque reliquam humani generis iñocentiam depaſcente peccati originalîs flamma. Quid enim aliud præſignare per rubum illum DEUS voluit, quàm producturum ſe Virginem, in quâ degere meditabatur, MARIAM, quam nec ignis Divinitatis abſumeret, nec fumigans priſtini alicujus peccati flamma decoqueret, licèt non alterius eſſet naturæ, ſed ex hominibus aſſumpta, ſingularî tamen gratiæ prærogativâ præventa. Hinc Germanus Patriarcha
Orat. de dormit. V. Conſtantinop. ait: *Nec rubus inconſumptus, & illæſus, ſuâ vi, in igne perduravit, ſed propter Mariam, quæ in mortalî, & ad corruptionem pronâ naturâ, ignem Deitatis portavit.* Nota illud: *in mortalî, & ad corruptionem pronâ naturâ.* Pugnet ergò originaria culpæ flamma, incinerare Marianum decus, cùm concipitur, natura ipſa, ex Adamo deſumpta, deflectere conetur ad caſum, ignis vorax tentet incendere ſpinetum; nec enim volumus à naturæ noſtræ conſortio Virginem Matrem dimovere, Divinamque, ſeu Angelicam aſſerere, cùm à communî eam piaculo vendicamus, ſolùm gratiam fatemur pronam coercuiſſe naturam, reſtitiſſe peccato, incolumeque arbuſtum à flammeo gutture MARIAM permanſiſſe, nè in ſimilî naturâ concepta ſimile nobiſcum pateretur excidium illa, quæ in ſplendidum Divinitatis ſubſellium erat jam ab æterno prælecta. Denique ſi Moyſi fas non erat, appropiare ad rubum illum mirabilem, terramque illam ſanctam, viciniorî greſſu attingere, quis auſit dicere, appropinquâſſe aliquando infernalem ſerpentem, ad rubum noſtrum Marianum? de cujus medio apparere conſtituerat Dominus, ipſum ſcilicèt æterni Patris Verbum, in Sacratiſſimo Virginis utero incarnandum, quæ vel ideò *Terra Sancta*, ac benedicta, benedictum fructum ventris proferens, hoſtique infernali omnî momento inacceſſibilis, credenda eſt.

## §. 2. *Authoritas.* 72.

## S. AnſeLMVs pVræ DeIparæ CLIens.

1. *Omnes mortui ſunt peccato, nemine prorſus excepto, demptâ Matre DEI, ſive originalibus, ſive propriâ voluntate additis, vel ignorando, vel ſciendo.* Commentar. in 2. Corinth. c. 5.
2. *Nulli denique dubium, caſtiſſimum corpus, & ſanctiſſimam animam ejus, funditùs ab omnî fuiſſe maculâ peccati, jugî Angelorum cuſtodiâ protectam, utpote Aulam, quam ſummus, & omnium creator DEUS, eſſet corporaliter inhabitaturus.* Lib. de Excellentiâ B. V. c. 3.
3. *Sed quia decebat, ut illius hominis Conceptio de Matre puriſſimâ fieret; nempe decens erat, ut eâ puritate niteret Virgo illa, quâ major ſub DEO nequit intelligi.* Lib. deConcept. V. & de pecc. Orig. c. 18.
4. *Ubi præveniens eſt benedictio, locum habere non poteſt originalis contagio: nunquàm igitur in Virgine fuit labes originalis, alioqui ſincerior erit formatio Adæ, qui de Terrâ terrenus eſt, quàm ſecundi, qui de Cœlo cæleſtis eſt.* Ibid.
5. *Siquid originalîs peccati, in propagatione Matris DEI extitit, illud propagantium, non propagatæ fuit.* Ibid.
6. *Vas electionis S. Paulus dixit, omnes in Adam peccâſſe; vera utique ſententia, & cui contradicere, nefas eſſe pronuntio: ſed cùm eminentiam gratiæ in Te, Maria Virgo! conſidero, ſicut Te non intrà, ſed ſupra omnia, quæ facta ſunt, ineffabilî modo contueor, ita & te, non lege naturæ aliorum, in tuâ conceptione devectam fuiſſe opinor.* In Offic. neg. c. 4.
7. *De Dominâ noſtrâ, quam in tantum culmen prædeſtinavit, & extulit Divina potentia, quam tot prærogativis dotavit, quam ſibi Matrem elegit, ad mundo ſubveniendum, ipſa omnium ſalvandorum ineffabilis DEI miſericordia, dicere, morte peccati, quæ per invidiam diaboli occupavit orbem terrarum, in ſuo conceptu aggravari*

*vari, animus evitat, intentio abhorret, lingua fateri non audet.* In Clauſul. lib. de Concept.

## §. 3. *Ratio.*

73. eCCLeſIa agIt feſtVM ILLIbatæ ConCeptIonIs : ergo eſt sanCta, & sIne Labe.

S. Thom. 3. p. q. 27. a. 1. in argum. *ſic contrà.* hæc habet: *Eccleſia celebrat Nativitatem B. Virginis, non autem celebratur Feſtum in Eccleſiâ, niſi pro aliquo Sancto. Ergo B. Virgo in ipsâ ſuâ nativitate fuit Sancta.* Subſumo ego: Atqui defacto in Eccleſiâ celebratur Feſtum immaculatæ Conceptionis. Ergo, ſicut juxta S. Thomam B. Virgo fuit Sancta in Nativitate, ita etiam in Conceptione. Sed Sancta non fuiſſet, ſi tunc contraxiſſet labem peccati originalis. Ergo &c.


## §. 4. *Hiſtoria.*

74. LaICVs, sIne Læsione, In MeDIo IgnIs.

Convenerant in itinere quodam, diverſorum Ordinum Patres Religioſi, ac varios inter diſcurſus, de immaculatâ tandem Virginis conceptione, quid quisque ſentiat? Sermonem inſtituebant. Negare ex illis unus, Mariam ſine labe conceptam, defendere totis viribus alter, cumque pertinacibus argumentis ſententiæ quisque ſuæ adhæreret, Frater quidam Laicus, Patris Franciſcani ſocius, ſuſtinere diutiùs non valens injuriam, ab altero Religioſo Virginis innocentiæ illatam, ex motu iræ, validiſſimam Sacerdoti alapam inflixit. Erat percuſſus Religioſus ex nobilibus admodùm parentibus progenitus, quorum non procul inde erat habitatio; hinc timore illorum Parentum, ac conſanguineorum, diù percuſſor delituit, præſertim cùm intelligeret, intendi vindictam, de colapho, Religioſo illi Patri à ſe inflicto. Complures jam dies effluxerant, cùm confiſus in Virginis immaculatæ adjutorio Laicus, ultrò Cognatos, & propinquos accedit, candidè affirmans) ſe non malâ quidem voluntate, percuſſiſſe dictum Sacerdotem, illorum conſanguineum, ſed eam tantùm ob cauſam, quia immaculatam ille Conceptionem puriſſimæ DEI genitricis tam acriter infamâſſet. Promiſit autem, ſe veritatem mox, in omnium oculis, clarè demonſtraturum. Ignem, inquiebat, grandem accendite, quem, unà cum Sacerdote, à me percuſſo, intrare promitto, qui deinde ex nobis fuerit flammis conſumptus, ejus falſa reputetur opinio. Placuit ſermo in auribus omnium, moxque ignis, ut petebatur, accenſus. Hìc Laicus, apprehensâ Sacerdotis manu, ſecum illum in ignem perducere volebat, qui tamen, præ nimio mortis horrore, intrare omninò recuſavit. Laicus ergo ſolus flammis ſeſe committere non perhorruit, invocatâ nimirùm calidiſſimis precibus virgine immaculatâ, ut ſicùt illa ſine peccati incendio fuerat procreata, ſic & famulum ſuum ab igne illæſum conſervaret. Et ſanè ſtetit, in medio ignis, ſine ullâ læſione Laicus, per longum tempus, Patrem Religioſum, ad easdem flammas ſubeundas iteratò, ſed incaſsùm invitans. Facile proinde erat, tam grandì miraculo, univerſos adſtantes, ad credendam Virgineæ Matris innocentiam adducere, veniamque ob percuſſum in fervore, reluctatorem obtinere. *Bernardin. de Buſti Serm. 8. de Concept.*

## §. 5. *Symbolum.*

75. MarIæ ConCeptIo, Vt IgnIs Inter spInas, arDentIor.




Non tantas accenſa faces dant cætera ligna
Spinarum quantas arida ligna ſolent.
Hinc, inter maculæ Spinas, ardentior ignis
Conceptæ abs maculâ Virginis ille fuit.

*Succenſa ardebit, quaſi combuſtio ignis.* Iſaiæ c. 10. v. 16.

## §. 6. *Antiquitas.*

76. serVatIo AnChIsIs PatrIs, à TroIano InCenDIo, per ÆneaM.

Cùm flammis univerſam Trojam depopulantibus, nulla jam ſpes ſalutis civibus relinqueretur, tanto in dilectum ſuum Patrem Anchiſen, ſenio prægravatum, affectu Æneas ferebatur, ut, cùm fugam pedibus arripere ſeniculus genitor non valeret, ipſe eundem proprijs humeris impoſitum, relictis quibuscunque alijs divitijs, velut unicum pretioſiſſimum pignus, non tantùm à præſentî redemerit incendio, verùm etiam Drepanum uſque, Siciliæ Urbem, ſecum vexerit in ſecuritatem. *Virgil. l. 1. Æneid.* In cujus facti comendationem optimè cecinit Claudianus:

*Quòd ſi notus amor provexit in aſtra Lacones,*
*Æneam Phrigio raptus ab igne Pater.*

Huic prorsùs conſimile refert Ælianus, Catanensî nimirum Urbe, unà cum hortis, pratis, vineisque circumjacentibus, per incendium Montis Æthnæ, in cineres redactâ, duos cives, quorum alteri Philonomo, Calliæ alteri, vel (ut alij volunt) Amphinomo, & Anapio nomen erat, illum Matrem, hunc Patrem humeris impoſitos, flammis eripuiſſe, ac ſecuritati reſtituiſſe. Dici tam cives illi, quàm Æneas, poterant, veræ pietatis filialîs Salamandræ, quorum ferventiſſimus erga Parentes amor, omnî externâ flammâ fortior fuit, atque ſuperior.

Nonnè ergò dicemus, DEUM quoque, qui totus amor eſt, è communî illo peccati originalîs incendio, ſingulariter ſtuduiſſe extra here, ſecuramque reddere Matrem, Filio proprio præelectam? ita, ut prævisâ ei Sacroſancta Paſſionis merita adhibens, jugiter adimpleverit exemplo illud, quod verbo per Moyſen docuerat. *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam, &c. Exod. c. 20. v. 12.*

## §. 7. *Anagramma.*

ADaMI Væ proCVL à te, sIne Labe. 77.

*Adami amarum, ingens vae, it procul à te.*
Verſio litteralis.
*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

De

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XII.

## §. I. *Scriptura.*

78. GenItrIX VIrgo, à sCeLere eXCepta, VnIVerſaLI CarCerIs perICVLo haVD eXponenDa.

Exod. c. 4. v. 20. *Tulit ergò Moyſes uxorem ſuam, & filios ſuos, & impoſuit eos ſuper aſinum, reverſusque eſt in Ægyptum.*

PErrecturus jubente Numine Moyſes, ex deſerto Madian, in Ægyptum, nolebat domi relinquere Sephoram, uxorem ſuam dilectiſſimam, ſed teſte S. Textu, *Tulit uxorem ſuam, & filios ſuos &c.* Verùm inexſpectatus mox caſus Moyſi hoc in itinere conſtituto contigit; ut enim Sacræ
v. 24. paginæ ulteriùs recenſent: *Cùm eſſet in itinere, in diverſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Atque, ut totam Hiſtoriam compendio abſolvamus,
v. 25. *Tulit illicò Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui, tetigitque pedes ejus, & ait: ait Sponſus ſanguinum tu mihi es.* Hìc non immeritò admirari quis poſſet, quam ob cauſam tanta erga dilectiſſimum aliàs ſervum ſuum Moyſen, Divini Numinis exarſerit indignatio? verùm (juxta Auguſtinũ, Theodoretum, Euſebium Pariſienſem, & Emiſſenum) alia certè ratio non fuit, niſi quòd Moyſes, miſſus à DEO tanquàm univerſalis captivi populi hebræi redemptor, è manu, & ſervitute Pharaonis, propriam ſecum Sponſam ſumendo, eam perfacilè periculo parîs captivitatis, ac diræ ſervitutis exponere potuiſſet, quod DEUS omninò indignum judicans, adeò in Moyſen eſt exacerbatus, ut mortem illi fuerit in eodem itinere comminatus.

Hæc Hiſtoria perbellè immaculatam Deiparæ conceptionem denotat: ſi enim Lyrano fides, Sephora nil aliud ſignificat, quàm: *Tota pulchra*, fuit ergo præclara Virginis immaculatæ figura. Inſuper in populo Judaico, ſub diro Pharaonis jugo gemente, tota Adami Protoparentis noſtri figurabatur poſteritas, utpotè per originale peccatum in miſeram infernalîs Pharaonis captivitatem, diramque ſervitutem deducta. In Moyſe autem, conſtituto ejusdem populi redemptore, præfigurabatur Chriſtus, redemptor noſter pijſſimus, à Patre Cœleſtî in terram demiſſus. Nolebat ergo Divina providentia, chariſſimam Sephoram ſuam MARIAM, digniſſimam æterni Patris Filiam, Filij Matrem, Spiritûs Sancti Sponſam, inter dæmonis ſervos, ac captivos, ullo momento numerari, commorari, periclitari: imò voluit potiùs, diabolum ab illâ ligari; ut enim ait S. Bruno: Serm. de
*Virgo eſt, cui Dominus ligavit Leviatan.* Nativ.
Tria hìc, ad rem noſtram, hominum genera recenſet Petrus Gregorius: *Alij*, lib. de re-
ait, *liberi ſunt, atque ingenui, qui nunquam* publ.
*ſervierunt: alij liberti, qui ſervierunt, qui ſervituti fuerunt obnoxij, ſed tamen per manumiſſionem libertatem ſunt adepti: alij ſervi ſemper manent.* Porrò his ſuppoſitis, dixit de libertis Martianus Imperator: *Macula illis quædam & nota inter ingenuos remanet, utpotè quod ſervi ſaltem fuerint.* Quod idem de ſpurijs legitimatis Baldus pronuntiat: *Spurius legitimatus, vel aliquâ ratione nobilitatus ſimilis eſt ægro curato à vulnere, cujus ſemper aliqua remanet cicatrix.* Ne ergò MARIA talis aliquando liberta dici poſſet, ne ullius quidem momenti ſpatio, vulneris originalîs in illâ obſervaretur cicatrix, ne dæmonis captivitati, vel unico temporis punctulo ſubijceretur, ac ſubjectionis tam turpîs periculo obnoxia crederetur, nullam in Virgine genitrice ſervitutem DEUS vo-

voluit, nullum vulnus; nullam labem, nullam turpitudinis notam, nullam maculam in MARIA admiſit: Verè igitur Beata Sephora, *tota pulchra*, quia in ipſo conceptionis ſuæ exordio, extra omne peccandi periculum, ſine maculâ reperta, quæ in monte Calvariæ, ad pedes Filij ſui crucifixi jugiter aſtans, meliorî jure ad illum, quàm Sephora ad Moyſen maritum ſuum, dicere poterat: *Sponſus Sanguinum tu mihi es, &c.* præſervationem ſcilicèt ſuam ab hoc ipſo Chriſti ſanguine prævisſo acceptam agnoſcens. Hanc ergò pulcherrimam Sephoram, Redemptoris noſtri innocentiſſimi matrem innocentiſſimam, ab omnî ſcelere exceptam, nemo pertinaciter præſûmat aſſerere, captivitatis diabolicæ periculo expoſitam fuiſſe, niſi ipſemet præſentiſſimo carceris æterni periculo exponi, diramque infernalîs Pharaonis ſervitutem, MARIA præſertim manum maternam ſubtrahente, ſubire velit, &c.

## §. 2. *Authoritas.*

79. S.AntIoChVs,pVraM DICens.

*Nulli tamen poſſibile, ad tantæ virtutis pertingere faſtigium, niſi præſidio juvetur, & ergà DEUM charitatis, & animi de ſe quàm modeſtiſſimè ſentientis, juxta teſtimonium Deiparæ, omnî laudum genere celeberrimæ, nulli obnoxiæ peccato.* Homil. 21.

## §. 3. *Ratio.*

80. VIrgo MarIa, eX proVerbIo: *VoX popVLI, VoX DeI,* ILLIbata.

VOx *populi* eſt *vox DEI*: Atqui vox populi eſt, Virginem MARIAM eſſe ſine maculâ conceptam. Ergo eadem eſt vox DEI. maj. prob. Vox, quæ non eſt DEI, eſt errori, & falſitati obnoxia, cùm non correſpondeat primæ veritati, ut Chriſtus de ſeipſo teſtatur: *Ego ſum via, veritas, &c.* Ergò è contrario, quæ primæ veritati conformis eſt, erit vox DEI. Atqui talis eſt vox populi, cùm credibile non ſit, æterni Patris Filium Chriſtum Dominum, populum totius Univerſi, & præcipuè chariſſimam ſuam Sponſam, Eccleſiam Catholicam, perpetuo in errore conſtitutam derelinquere, nec eam corrigere, quod contingeret, ſi vox populi non ſemper eſſet conformis primæ veritati, ut patet. Ergo &c. Probatur etiam min. Vox populi eſt, quod univerſi Orbis ſtatus, & conditiones tenent: Atqui Virginem MARIAM eſſe illibatam, & ſine maculâ, inculcant Scripturæ, Pontifices, & Concilia, proclamant SS. Patres, Theologi Scholaſtici, diverſique Religionum Ordines, diverſis rationibus exornant, Juriſtæ per leges probant, Philoſophi ex rationibus naturalibus deducunt, Rhetores orationibus perorant, huic piæ ſententiæ nec Mahumetani, nec gentiles diſſentiunt. Ergo vox populi, conſequenter & DEI eſt, MARIAM eſſe ſine maculâ conceptam, eſſe illibatam.

## §. 4. *Hiſtoria.*

Labes In MarIâ, sVLDanI genIto IntoLerabILIs. 81.


ANno Milleſimo, Trecenteſimo, Vigeſimo ſecundo, ſedente Joanne XXII. Pontifice, Avinione in Gallijs, ad partes noſtras venit genitus Magni Armeniæ Suldani, græcæ, & latinæ linguæ admodùm peritus. Hic ſum̃o honore Pontificalî in Curiâ exceptus, quotidiè Sacris Ritibus, Ceremonijs, ac Solennitatibus, quibus mirum in modum capiebatur, intererat, jamque eò res devenerat, ut Catechumenus, & Religionis noſtræ haberetur candidatus, non ſine ingentî Sanctiſſimi Pontificis gaudio. Attamen, proh dolor! omnia aliter evenerunt; accidit enim, ut luce Feſtivâ Marianæ Conceptionis, Oratorem audierit, multis & Scripturis, & Figuris demonſtrare conantem, DEI Matrem, cum cætero Mortalium grege, Originalîs peccati maculam contraxiſſe. Ad quæ novus ille Orthodoxæ Fidei Candidatus in tantum fuit ſcandalizatus, ut confeſtim è loco conſurgens,

cum

cum fremitu, ac furore, in hæc verba proruperit: Apagè tetrum ſpurciloquiū! etenim, ſi in conſpectu Califæ, aut Suldani Ægypti, aut in conſpectu aliorum Saracenorum, quis talia effari auſus fuiſſet, nullo certè pacto evadere potuiſſet, quin ab omnibus lapidaretur, etſi Primas Regni foret: imò, ſiquis talia de Matre Mahumeti, inter nos, effutire præſumeret, viviburio piaret. Itaque vale Chriſtianitas! Nihil mihi, & Baptiſmo, nihil mihi, & Religioni, in qua DEI Mater turpis audit, & impura! Dixit, & obfirmatè â Sacris noſtris reſiliens, renitente in vanum Pontifice, quâlis advenerat, in Regionem ſuam eſt reverſus. Hunc nempe fructum è Sacro ſuggeſtu, orator ille minimè ſobrius retulit, edoctus, aliam effundendæ pectoris purulentiæ ſedem quærere. *Jacob. Perez de Valent. ad verſ. 3.* Magnificat. *Pellbartus in ſtellar. Raynaud. tom. 7. pag. 143. & tom. 8. pag. 265.*

## §. 5. *Symbolum.*

82. VItrVM VasIs reLIqVIs, VIrtVte argentI VIVI, DIffraCtIs, sIne sIgno rVptVræ.




Cur tot vaſa ruunt? frangit Mercurius iſta
Infuſus: Vitro nil tamen ille nocet.
Cur ruit omnis homo? culpa eſt transfuſa Parentum,
Conceptæ abs maculâ nil tamen illa nocet.

*Erit vas in honorem, ſanctificatum & utile Domino, ad omne opus bonum paratum.* 2. Tim. 2. v. 21.

## §. 6. *Antiquitas.*

FæMIna Capta, VIro erVbesCenDa. 83.

VEterum Hiſtoriarum produnt monumenta, Teutonibus, ac Cimbris adversùm Romanos prælio decertantibus, ac conſpectâ Romanorum potentiâ, terga jam vertere cogitantibus, animos à fæminis, illorum uxoribus, hâc commonitione additos fuiſſe? *Eia Viri! Eia mariti dilectiſſimi! pugnate fortiter, vincite, triumphate, ne nos Romanorum captivas videatis!* tam turpe ſcilicet, tantumque dedecus, viris ſummè erubeſcendum, videbatur illis, Romanorum eſſe captivas.

Qui hanc barbararum fæminarum adhortationem, à Cornelio Tacito annotatam, rei Sacræ adaptare voluerit, facilè ſibi perſuadebit, quantò magìs probroſum fuiſſet, fæminarum pulcherrimam, inter mulieres omnes benedictam, etiam momentaneo temporis ſpatio, infernalîs inimici, per originale, captivā extitiſſe. Erubeſcenda certè fuiſſet, & etiamnùm eſſet, hujus fæminæ benedictæ captivitas, non Sponſo tantùm Divino, ſcilicet Spiritui Sancto, verùm ipſi etiam MARIÆ in terris Filio, Chriſto JESU, de quo certum eſt, quòd pugnârit pro illâ fortiter, & ad infamiam hanc captivitatis à Matre avertendam, ſuum præſervativè ſanguinem, & Sacratiſſimam paſſionem ſpecialiter applicaverit, verbo, quòd in conceptionis ejus conflictu contra peccatum decertare per miracula voluerit, tantùm, nè illam Satanæ, immanîs, barbari, & immitîs adverſarij mancipium, ac captivam videret.

## §. 7. *Anagramma.*

MVnDa VIrgo, ALtare CœLI. 84.

*Tu pia Regina, ſumma, et munda Coeli Ara!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

* * *

DE

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS XIII.

### §. I. *Scriptura.*

85. VIrgo Mater nVLLo granDIne taCta.

Exod. c. 9 v. 25. & 26. *Cunctam herbam agri percuſſit grando, & omne lignum Regionis confregit: tantùm in terrâ Geſſen, ubi erant filij Iſrael, grando non cecidit.*

EMolliturus tandem induratum cor
Pharaonis Dominus, Prophetam
Moyſen ſubmiſit, qui verba ei ſe-
v. 16. quentia, nomine ſuo, nuntiaret: *Poſui
te, ut oſtendam in te fortitudinem meam.* Et
ſanè fortitudinem hanc ſuam ſatìs
oſtendit Divina longanimitas, per im
miſſas ſucceſſivè complures, non gra-
ves tantùm, ſed & mirabiles pœnas,
Divinis in litteris c. 7. & ſequentibus,
ſecundùm ordinem expreſſas. Has
inter haud minima mihi videtur illa,
qua (ut ait ſacer textus) *cunctam her-
bam agri percuſſit grando, & omne lignum re-
gionis confregit, tantùm in terrâ Geſſen, ubi
erant filij Iſrael, grando non cecidit.*

Hæc cùm attentiùs conſidero, pœ-
nas à Divino Numine, in prævaricato-
rem Adamum immiſſas, in memoriam
revoco. Vindictam enim ſumptura,
de graviſſimâ Protoplaſtorum noſtro-
rum transgreſſione, Divina juſtitia,
nonnè etiam *fortitudinem ſuam* ſatìs
oſtendit, proſcribendo illos quanto-
cyùs è Paradiſo, immittendo inſuper
illis, totique eorum poſteritati, com-
plures graviſſimas pœnas? v. g. quòd
panem ſuum labore multo compara-
re deberent, quo ſine labore, in abun-
Gen. 3. v. 19. dantiâ perfrui potuiſſent: *In ſudore
vultûs tui veſceris pane tuo.* quòd terra,
quamvìs indefeſſo labore exculta, ſpi-
nas tamen, & tribulos illis eſſet prola-
v. 17. tura: *Maledicta Terra, in opere tuo, ſpinas,
& tribulos germinabit tibi.* quòd mu-
lier innumeris ſubjecta calamitatibus,
concipiendo deficere, & pariendo gra-
viſſimos ſuſtinere dolores, totidemque
mortis pericula ſubire teneretur: *Mul-* v. 16.
*tiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos: in
dolore paries filios* quòd mulier viro
per omnia ſubjecta, diram quaſi ſervi-
tutem, ad ipſam uſque mortem, ſuſti-
nere cogeretur: *Sub poteſtate viri eris &c.* Ibid.
Hæc porrò juſtiſſima commiſſi ſceleris
vindicta, quaſi *grando* vehementiſſima,
*cunctam herbam agri* (univerſum genus
humanum intelligo) miſerè *percuſſit*,
*tantùm in terrâ Geſſen* (dico ego: *in ter-
râ Jeſſe*) id eſt, Virgine Deiparâ, Terrâ
illâ benedictâ, & ſacerdotalî, ex quâ
germinaturum erat *frumentum electorum*, Zach. 9.
& oriturus ipſe JESUS, æterni Patris v. 17.
unigenitus, *grando* peccati *non cecidit.*
Specialiter enim DEUS ponere MA-
RIAM voluit, *ut oſtenderet in eâ fortitudi-
nem ſuam*, ab omnî illam culpâ ſpecia-
liſſimè præſervando. Miraris fortè,
ſolam terram Geſſenam tanto gaviſam
privilegio, ut cunctâ circùm Regione
grandine devaſtatâ, illa ſola intacta
ſubſiſteret? ſed audi. Nonnè ipſemet
etiam Pharao, cùm omnem Regni ſui
terram ſibi ſubijceret, utpotè pretio
emptam, ac idcircò tributariam red-
deret, nonnè ſolam Sacerdotalem ter-
ram, à ſimilî tributo prorsùs liberam
voluit, ac immunem? *Emit igitur*, ait
ſacer textus, *Joſeph omnem terram Ægyp-* Gen. 47.
*ti, vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas, præ* v. 20.
*magnitudine famis, ſubjecitque eam Phara-
oni, & cunctos populos ejus, à noviſſimis termi-
nis Ægypti, uſque ad extremos fines ejus,
præter terram ſacerdotum.* Quo myſterio
ſimiliter declarari videtur, cùm Sata-
nas, Pharao ille tartareus, univerſum
mundi regnum, ſub diram peccati ſer-
vitutem redegiſſet, & DEUS ipſe, totius
orbis Dominus, homines, qui naturæ
jure illius ſunt ſubditi, pœnæ æternæ
addixiſſet, ſolam MARIAM Virginem,
mag-

magni illius Sacerdotis, de quo ſcriptum eſt: *Tu es Sacerdos in æternum, ſecundùm ordinem Melchiſedech*, Terram, exceptionem eſſe paſſam, utpotè quæ ab omnî peccato immunis, ſine originalî (quod quidem commune, ſed Tyrannicum naturæ tributum erat) concepta eſt. Optimè igitur de Virgineâ hac terrâ, à communî peccati originalîs grandine intactâ, omnîsque tributi infernalîs experte, Guarricus Abbas, D. Bernardi diſcipulus, ſequentem in modum diſcurrit: *Maria terra eſt benedicta, in opere redemptionis, quæ remiſſionem peccatorum, fructumque vitæ parturit univerſis, & filijs Adæ præjudicium originalîs diſſolvit maledicti.* Ad hanc terram, qui grandinem æternæ maledictionis pertimeſcimus, confugiamus: nec enim vindicta Divina tanget eos, qui immaculatæ Virginis Conceptioni devoti, contractis maculis, ſpinisque peccati per confeſſionem eradicatis, *Terræ* adhærent, quam ſolam Dominus à communî grandine, ſceleriſque tributo liberam voluit.

Pſal. 109. v. 4.

Serm. de Annunt. B. V.

## §. 2. *Authoritas.*

86. ArnoLDVs CarnotensIs LIberaM propVgnans.

*Quòd Maria prædicatur gratiâ plena, manifeſtum eſt, individuam eſſe Matris, & Filij gloriam, & commune eſſe utriuſque præconium, cujus definitio omnium ſuperat intellectum.* De laud. Virg.

## §. 3. *Ratio.*

87. sI non DeConDIgno, pVra De CongrVo.

Ille modus redemptionis, reſpectu Beatiſſimæ Virginis, à peccato originalî, aſſignari debet, qui cæteris perfectior, aliunde non implicat, & à B. Virgine, ſi non de condigno, ſaltem de congruo, mereri poteſt. Atqui redemptio præſervativa, ex virtute paſſionis Chriſti, cæteris eſt perfectior, aliunde non implicat, & à B. Virgine mereri poteſt. Ergo &c. min. quoad primum membrum, ex eo conſtat, quia perfectius eſt Medico, ſi præſervet quemquam à morbo, quàm ſi primùm eum ſanet à morbo jam contracto. Ergò etiam perfectius eſt, ſi Chriſtus ſuam Matrem præſervet à peccato, quàm ſi eam ſanaret à peccato jam contracto. 2.da pars conſtat ex alijs hìc aſſignatis rationibus. 3.a pars probatur. B. Virgo, etſi non de condigno, ſaltem de congruo meruit Maternitatem, ut tenet S. Auguſtinus de Nativ. & grat. c. 30. *Beata Maria concipere DEUM meruit, & parere.* & S. Doctor in 3. Sent. diſt. 4. q. 3. a. 1. ad 3. *Beata Virgo non meruit Incarnationem, ſed præſuppoſitâ Incarnatione, meruit, quòd per eam fieret Mater, non quidem merito condigni, ſed congrui.* Ergo etiam meruit præſervationem à peccato. prob. Conſeq. Qui meretur, quod eſt plus, poteſt etiam mereri, quod eſt minus, ſed plus eſt Maternitas, quæ propter terminum, quem reſpicit, eſt ordinis hypoſtatici, quàm præſervatio à peccato, quæ eſt multùm inferioris ordinis. Ergò Maria ſi non de condigno, ſaltem de congruo fuit pura, & meruit præſervationem à peccato.

## §. 4. *Hiſtoria.*

ConCIonatorIs DeIparæ InfaMatorIs, pVnItIo. 88.

Ad concionem invitatur, quisquis contra torrentem tot Pontificum, Conciliorum, ac Sanctorum Patrum, immaculatam Virginis Deiparæ conceptionem in dubium vocans, vel cum Scribis, & Phariſæis ſignum quærit, dicentibus: *Magiſter! volumus à te ſignum videre*, vel *Math. 12.* cum Thomâ Apoſtolo dicere conſtanter audet: *Niſi videro, non credam.* Ad concionem inquàm talis invitatur, & quidem illam, quam Concionator quondam in Italiâ peroravit, ac ridiculo prorsùs Epilogo concluſit. Erat prædicator ille opinionis omninò ſiniſtræ, circà Conceptionem puriſſimæ DEI genitricis, atque utinam ſolus ipſe, quod voluiſſet, crediſſet, ac non etiam, in publicis Concionibus, populo eandem ipſam opinionem tam fervidè perſuadere improbo labore conatus fuiſſet! tam fervidè, inquam, eò enim im-

improbus hic viri fervor devenit,ut die quâdam coram ingentî populi multitudine, in hæc verba incautus proruperit: Rogo Virginem Mariam, ut de veritate, meis auditoribus jam ſæpiùs propoſitâ,aliquam ipſa demonſtrationẽ facere dignetur. Quid ais miſer? demonſtrationẽ petis, & ſignis tuam propoſitionem confirmari deſideras? dabitur certè ſignum, ſed non aliud, niſi *ſignum Jonæ Prophetæ*,dabitur demonſtratio, ſed talis, quæ tuam coram omnî populo confundet audaciam, Sic nimirùm ad finẽ illius concionis evenit; vix enim demonſtrationem hanc à Virgine Beatiſſimâ deſideravit, cùm ecce! inferiorî Cathedræ parte, ſuper quã ſtabat, extemplò confractâ, ſat magno fragore, ipſe deorsùn corruit, ac licèt nullũ ipſi notabile damnũ inde fuerit illatũ, toti tamen populo, jam meliùs de Virginis Conceptione ſentienti, ludibrio fuit, & irriſioni; & hæc erat commerita Concionatoris, Deiparæ infamatoris, punitio. *Bernard. de Buſti Serm. 9. de Concept.*

## §. 5. *Symbolum.*

89. nIMbVs orIgInaLIs, nIhIL
noCens DeIparæ.




Non nocet inferior Nimbi vis ſæva colono,
Qui tenet alta jugi: Non ibi gutta cadit.
Sic tibi Tempeſtas primi nimboſa Parentis
Haud nocuit Virgo! Mons tibi Chriſtus erat.

*In petra exaltavit me, & nunc exaltavit caput meum, ſuper inimicos meos.* Pſal. 26. v. 6.

## §. 6. *Antiquitas.*

InsVLa, Carens noXIo Veneno, 90.
qVIa MagnVs In De IVpIter
eXortVs fVIt.

IN Inſulâ Cretensî, nullum reperiri animal nocivum, ſeu venenoſum,paſſim referunt Scriptores. Cauſam porrò tantæ hujus Inſulæ prærogativæ ſi indagare velimus, nullam certè aliam reperiemus, niſi, quam Poëtarum excogitarunt fabulæ, præſertim Virgilius Æneid. 8. Magnum ſcilicet Jovem, Deorum omnium Patrem, ibidem natum fuiſſe; ſic enim, hanc in rem, canit Poëta:

*Creta Jovis Magni medio jacet Inſula Ponto.*

Quòd ſi terra illa tanto decorata privilegio dicitur, eam præcisè ob cauſam, quòd magnus indè Jupiter exortus, fictis Poëtarum eloquijs, perhibeatur, quibus obſecro, privilegijs, ac exemptionibus decorata credenda erit Terra illa benedicta, ex quâ, non per ſomnium aliquod fictitium, ſed verè, ac propriè ſecundùm carnem exortus fuit Magni, ac benedicti DEI,Magnus pariter, ac benedictus Filius? nullum in Inſulâ illâ Cretenſi ſubſiſtere poteſt animal, noxio veneno infectum, ac inficiens: & credendum fortè erit, Terram noſtram Virgineam, nocentiſſimo peccati originalîs toxico infectam? abſit! abſit! ait enim Pſalmiſta: *Benedixiſti Domine terram tuam.* Pſal. 84.

## §. 7. *Anagramma.*

IMago DeI, absqVe Labe, 91.
CLara, & pVra.

*Imago DEI, ſumma, clara, et pura inventa!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

* *
*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XIV.

## §. I. *Scriptura.*

92. ConCeptIo Labe Carens, CeLebrIs CVM oCtaVâ.

Exod. c. 12. v. 16. *Dies Prima erit Sancta, atque Solennis, & dies Septima eâdem Feſtivitate venerabilis.*

TEmpus jamjam advenerat, cùm perſiſtente indurati Regis obſtinatione, Nemeſis Divina ultimâ vice, Ægyptios percuſſura, & quidem in cunctis primogenitis eorum, hæc per Moyſen populo ſuo Iſraeli-
v. 13. tico denuntiari voluit: *Tranſibo vos, nec erit in vobis plaga diſperdens, quando percuſſero terram Ægypti.* Cui mox expreſ-
v. 14. ſam conditionem adjungens, *Habebitis autem,* inquit, *hunc Diem in monimentum, & celebrabitis eum ſolennem Domino in generationibus veſtris, cultu ſempiterno.* Cujus memoriæ celebritatem, paulò poſt, ad integram extendens octavam, ulteriùs præcipiebat: *Dies prima erit Sancta, atque Solennis, & dies ſeptima, eâdem Feſtivitate venerabilis.*

En! præclaram Virginis immaculatæ, ejusdemque Feſtivitatis ſolenniſſimæ, cum octavâ celebrari ſolitæ figuram! Cunctis enim mortalibus plagâ peſſimâ culpæ originalîs percuſſis: *Tranſibo* (ait Dominus DEUS) MARIAM, futuram Filij mei unigeniti in terris genitricem, Tranſibo eam, *nec erit in eâ plaga diſperdens*, nec macula deturpans, quamvis reliqui omnes turpî aliquando maculâ, & plagâ inſanabilî fuerint percuſſi, aut ulteriùs percutiendi; volo autem ut Dies hic, Feſtum nimirùm Virginis ſine labe conceptæ, ſit cunctis Chriſti fidelibus *in monimentum*, & ritu ſolennî *celebretur*, *in generationibus eorum cultu ſempiterno*, prout ipſa Virgo immaculata deſiderare videtur, dicens:
Eccli. 24. v. 28. *Memoria mea, in generatione ſæculorum.* Quid ergò mirum, ſi Feſtivitatem hanc ſupremus in terris Chriſti Vicarius, Romanus Pontifex, nobis annuâ Celebritate, & quidem per totam Octavam ſolenniter recolendam præcepit? quid mirum, ſi ſolennes quoque indulgentias Sixtus IV. Pontifex Max. omnibus In Extravag. *cùm præcelſa.* de Reliq. & vener. Sanct.
Feſtum hoc, & Octavam devotè celebrantibus ſuperaddidit, & quidem tales, quales Papa Urbanus IV. in Feſto Corporis Chriſti? noverant nimirùm ſumma hæc Eccleſiæ Chriſtianæ capita, & attentè perpendebant, tunc (in hac ipsâ ſcilicet Conceptione) prima noſtræ redemptionis jacta fuiſſe fundamenta: noverant, tunc admirandam telam, ex quâ æterno DEI Filio mortalîs naturæ veſtis aptanda erat, confici cœptam: noverant, tunc Regale palatium, in quo DEI filius, in carne aſſumptâ, habitaret, conſtrui inchoatum: noverant, tunc paradiſum illum voluptatis plantatum, in cujus medio lignum vitæ naſceretur: noverant denique tunc Arcam illam fœderis, quæ verum Manna, panem vivum de Cœlo miſſum, univerſo tandem orbi edendum reconderet, ædificari incœptam, cùm Virgo Beatiſſima in alvo concepta eſt. Nec illos latebat, quæ Divus noſter Anſelmus conſolatione pleniſſima orbi nuntiârit, *Hujus*, inquiens,
*Solennitatis celebratoribus datur à Filio Virginis Domino noſtro J E S U Chriſto, pax & longa ſalus, & poſt tranſitum hujus vitæ, requies æterna.* homil. de Concept.
Quis porrò non gratuletur Virgini Beatiſſimæ, ob tantam illibatæ ſuæ Conceptionis celebritatem, ab univerſâ Eccleſiâ receptam? hactenùs (ut cum Davide Te alloquar)
DEI genitrix immaculata! *gloriati ſunt, qui oderunt te, in medio Solennitatis tuæ,* nunc Pſal. 75. v. 5.
verò confunduntur, cùm non Solennitas modò, ſed & integra ejusdem Octava ab Eccleſiâ ſit conſtituta. Ut autem

tem promiſſa ab Anſelmo pacis, æternæque ſalutis præmia & nobis obtingant, celebremus omnî devotione annuam hanc Solennitatem, Davidicum illud monitum jugiter in Pſal. 117. v. 27. memoriâ retinentes, ubi ait: *Conſtituite Diem ſolennem in condenſis*, denſo agmine ad Eccleſiam recurrendo, ac ſacrâ ſpecialiter Exomologesî peccatorum noſtrorum maculas abluendo, ut in hâc Conceptionis puriſſimæ ſolenni memoriâ de quolibet Pſal. 7. v. 15. noſtrûm gloriari MARIA poſſit: *Concepit dolorem, & peperit iniquitatem*, id eſt, peccator ad ſinum miſericordiæ meæ confugiens, vitæ retroactæ pœnitens, intrinſeco quodam tactus dolore, in ipſo Conceptionis meæ Feſto, conceptis remordentis conſcientiæ ſtimulis, delicta ſua in confeſſionalî aperiendo, *peperit iniquitatem*. Nec immeritò de talî Mariophilo puriſſima gloriatur; hujusmodi enim hominis pœnitentis ſortem Sancti etiam æmulantur, Divo Ambroſio ita eum gratulabundo ore alloquente: in caput 1. Luc. *Curribus Confeſſionis inſidens, tendis ad veniam: accipe me tecum, in hac cogitatione conſortem, ut adjuncto communî comitatu, ad metas indulgentiæ properemus.* Talibus & nos adjungamus, ut parem indulgentiam conſequamur.

## §. 2. *Authoritas.*

93. S. AthanasIVs, Conſtanter pVraM DICens.

1. *Indecens certè fuiſſet, quòd Filius immaculatus, duceret Matrem maculatam.* Serm. ad Deiparam.
2. *Idcircò gratiâ plena cognominata eſt, eò quòd adimpletione Spiritûs Sancti, omnibus gratijs abundaret, & virtute altiſſimi obumbraretur, quam virtutem, per omnia tempora, Conceptûs etiam, habuiſſe confido; neque enim id temporarium in Virgine accidiſſe opinor, ſed per omnia tempora, hoc illi datum fuiſſe.* Epiſt. ad Epictetum.

## §. 3. *Ratio.*

94. MarIæ sIne Labe ConCeptIo, eſt eCCLesIæ paCIs AnnVnCIatIo.

Eccleſia, in Collectâ ejusdem Feſtivitatis, orare ſolet: *Ut Conceptionis ejus votiva ſolemnitas, pacis tribuat incrementum.* Atqui, ſi Conceptio Virginis maculata fuiſſet peccato originalî, non pacis, ſed belli incrementum nobis tribuiſſet. Ergò, cùm juxta mentem Eccleſiæ, MARIÆ Conceptio ſit pacis annunciatio, cum peccato Originalî eſſe non potuit. Prob. min. poteritné quis eo tempore pacis incrementum ſperare, ubi continua bella, ac inimicitiæ exercentur? atqui, ſtante peccato originalî, homo continuum bellum contra DEUM agit, ejusque infenſiſſimus hoſtis eſt; per quodlibet enim peccatum grave, homo DEUM deſtruere, quantùm eſt ex parte ſuâ, affectat, rationem ultimi finîs ab eo aufert, ac in creaturâ ponit, inſuper per quodlibet peccatum grave, homo rationem formalem amicitiæ Divinæ, nempe gratiam habitualem, in ſe deſtruit, & pro eâ privationem illius, quæ eſt ratio formalis inimicitiæ Divinæ, induit. Ergò, ſi Conceptio Beatæ Virginis fuiſſet facta in peccato, non pacis, ſed belli incrementum nobis tribuiſſet.

## §. 4. *Hiſtoria.*

oCtaVa ConCeptIonIs, peragI à CœLeſtInIs soLIta, MarIæ aCCepta. 95.

Nicolaus Pratenſis, Virgini genitrici, ab infantiâ devotiſſimus, præclarum Sacræ Congregationis Cœleſtinæ lumen, cùm omnem adhibuiſſet operam, ut ſolennis Conceptæ Virginis Feſtivitas, in aliquibus jam locis, cum Octavâ celebrari ſolita, per totum etiam, quem profeſſus erat, Ordinem, parî modo, nimirùm cum Octavâ celebraretur, illudque tandem lætus obtinuiſſet, pro felicî negotij ſui eventu, gratias Virgini acturus, ad ejusdem Altare devotiſſimè provolvitur, Roſamque, quam ex domeſtico Cænobij hortulo eum in finem decerpſerat, ante imaginem Deiparentis reverenter collocans, in verba ſimilia ſolvitur: *Mater mea! ſi tibi gratum fuit, quod noſter Ordo, de Octavâ tuæ Sacræ Conceptionis, me procurante, conſtituit, Roſa hæc rubicunda, quam*

*tibi demiſſo affectu offero, vertente Anno, recurrente hoc ipſo Feſtivo die, viriditatem ſuam, pulchritudinemque conſervet.* Dixit, & Roſam jugiter incluſam, ad temporis ſtatuti terminum aſſervavit: Tum enimverò, perſoluto nimirùm Anni totius circulo, lætabundus advertit, preces ad Virginem fuſas minimè fuiſſe irritas, & Roſam ne minimum quidem elegantiæ, aut florulentiæ decorem, per tantum temporis ſpatium deperdidiſſe. Quo inſignî miraculo, ſatis profectò oſtendebatur, quàm grata Virgini illibatæ fuerit devotiſſimi ſui ſervuli labor, & quàm Octava Conceptionis, peragi impoſterùm à Cœleſtinis, per totum Ordinem ſolita, MARIÆ accepta. *Spinellus. Tract. de Feſtis Deiparæ §. 1. n. 1. Hugo Menard. Tom. 2. Sanct. Ord.*

## §. 5. *Symbolum.*

96. E MatrIs ConCeptIone, ConCeptIo FILII ab ECCLesIâ prægVſtata.




Venturæ veluti, reſonantî voce, Diei
Prodromus eſt Gallus, nuntia læta ferens:
Sic celebrare lubet Conceptæ Feſta MARIÆ,
Sunt quia Concepti prodroma læta DEI.

*Hic eſt JESUS Chriſtus, quem ego annuntio vobis.* Act. c. 17. v. 3.

## §. 6. *Antiquitas.*

GerManI Fratres, CoLLa IVgo sVbDentes. 97.

CLeobis, & Beton, Fratres germani, cùm in die, quâ eorum Matrem (neſcio, quas ob ceremonias) Deorum ſuorum Templo intereſſe oportebat, boves, à quibus curru trahenda erat, moram facere conſpicerent, nè ſera Templum ingredi notaretur, ipſimét Boum munus ultrò exercentes, propria colla currûs jugo ſubdiderunt, ut dilectiſſimam Parentem maturè, ac tempeſtivè in Templum deducerent. Incredibile dictu! quàm hìc illa ierit gloriabunda, ac quanta fuerît populi admiratio, ob ſtupendum filiorum factum, quàm læta denique omnium acclamatio, Beatam prædicantium parentem, quæ tales filios genuiſſet: Qui tamen jugi onere contriti, paulò poſt deficientes, lætiſſimo animo, vitâ conceſſerunt. *Cicero, Orat. de Tuſcul. Plutarch. in Solone.*

Quis porrò neſcit, latum à Divino Virginis Filio jugum currûs illius Triûphalîs, Sacratiſſimæ nimirùm Crucis, quo in Cœleſte nos Templum vehit ipſe? quem etiam graviſſimo hujus jugi pondere ſcimus extinctum, alacrem prorsùs, & plaudentem, utpotè, qui ſe ultrò huic jugo ſubmittens, multa fidelium millia, in Cœleſte Templum advexit, ſed imprimìs Parentem, utpotè præ cæteris dilectam. Cur enim Filius hic exiſtimetur minùs velox, pro ferendâ curru Genitrice, quàm prædicti Cleobis, & Beton, ut aliquam in Matris vectatione permiſerit moram, vel unius duntaxat inſtantis, cum majorî Matris ſuæ notâ, quàm matris illorum? imò multò celeriùs ſuccurriſſe iſte credendus eſt; præſertim, cùm ex properantiâ hâc, ingens ſibi ipſi acceſſerit gloria: id quod prædictis Filijs contigit; etenim, cùm opulentiæ aliquando ſuæ oſtentationem faciens Cræſus, Beatum ſe à Solone dici exſpectaret, nec talis vocaretur, dixit ad eum plenus faſtidio: *Quemnam, niſi me, Beatum dixeris?*

*eris?* Reſpondit Solon: *Cleobin, & Betonem, fratres germanos, qui pro matris notâ devitandâ, tam glorioſâ morte interierunt.* Quàm beatus ergò, ac glorioſus dicendus erit illibatæ Deiparæ Filius? qui non ſolùm, ut electos ſuos curru triumphalî in Cœlum transveheret, ſub jugo Crucis lubens mortem oppetijt, verùm etiam chariſſimam Genitricem, ſummâ celeritate, huic currui præviè impoſuit, antequam in terram laberetur, ac tetrâ quâdam maculâ, in lapſu inficeretur.

### §. 7. *Anagramma.*

ReglIna, IVre MVnDa à peC- 98.
Cato.

*Alma Regina, jure munda es, à tactu pomi!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS XV.

### §. I. *Scriptura.*

99. HâC DeVs MagnIfICatVs.

Exod. c. 15. v. 1. *Cantemus Domino; glorioſè enim magnificatus eſt.*

JAcebat jam Divinitùs, in marî rubro, ſubmerſa duriſſimi Pharaonis potentia, univerſo Ægyptiorum exercitu, qui Iſraëlitas perſequebatur, per undas illas, ad unum uſque, mirabiliter extincto, cùm ecce! prolixum, præcinente Moyſe, Carmen filij Iſraël Do-
v. 1. & ſeq. mino decantarunt, dicentes: *Cantemus Domino; glorioſè enim magnificatus eſt, equum, & aſcenſorem deiecit in mare. Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus eſt mihi in ſalutem, &c.* quod canticum, in devotam gratiarum actionem, latiùs ſunt proſecuti. Sed & Mariam Prophetiſſam, ſororem Aaron (atteſtante ſpecialiter S. Scripturâ) Tympanum in manu ſuâ ſumpſiſſe, ac cunctis reliquis mulieribus, in ſummum DEI honorem, debitamque pro tam mirâ liberatione gratitudinem idipſum devotum canticum præcinuiſſe, com-
v. 21. pertum eſt: *Cantemus Domino; glorioſè enim magnificatus eſt, &c.*

Porrò univerſa Theologorum Schola, duplicem ſemper, in æterno illo, & infinito *Eſſe*, quod vulgò *DEUM* dicimus, potentiam conſtituit, communem unam, & ordinariam, alteram abſolutam, & extraordinariam. Prima eſt, quâ ſuaviter omnia, juxta ſtatutum naturæ otdinem, curſumque ordinarium dirigit, ac conducit, ſic declarante hoc ipſum Sapiente: *Attingit à fine, uſ-* Sap. 8. v. 1.
*que ad finem, fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* Altera omnipotens quædam eſt virtus, quâ ſupremus ille agens, & operator magnificus, creaturas, proùt ejus eſt beneplacitum, ac prout vult, diſponit; declaraturus ſcilicet, eſſe ſe cauſam liberam, non verò naturalem, nullisque aſtrictam legibus: leges omnes infringit, ac violat, contra vulgatum univerſi curſum, & ordinem, rem peragit, & opera patrat inſolita, contrà, præter, ac ſuprà naturam, quæ eſſe vulgò dicimus miracula. Talia videtur ſæpiùs in Ægypto præſtitiſſe, præſertim ad Mare rubrum: ut enim ait Pſalmiſta: *Fecit magnalia in Ægypto,* Pſal. 105.
*mirabilia in terrâ Cham, terribilia in mari ru-* v. 22.
*bro, &c.* Verùm non in mari tantùm, ſed & in MARIA mirabilia DEUS præſtitit, ut in hâc ſpecialiter *glorioſè magnificatus* dici poſſit. Et ſanè, *quis* hìc *ſufficit enar-* Eccli. 18.
*rare opera illius? quis enim inveſtigabit mag-* v. 2.
*nalia ejus? virtutem autem magnitudinis ejus quis enunciabit?* Quamvìs enim cunctus populus Chriſtianus, ſubmerſo in

in Aquis Baptiſmalibus Chriſti ſanguine rubricatis, infernalî Pharaone, Divinitùs ab omnî peccati ſervitute fuerit liberatus, ut idcircò infinitas Divinæ miſericordiæ laudes, ac gratiarum actiones decantare debeat, tamen ſpecialiter id præſtare debet MARIA, non quidem devota illa Aaronis ſoror, turpi olim leprâ percuſſa, ſed puriſſima Divini Numinis genitrix, dum in primo Creationis inſtantî, modo prorſus mirabilî, & hactenùs inaudito, liberata, ac præſervata, reliquo genere humano univerſim turpiter circumvento, ac amaris peccati undis ad internecionem immerſo, ſola victrix evaſit, nullamque in ſuâ conceptione labem contraxit. Hinc eſt, quòd & ipſa ſpeciale quoddam canticum, tam humilî devotione, quàm debitâ gratitudine plenum intonet, nobiſque lætabunda præcinere videatur: *Magnificat anima mea Dominum, &c, quia fecit mihi magna, qui potens eſt, &c.* referens nimirùm in extraordinariam DEI potentiam, eximium illud ſingularîs, & inſolitæ gratiæ donum, quod accepit, à peccato præſervata. *Quid enim*, ut cum doctiſſimo Salmerone loquar: *quid magni fecit, ſi non præſervavit? nam ſanctificatio à delicto contracto, etiam in utero, communis eſſet Virgini, cum aliis quibusdam, ut cum Joanne Baptiſtâ, & Ieremiâ: at majora privilegia Matri DEI, quàm ſervis ejus concedenda erant.* Menſura ergò privilegiorum Virginis, meritò *Potentia DEI* dici poteſt, quæ, ut Sancta Mater Eccleſia orat: *parcendo maximè, & miſerando manifeſtatur*, ſicque ſingularî modo manifeſtata fuit in MARIA, affirmante hoc Divo noſtro Clarevallensî Abbate, per hæc verba: *Pater in creatione MARIÆ, exhibuit potentiam, & auctoritatem, contra peccatum, ut ab hoc præſervaretur.* Quod idem S. Petrus Chryſologus pulchrè inſinuat dicens: *Tanta eſt Virgo, ut quantus ſit DEUS ſatis ignoret, qui Beatæ Virginis mentem nonſtupet, animum non miratur.* Laudanda proinde, & ſummè deprædicanda gratia, miſericordia, gloria, & magnificentia, DEI Optimi Maximi, quam ſuæ dilectiſſimæ Filiæ, & Matri ex hibere dignatus eſt, cùm animam ejus dignè creavit, gratiâ ornavit, conſecravit, & corpori ita univit, ut dignum Filij DEI habitaculum fieret. *Cantemus* ergò & nos *Domino* exultantes, quia *gloriosè*, in immaculatâ præſertim Virgineæ ſuæ Genitricis conceptione, *magnificatus eſt*, humiliter Divinam implorantes potentiam, ut infernalem Pharaonem noſtris animabus continuò inſidiantem deijciat, perque mare rubrum pretioſiſſimi Chriſti ſanguinis, ad portum nos perducat, Virgine mediante, æternæ Beatitatis.

Luc. 1. v. 46. &. 49.

Tom. 3. de inf. Salv. tract. 12. pag. 139.

Bernard. Serm. de B. V.

Serm. 104.

## §. 2. *Authoritas.*

S. AVgVſtInVs, Mare gratIæ, In VIrgIne genItrICe, VaLDe pVrâ, non eXhaVſtVrVs. 100.

1. *Exceptâ Virgine MARIA, de qua, cùm de peccatis agitur, propter honorem Domini nullam prorſus habere volo quæſtionem: ſcimus enim, quòd plùs ei gratiæ collatum fuerit, ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere, & parere meruit eum, quem conſtat, nullum habuiſſe peccatum.* Lib. de nat. & grat. c. 36.
2. *Igitur in Cœlo, qualis eſt Pater, talis eſt Filius, ſic & in terrâ, qualis eſt Mater, talis ſecundùm carnem eſt Filius, in Cœlo cum Patre æternus, immenſus, incorruptus, & ſublimis, in terrâ cum Matre immaculatus, & manſuetus.* Serm. 43. de Nat. Chriſti.
3. *Maria Mater Chriſti electa eſt, & ſuper omnes creaturas præelecta, omnibus gratijs fæcundata, omnibus virtutibus ornata, omnî Sanctitate in utero Matris repleta, ut de mundiſſimâ Matre, mundiſſimus naſceretur Filius, quia ſicut in Cœlo habuit Patrem immortalem,*

*talem, ſic & in terrâ habuit Matrem, omnî corruptione carentem.* Ibid.

4. *Maria Virgo, ſecundùm fidem ſcripturarum ſine naturalî ſemine concepit Deum, qui venerat abolere malum originale, quod trahimus omnes, nati ex concupiſcentiâ maris, & fœminæ. Conveniens erat, ut lege peccati noſtri, quæ per duorum concubitum verificatur in prole, DEI mater non teneretur obnoxia.* lib. de expoſ. Symb. Serm. 2.

5. *Mater mea eſt, ſi potui inquinari, cùm ipſam feceram (quod factum fuiſſet, ſi pura non fuiſſet, quaſi qui tetigerit picem, inquinabitur ab illâ Eccl. 13.) potui inquinari in illâ, cùm ex ipsâ naſcerer.* Orat. de 5. hæres. c. 5.

6. *Unde ſordes in domo, quam nullus habitator acceſſit, ſolus ad eam Dominus, & fabricator ejus venit?* Ibid.

7. *Cùm ſubjectio originalîs peccati, caput ſit diaboli, tale caput MARIA contrivit, quia nulla peccati ſubjectio ingreſſum habuit, in animam Virginis, & ideò ab omnî maculâ immunis fuit.* Lib. 12. de Geneſ. ad litteram.

8. *Tu cunctas fœminas vincis pulchritudine carnis, & omnes Angelicos Spiritus excellentiâ Sanctitatis: Tu maculâ nullâ fuſcaris, tu omnî decore veſtiris.* Lib. de Incarn.

## §. 3. *Ratio.*

101. ChrIſto InDIta InnoCentIa à natVrâ, MARIÆ à gratIa.

EAm ipſam innocentiam, quam Filius habuit per naturam, Mater accepit per gratiam: *In MARIA enim,* ait S. Hieron ad Euſtochium, *totius gratiæ, quæ eſt in Chriſto, habetur plenitudo.* Sed Chriſtus B. Virginis Filius, ex naturâ ſuâ, habuit eſſe conceptum, ſine peccato originalî, utpote non deſcendens ab Adamo, per ſeminalem propagationem. Ergo & Beata Virgo, tanquam Mater, habuit per gratiam, eſſe conceptam, ſine peccato originalî.

## §. 4. *Hiſtoria.*

In IILIbatâ DeIparâ, PotentIa patrIs, per AVe, ConsIDeranDa. 102.

CÙm devota quædam Virgo, die quâdam, ferventiſſimis intenta precibus Beatiſſimam DEI genitricem ſuppliciter exoraret, inſtruere illam maternâ pietate dignaretur, quo ſenſu, ac quâ intentione, utiliter, & fructuosè pronuntiare deberet quotidianam illam, gratiſſimam haud dubiè Virgini precatiunculam: *Ave MARIA gratiâ plena?* mox illi apparens Virgo Beatiſſima, candidiſſimo induta paludamento, ſic eam alloquebatur: Deſideras, Filia! pergratam mihi ſalutationem, ab Angelo Cœlitùs deportatam, ſingularî cum fructu pronuntiare? noveris ergo, primum verbum: *Ave*, dicendum in memoriam Omnipotentiæ, per quam me Pater Cœleſtis ſervavit à communi *Vae* immunem, ac ab *Evâ* ſegregatam, ſicque à peccato originalî præſervatam: Secundum verbum: *MARIA*, pronuntiabis in memoriam Sapientiæ Filij, quâ futuram ſuam paſſionem, & mortem, jam tum mihi applicavit, ſicque integra gratiarum *maria* in me profudit. *Gratiâ plena* ſubjunges, in memoriam dulcedinis Spiritûs Sancti, à quo omninò fui gratiâ impleta. Scias prætereà, & Tibi, & omnibus, Salutationem Angelicam hunc in modum orantibus, maternam meam aſſiſtentiam, in articulo mortis, minimè defuturam. Obſecuta eſt imposterùm pia hæc Virgo maternæ Deiparæ inſtructioni, non ſine ingentî, tum proprio, tum alieno, eorum ſcilicet, quibus illa revelationem narravit, emolumento. *Kiſelius in append. 2.a ad Alveum 7.um cent. 2. dec. 3.*

§. 5.

## §. 5. *Symbolum.*

103. eLephas, teLVM DIſ-
CVtIens.




Haud ſecus, atque Elèphas motâ cute, diſcutit haſtas.
Cui contorta nihil Spicula mille nocent:
Tattareî ſic Virgo parens quoque diſcutit hoſtîs
Spicula: Conceptæ nulla nocere queunt.

*Cadent à latere tuo mille.* Pſal. 90. v. 7.

## §. 6. *Antiquitas.*

104. CaLIgVLa, qVæVIs pVLChrIora, aC rarIora, eX qVaCVnqVe CIVItate, aVferens, & roMæ Inferens.

DE Imperatore Caligulâ referunt Scriptores, ac præſertim Joſeph Hebræus, *lib. 19. Antiq.* quòd ſi reſcire, poſt multas indagationes, potuiſſet, pulchri aliquid, ſive rari in quacunque Civitate reperiri, ſpoliare non dubitaverit, tam ſuperba divitum Palatia, quàm antiqua fictarum Deitatum Fana, imò ipſa etiam vero Numini dicata Templa, & Sacraria: totum nimirùm illud, quod ſive in ſcripturâ, ſive in picturâ, aut ſculpturâ, aliâve arte venuſtum hinc indè aſſervari inaudierat, violenter auferri, Romamque inferri imperabat, ijs ſeſe verbis excuſans: *Res pulchras, in pulchriorî loco conſervari oportere, qualem utique Romam eſſe nemo negaverit.*

Verè Romam quandam, Beatiſſimam V. Mariam dixeris; quidquid enim in Univerſo pulchrum eſt, aut unquam fuit, in ipsâ ſimul congregatum, ac mirè unitum reperies: Solis, Lunæ, Stellarum ſplendor in ipsâ radiat: Aurum, gemmæ, lapides pretioſi, & quidquid eorum tellus, habet, in ipsâ rutilat, non eſt ulla in rebus creatis, ipſis etiam Angelis, & Sanctis, tum naturæ, tum gratiæ pulchritudo, quæ in Mariæ animâ non reſplendeat, utpotè in quam hæc omnia, imò ipſam quoque, quâ ſolum gaudet Verbum incarnatum, immaculatam Conceptionem, & cum eâ gratiæ totius plenitudinem, poſtmodùm etiam ipſum *ſpecioſum formâ, præ filijs hominum*, proprium Filium, dulcem Jesum, Cœleſtis (ſi ita loqui liceat) Caligula intulit, omnia hæc in nullo pulchriorî loco conſervaturus, quàm in ipsâ Virgineâ proprij Filij Genitrice, *totâ pulchrâ, pulcherrimâ inter mulieres*, omnem Romanæ Urbis magnificentiam, Majeſtate ſuâ, longè excedente.

## §. 7. *Anagramma.*

pVrè ConCepta, DIgna IesV Mater. 105.

*Pura à maculâ omnî, et digna JEſu Mater!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ,

# CONCEPTUS XVI.

## §. I. *Scriptura.*

106. FæDerIs CVM EVâ nesCIa.

Exod. c. 23. v. 32. & 33. *Non inibis cum eis fœdus: ne fortè peccare te faciant in me.*

POſtquàm Dominus DEUS ſervo ſuo Moyſi plurima præcepiſſet, quæ populo ſuo obſervanda promulgare deberet, in fine ſequentia adjunxit: *Non inibis cum eis* ( id eſt, cum Amorrhæo, Hethæo, &c. ) *fœdus, nec cum Dijs eorum: non habitent in terrâ tuâ, ne fortè peccare te faciant in me.*

Idipſum planè Beatiſſimæ V. Deiparæ, jam ab initio, & ante ſæcula, à DEO ſpecialiſſimè dictum videtur: *Non inibis cum eis*, id eſt, cum Protoparentibus *fœdus*: transgreſſuri ſunt enim præceptum meum, de non comedendo fructu, ſcientiæ boni, & mali, & Dijs ( ô præſumptio! ) ſimiles evaſuri, ſicque totam illorum poſteritatem in miſerrimam peccati ſervitutem redacturi; Hinc *non habitent in terrâ tuâ*, id eſt, talis Adami, & Evæ prævaricatio, non habitet in Te, *Terra* benedicta, anima pura! *ne fortè peccare te faciant in me*, prout omnes reliquos, quod electam ex millibus unigeniti Filij mei Matrem minimè condeceret. Et ſanè, quomodò fœdus cum Evâ MARIA neſciêrit, ex ipſo Nomine EVA, ejusdemque 3. litteris ſatis patebit; quemadmodùm enim S. Epiphanius, de 2. his litteris A, & Ω. philoſophatur, de quibus Dominus ait: *Ego ſum alpha, & omega*, dicens; A *inferius apertum, & Ω apertum ſuperiùs, ſignificare eum, qui deſcendit de Cœlo, & iterum in Cœlum aſcendit*; ita in Romanis his litteris: E: V: A: non diſſimile continetur myſterium. E enim, duplici ſuo ſpatio, duas nobis vias demonſtrat, ſuperiorem, quæ in Cœlum ducit, & inferiorem, quæ ad infernum. V non diſſimile eſt vaſi erecto, in quod liquor infunditur, poteſtque ſignificare hominem rectum, Divinâ gratiâ repletum. A Vas exhibet inverſum, ore attingens terram, clauſumque eâ parte, quâ Cœlum intuetur. His poſitis, in voce EVA, quæ ab E inchoatur, videre eſt, datam homini omnimodam libertatem, quâ, quod velit, amplecti poſſit; poſuit quippe ante eum Dominus aquam, & ignem, bonum & malum, ut quocunque libeat, manum convertat. Sequitur V; cùm enim non modò perfectam acceperit homo arbitrij libertatem, ſed juſtitiam quoque originalem, gratiamque uberrimam, quâ, quod libuiſſet, exequi poſſet, contigit, hâc eum, damno ſuo, infeliciſſimè excidere, ac vaſculo everſo, gratiam perdere, Cœlique oſtio ſibi præcluſo inferni januas aperire, quod ſignificat Littera A, quæ ſtatim ſubſequitur, infernè patens, ſupernè occluſa. Hinc eſt, quòd non quidem ante, ſed poſt peccatum, hoc Nomen EVA, à peccatore Adamo, uxori peccatrici fuerit impoſitum; ante peccatum enim, ab eodem quidem Adamo, ſed viro juſto, aliud nomen longè nobilius hæreditârat. Porrò ad MARIAM quod ſpectat, nè fædus cum EVA peccatrice inijſſe videretur, transpoſitis omnibus elementis, triſte hoc vocabulum, in vocem gratulationis, ac lætitiæ AVE commutans, omnia nobis contraria feliciſſimè repræſentat: quod enim primo loco occurrit A, hominem inanem, peccatorem, atque terrenum exhibet: tales namque in hunc mundum pronaſcimur, tales apparemus; *non enim priùs, quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpiri-*

Hæres 62. Sabell.

Paul. 1. Corinth. 15. v. 46

*ſpirituale.* Succedit igitur V, quandò regenerationis lavacro abluti, albo filiorum DEI inſcribimur, cœleſtium donorum chariſmatibus replendi. Poſtrema ad latus dextrum eſt littera E, non jam impedita, ſed aperta, ac libera, ut nos à ſiniſtris hædis, ad oves dextras translati, nullo jam obſtaculo, Cœlos conſcendamus, Cœleſtî adjuti gratiâ quam præcedens V pollicetur. In quâ litterarum transmutatione verificatum jugiter cernimus illud, quòd ſacer quidam Poëta, curioſo verſiculo, quia ambidextro, in laudem Deiparæ pulchrè decantavit:

*Robur AVE tenet, et te tenet EVA rubor.*

& quidem hoc modo fædus cum Evâ per MARIAM ſolutum intelligere poteris. Addo præteteà, nomen *Eva* ab aliquibus per aſpirationem *Heva* ſcribi ſolitum, apud Hebræos *ſerpentem* ſignificare, adeoque, ex quo Eva à ſerpente fuit afflata, in ſerpentem quaſi mortiferum, omnibus reliquis mortem afflantem, commigrâſſe. Verùm & hìc fædus cum Evâ neſcijt MARIA, dum Nomen omninò mutavit, non quod Adamus uxori impoſuit, ſed quod ipſa ſibi compoſuit humilis Virgo retinens, ex *Hevâ* facta *Eva*, ſine aſpiratione, utpote venenoſi ſerpentis afflatu nunquam violata; quod ipſum ſibi velle videntur verba illa, quæ vulgò Origeni tribuuntur, & de MARIA dici ſolent: *Mater immaculata, mater incorrupta, mater intacta, quæ neque perſuaſione ſerpentis decepta, neque ejus afflatibus venenoſis infecta eſt.* Huic porrò feliciſſimæ viventium matri, MARIÆ, *fæderis cum Evâ*, morientium matre, *neſcia*, devotiſſimè gratulemur, ut per eam venenoſos ſerpentis afflatus, malis reſiſtendo ſuggeſtionibus evitare, fædus cum DEO noſtro aliquando initum, nunquam reſcindere, ſicque æternam, eâ patrocinante ſalutem obtinere valeamus.

Hom. 1. in c. 1. Math.

## §. 2. *Authoritas*

S. BasILIVs, à Labe pVraM DoCens. 107.

1. *Quandoquidem autem id ſæculum hominum, in quo MARIA vivebat, nihil cum puritate MARIÆ comparandum haberet, ut Spiritûs ſancti operationem ſuſciperet, per deſponſationem autem præoccupata eſſet, electa eſt Beata Virgo.* Conc. in Sanctam Chriſti Nativ.
2. *Ex Sanctitate compacta caro MARIÆ, digna, quæ Deitati Unigeniti uniretur.* de Chriſti Incarn.

## §. 3. *Ratio.*

Certantes, aC LItIgantes, reConCILIarI ConVenIt, ab aMICo. 108.

UT quis poſſit reconciliatorem agere, inter duos certantes, ac litigantes, omninò convenit, & neceſſe eſt, ut neutri infenſus ſit, ſed utriuſque verus amicus: ſed Beata Virgo fuit reconciliatrix inter DEUM & hominem, ſaltem mediatè, in quantùm ex eâ natus eſt Chriſtus Dominus, verus & unicus reconciliator generis humani, æterno ſuo Patri: Ergo tam DEI, quàm hominis, debuit eſſe amica. Atqui per peccatum originale, aliquis fit ſummus DEI inimicus. Ergò, cùm Beata Virgo fuerit vera amica DEI, peccatum Originale contrahere non potuit. Confirmatur. Inſtrumentum, quo aliqua inimicitia tollitur, non debet in ſe habere hanc ipſam inimicitiam: ſed B. Virgo fuit inſtrumentum, tanquàm Mater Chriſti, quo mediante ſublata erat inimicitia, inter DEUM, & hominem: Ergo hanc inimicitiam Beata Virgo non potuit habere. Atqui illa ipſa inimicitia, quæ ſublata fuit, erat peccatum originale. Ergò B. Virgo hoc peccatum contrahere non potuit.

* * *

## §. 4. *Hiſtoria.*

109. FæMIna, per preCes ILLIbatæ DeIparæ, sanItatI reſtItVta.

QUod olim in laudem Mulierum in genere, pronunciavit Eccleſiaſticus, per ea verba, c. 36. v. 27. *Ubi non eſt mulier, ingemiſcit egens*, hoc ego, potiorî jure, de Virgine illâ, *benedictâ in mulieribus* dicere audeo, quæ non absque myſterio, ſuis in Litanijs *Salus infirmorum* ſalutatur. Verè, ubi deficit benedictæ hujus mulieris patrocinium, ingemiſcere ægrum, neceſſe eſt. Et ſanè, ſi de corporeis adverſitatibus meminiſſe placeat, quales ſunt morbi, dolores, cæcitates, vulnera, & id genus alia, proh! quanto jam laborantium numero ſuppetiata eſt MARIA? nonne omnibus hiſcé malis præſto eſt invocata hæc mulier? Non attinet evolvere libros, Templa adeantur, & votiva oculis legantur Anathemata! DEUS eſt quidem, qui ſanat, quandò *Ipſe eſt ſalus noſtra* Mich. c. 6. at MARIA eſt, quæ precibus ſuis Filium movet, ad ſanitatem reſtituendam. Unam hìc, ex millibus, adduco Matronam, in Civitate Laude, gravî morbo correptam, ad extremum jamjam vitæ periculum deductam. Hæc, ut ſpecialiter erat Virgini ſine labe conceptæ devota, in honorem dicti myſterij, votum emiſit, ut ſi ab hâc etiamnùm infirmitate, MARIÆ illibatæ precibus liberaretur, præter certas preces, ac oblationes, hoc præſervationis Virgineæ privilegium, devotâ mente, ſæpiùs perpendere vellet, ac venerari. Vix votum, Numine inſpirante, emiſerat, cùm ecce! facies ejus cœpit confeſtim immutari, & adeò alterari, ut pallor verteretur in candorem, & calor lividus proficeret in ruborem, cunctis, qui aderant, ſtupentibus, & DEI donum, per Virginis immaculatæ preces obtentum, in moribundâ paulò ante, nunc verò, contrà infirmitatis naturam, convaleſcente fœminâ admirantibus. *Bernardin. de Buſti. Serm. 9. de Concept.*

## §. 5. *Symbolum.*

ArVnDo, Vento Conſtanter freMente, nesCIa frangI. 110.




Nititur incaſsùm Ventus, ſtat neſcia frangi
Vilis arundo: Arbor fracta ſuperba ruit,
Nititur incaſsùm Serpens, ſtat neſcia frangi
Virgo humilis: Genitrix Eva ſuperba cadit.

*Impetum fecerunt unanimiter in eum.* Act. 6. v. 51.

## §. 6. *Antiquitas.*

DantVr In ArabIâ Certæ naVes, ferraMento Carentes. 111.

JUxta relationem Ludovici Cadamoſti, *Navigationis ſuæ c. 55.* in certis Arabiæ Inſulis, complura inveniuntur Navigia, ſine omnî ferramento, artificiosâ adinventione conſtructa, idque eam præciſè ob cauſam, quia ijs in partibus, ingens Magnetis excreſcit copia, adeò, ut non modicum exiſtat periculum, nè naves, ſi ex ferramentis pluribus compactæ haberentur, ad inhærentes Maris ſcopulos, occultâ quâdam reconditi Magnetis virtute, violenter attrahendæ, ac miſerando quondam naufragio, in profundum demergendæ eſſent.

Benè dixit, qui glorioſiſſimam Numinis genitricem Navigio cōparavit: *Facta eſt* enimverò *ſicut Navis inſtitoris, de longè portans panem.* Prov. 31. v. 14. *Navis*,

*vis*, hoc eſt, *Mater: Inſtitoris*, hoc eſt, *Redemptoris: de longè*, hoc eſt, *de Cœlo: portans*, hoc eſt, *utero geſtans: panem*, hoc eſt, *DEUM*. Hæc Navis Mariana, verè dici poteſt, ſine omnî ferramento, id eſt, ſine omnî gravitate, rubigine, ac impurâ originalîs peccati ſcoriâ; cùm enim prævaricator Adam, infelix ille Magnes fuerit, qui vi ſuâ attractivâ, omnium hominum voluntatibus in ſuam pertractis, ad ejusdem peccati ſcopulum, ferrea noſtra corda alliſit, ac diro animæ naufragio nos omnes peſſundedit, Mariam tamen ſolam non attraxit, utpote Navim, ſine omnî ferramento, ab ipſo Cœleſtî Opifice providentiſſimè conſtructam, de qua Navî idem, quod quondam de materialî Domo DEI, dici poterat, 3 Reg. 6. v. 7. *Malleus, & ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in Domo, cùm ædificaretur.* Hinc ab omnî Magnetis periculo libera, ob ſuam à labe præſervationem, Ipſamet Magnes fieri meruit, quæ non ferrum quidem, ſed Divinum attraheret Filium, eumque feliciſſima Navis, mundo periclitanti in remedium inferret.

## §. 7. *Anagramma.*

LVMen aperI, CaſtaDEIpara, à Labe pVra. 112.

*Lumina mea aperi, caſta et munda Virgo!*

Verſio litteralis

*Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XVII.

## §. I. *Scriptura.*

113. ArCa teſtaMentI InCorrVpta, DeaVrata.

Exod. c. 25. v. 10. & 11. *Arcam de Lignis Setim compingite: & deaurabis eam auro mundiſſimo, intùs & foris.*

Fabricanda jam erat, urgente Numinis imperio, Arca teſtamenti, cùm ecce! modum eis dictaturus Dominus, ſequentia, per Moyſen Servum ſuum, filijs Iſraël nuntiavit, *Arcam de lignis Setim compingite*, id eſt, de lignis incorruptibilibus. Juſſit prætereà Moyſi, ut eam undequaque curaret deaurari: *Et deaurabis eam auro mundiſſimo, intùs, & foris.* Similiter
v. 17. ad Moyſen locutus eſt: *Facies & Propitiatorium, ex auro mundiſſimo, &c.*

Aureus planè Conceptus, pro adumbrandâ Deiparæ puriſſimâ Conceptione! Quis enim neſcit, DEUM ab æterno elegiſſe, & præparâſſe ſibi Matrem ſuam, tanquam veram Arcam, de lignis incorruptibilibus? id eſt, ſpecialiſſimis dotibus, & privilegijs, ſummâ præſertim puritate, & incorruptione præditam, adeò, ut concepta etiam fuerit ſine ullâ peccati maculâ; Verè Arca *intùs* & *foris* deaurata, utpote in corpore ſimul, & animâ mundiſſima ſemper, ac clariſſima. Quòd ſi voluit DEUS Arcam teſtamenti auro mundiſſimo deauratam, quantò magìs ornatum ſimilem conferre debuit, in Arcam ſuam Marianam, ſummè à ſe dilectam, quando ſumma aurum inter, & amorem intercedit cognatio? & ſi Arcam illam vel ideò decuit tam pretioſè adornari, quia recondendum ibi erat Manna, Tabulæ legis, &c. quantò magìs Mariam ſummâ decuit puritate adornari, utpote, quæ receptura aliquandò, & corporaliter deportatura erat in utero, unigenitum DEI Filium, verum Manna, panem vivum de Cœlo deſcendentem,

tem, inſuper non tabulas quidem legis, ſed ipſum legislatorem ? Audite pulcherrimum hac de re Ambroſij diſcur-
Serm. 10. ſum : *Arcam*, ait ille, *quid niſi Sanctam MARIAM dixerimus? ſiquidem Arca intrinſecùs portabat Teſtamenti tabulas, MARIA autem ipſius Teſtamenti gerebat hæredem, hæc intra ſe legem, illa Evangelium retinebat, illa DEI vocem habebat, hæc Verbum. Arca intùs, foriſque auri nitore radiabat, ſed & Sancta MARIA intùs, foriſque Virginitatis ſplendore fulgebat, illa terreno ornabatur auro, iſta Cæleſti.* Hæc Ambroſius. Ex quibus clarè colligendum, Mariam totam fuiſſe incluſam auro Charitatis, & gratiæ, ita quidem, ut nullum in eâ inſtans excogitari poſſit, ſine gratiâ, & charitate. Addere præterea hìc poſſem, Arcam illam Teſtamenti, non ſine myſterio, *de lignis Setim*, compactam fuiſſe, id eſt, non de arboribus, quorum radices adhuc terræ cohærent, ſed de lignis Setim, jam à trunco præciſis: ex quo colligendum, Beatiſſimam quoque Virginem, Arcam DEI feliciſſimam, ſingularî quâdam prærogativâ, à peccati originalîs, communi alijs hominibus, infectâ radice ſeparatam, nihil de communî terrenæ generationis maledictâ contagione traxiſſe ; quandoquidem, ubi Vates
Iſaiæ 11. v. 1. Evangelicus pronuntiat : *Egredietur Virga, de radice Jeſſe*, Hebræa lectio noſtrum Conceptum firmat, pro *radice*, *truncum præciſum* ſubſtituendo, ac dicendo : *Egredietur, de trunco præciſo.*

Porrò, quod de Arcâ hucuſque, ac ejuſdem aureo ſplendore narravimus, illud ipſum de Propitiatorio quoque dicendum, & Mariæ applicandum erit : *Facies*, ajebat Dominus Moyſi, *& Propitiatorium, ex auro mundiſſimo.* Et quid aliud eſt Maria, puriſſima Divini Numinis genitrix, quàm verum quoddam Propitiatorium ? affirmante id Divo noſtro Joanne Da-
in Paracl. B. V. M. maſceno, per hæc verba : *Propitiatorium eſt MARIA, Filium ſuum propitium nobis*
Serm. 33. *reddens*, & Petro Bleſſensî : *Propitiatorium exauditionis MARIA.* Quod Divus etiam Anſelmus pulchrè declarat, dum tractans de Mariæ potentiâ, hæc habet : *quos enim DEUS non poteſt ſalvare per ſuam juſtitiam, MARIA ſalvat per ſuam miſericordiam infinitam.* ſuper Pſal. 24. v. 1. O feliciſſimum ergo, DEUM inter, ac hominem, Propitiatorium ! quod hoc ipſo exornari vel maximè condecebat, intùs & forìs, tam in corpore, quàm in animâ, auro mundiſſimo, mundiſſimæ Conceptionis. Ad hanc *Arcam*, ad hoc *Propitiatoriū* verè *aureum* accedere ne differamus; ut aurum placationis, aurum veniæ, ac dilectionis reportemus. *Eſt enim* (ut ait Richardus à S. Laurentio) *Propitiatorium* de laud. V. lib. 10.
*ſic dictum, quaſi propitiationis oratoriū : propitiatio enim placatio eſt: MARIÆ namque datum eſt à totâ Trinitate, ut ſit noſtra Propitiatrix, ad Filium offenſum, pro peccatis noſtris, ipſum pro nobis orando, & ei ventrem, in quo portavit, & ubera, quæ ſuxit, repræſentando.*

## §. 2. *Authoritas.*

### S. BasILII seLeVCIensIs, De MarIâ sententIa. 114.

1. *Quid dulcius, Fratres chariſſimi, quid jucundius, quid ſalubrius, quid felicius, quàm de Beatâ Virgine loqui, de Virgine cogitare? hæc eſt, quæ fuit in utero Matris abſque originalî peccato concepta, & generata, ab omnî maritalî vitio ſegregata, omnî etiam venialî peccato privata, & in cunctis actibus, & moribus, Spiritûs Sancti gratiâ plena & fæcunda.* Serm. de Annunc.
2. *O alvum Sanctam, Deique receptricem! in qua diſruptum eſt peccati chyrographum.* Orat. 39. de Annunc.
3. *Gabriel autem, nè inopioſa conſilij Maria turbaretur, oratione conſolatoriâ ignorantiam antevertit amoliri, & ait : Ne timeas MARIA! eorum enim eſt timor, qui quid offenderunt, Tu verò gratiam inveniſti apud DEUM.* Ibid.

## §. 3. *Ratio.*

### DeIpara, pVra VIrgo, Carne, aC Mente. 115.

MARIA, juxta S. Ambroſium l. 2. de Virginib. *Virgo erat, non ſolùm corpore, ſed etiam mente.* Cui conſonat S.

S. Bernard. Serm. 2. ſuper *miſſus*: *Miſſus eſt Angelus ad Virginem, Virginem carne, Virginem mente.* Atqui ſi contraxiſſet peccatum originale, non ampliùs permaneret Virgo mente. Ergo &c. min. prob. Eſſe Virginem, dicit integritatem, & immunitatem à maculâ. Ergo ſicut integritas, & virginitas corporis, per maculam corporis, ita integritas, & virginitas mentis, & animæ, violatur per maculam mentis, & animæ. Atqui peccatum originale eſt vera macula mentis, & animæ, ſecundùm communem mentem Theologorum Ergo ſi B. Virgo contraxiſſet peccatum originale, non ampliùs permanſiſſet Virgo mente. Cui adſtipulatur Joannes Gerſon Serm. de Concept. *Aliàs non Virgo mente, ſi peccato originalî corrupta.*

## §. 4. *Hiſtoria.*

116. sIXtVs qVartVs, In LaVDIbVs, & VeſperIs, totIes qVotIès pVræ DeIparæ reCorDatVs.

LUbet hìc Hiſtorijs annumerare, memorandam Summi, Beatiſſimæ recordationis, Pontificis, Sixti IV. conſuetudinem, ac tenerrimam in Beatiſſimam Dei genitricem devotionem. Inter complura enim, quæ digniſſimum hunc Chriſti Vicarium, & Superis acceptum, & ſeræ poſteritati commendabilem reddiderunt, illud fuit, quod refert doctiſſimus Bernardinus de Buſti, eum nimirùm, dum etiamnùm Purpuram gereret Cardinalitiam, jam tùm adeò fuiſſe teneri, in immaculatam Virginis Conceptionem affectûs, ut quotiescunque horas ſuas Canonicas perſolveret, in Laudibus, & Veſperis toties quoties illibatæ Deiparæ devotè recordatus, dictæ Conceptionis, ad modum Suffragij, quotidianam egerit commemorationem. Hanc porrò pijſſimam Purpurati Patris conſuetudinem, exiſtimat relatus de Buſti, non modicam fuiſſe cauſam, quòd Sixtus, Deiparâ promovente, ac gratam ſeſe fideli famulo exhibente, ad tantum dignitatis culmen, Summi nimirùm Apoſtolatûs apicem evectus, Petri Cathedram, ac claves tenere in terris meruerit. Nec ceſsâſſe hìc credas, recèns electi Pontificis devotam conſuetudinem; nam, quoad vixit, eandem eſt proſecutus; imò, ne publicè doceretur, aut defenderetur contraria immaculatæ Conceptioni ſententia, ſpeciale Decretum, ſuo loco à nobis adducendum, promulgari voluit, mercede utique, quam in terris, per Tri-Regnum Pontificale retulerat, modò in Cœlis, per immarceſcibilem gloriæ Coronam fruiturus. *Idem de Buſti, Serm. de Concept.*

## §. 5. *Symbolum.*

ILLIbatæ DeI MatrIs, Integer VaLor à fILIo. 117.




Ut ſuus expreſſo valor eſt ab imagine Nummo,
Cæſaris, aut Regis, Principis, Archiducis, &c.
Sic concepta ſuum Virgo ſine labe valorem
A Genito accepit, quem genitura fuit.

*Reddite, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Matth. c. 22. v. 21.

### §. 6. *Antiquitas.*

118. MIra RegIs CVra De VeL-
Lere.

NOta eſt vel Hiſtoria, vel Fabula, ab antiquis Scriptoribus relata, quâ ratione Rex Colchorum, mirâ prorsùs ſollicitudine, ac curâ, aſſervatum in Templo Martis aureum Vellus cuſtodierit. Paucis id inſinuans Diodorus Siculus *l. 4. c. 3. Templum*, inquit, *muro circumdedit, cuſtodesque appoſuit; decantatum enim eſt, ignem ſpirantes tauros circà Templum, eſſe: à Dracone inſuper cuſtodiri Vellus, &c.* miram profectò de hoc Vellere Regis curam!

Quid porrò indè colligere liceat, paucis intelligite; Enimverò, ſi Rex iſte Terrenus tantam Velleri conſervando, ac cuſtodiendo, curam adhibuit, quãntam poterimus credere, adhibitam fuiſſe curam, ac ſollicitudinem, pro aſſervandâ omnî tempore, ac cuſtodiendâ MARIA: utpotè, quæ Vellus illud puritate candidiſſimum, charitate verè aureum, eſſe debebat, in quod aliquandò Sacratiſſimus Divini Verbi ros deſcendere ſtatuerat? certè perſuadere nobis poſſumus, cuſtoditum hoc Vellus fuiſſe, omnî diligentiâ, non quidem à Dracone, contra ignem ſpirantes tauros, ſed ab igneis Cherubinis, contra Draconem immaniſſimum peccatî Originalîs, ſicque mirâ prorsùs RegisSæculorum immortalîs curâ, Vellus hoc Marianum, ab omnî maculæ notâ, in ſuâ Conceptione, fuiſſe præſervatum.

### §. 7. *Anagramma.*

DeIpara LapIs orIentaLIs, aC pretIosIſsIMVs. 119.

*Eja Tu Orientalis gemma, pura, ac munda!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deipara.

## CONCEPTUS XVIII.

### §. I. *Scriptura.*

120. prIMæ tabVLæ LapIDeæ fraCtæ, & renoVatæ.

Exod. c. 34. v. 1. *Præcide tibi duas tabulas lapideas, inſtar priorum, & ſcribam ſuper eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregiſti.*

OBſervandam hominibus legem laturus, in Monte Sina, Dominus DEUS, in lapideis eam duabus tabulis ſcripſit, ut firmior eſſet, ac diuturnior; ſcripſit autem eas tempore illo, quo egreſſus ab Ægypto Iſraëliticus populus proficiſcebatur per deſertum. Qui, cùm Ducem ſuum Moyſen, in Scripturâ Legis, in monte illo, cum DEO morantem intuerentur, præparaverunt ſe ad eam accipiendam, tempus illud in ludis tranſigentes, in commeſſationibus, potationibus, ſaltationibus, jocis, cantilenis, &c. & quoniam in campeſtribus ludis tauri ſolent agitari, nec ulli in deſerto illo tauri inveniebantur, aureum ſibi taurum, vel potiùs vitulum, ex uxorum, filiorumque inauribus conflaverunt: Hic adeò pretioſus, oculis propoſitus, viſus eſt eis idoneus adorationi magìs, quàm ludo, quem proindè tanquàm DEUM habebant. Quid faceret hìc, ardens Zelo, DEI miniſter Moyſes? cùm afferens è Monte tabulas legis, tam inexſpectatam ſuæ gentis intuitus eſt diſpoſitionem, tam horrendam pervicaciam, tam atrox ſcelus, tam turpem veri DEI, pro ſimu-

ſimulacro, commutationem, tam obſtinatam cæcitatem, tam miſeram illorum perditionem? omnia quæcunque reperit comminuit, Tabulas, idolum, & cultores. Triplicî nimirùm eos punivit ultione: 1.° Fractione tabularum: [Exod. 32. v. 19.] *Iratus valdè projecit de manu tabulas, & confregit eas.* 2.° Vituli comminutione: *Accipiensque vitulum, quem fecerant, combuſſit, & contrivit, uſque ad pulverem.* 3.o Impiorum interemptione: [v. 28.] *Cecideruntque in die illâ quaſi viginti tria millia hominum.* Tetigit miſera hæc hominum ſtrages pium DEI cor intenſiùs, quàm ipſos occiſorum filios, & parentes, cujus deferveſcente indignatione, adhibuit remedium miſeratio; accerſens itaque rursùs Moyſen Dominus, dixit ad eum: *Præcide tibi duas tabulas lapideas, inſtar priorum: & ſcribam ſuper eas verba, quæ habuerunt tabulæ, quas fregiſti.*

Nunc expendendum eſt, quid priores tabulæ, & quid extremæ iſtæ myſticè ſignificent? Duæ igitur primæ, primos homines duos, Adamum, & Evam deſignârunt: illi namque primævi hominum parentes, duæ tabulæ fuerunt, in quibus legendam humanæ proli legem ſcripſit DEUS à principio. Nec dubium eſt, quòd uſque ad Moyſis tempora, per 2000. circiter Annos, lege homines DEUS minimè deſtitutos reliquerit. At in quibus eam ſcripſit codicibus? ubinam libri? ubi tabulæ? non alibi certè, præter parentes ipſos primos, in quibus legem DEUS ſcripſit utramque, & naturalem, & ſupernam. Sunt pro utrâque expreſſi textus, pro naturalî quidem ille, Gentium Doctoris: [Rom. 2. v. 14.] *Cùm enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis, ſcriptum in cordibus ſuis.* Ecce! tabulæ cordis, verè legis tabulæ ſunt: quæ ideò naturalis lex appellatur, ut à lege ſcriptâ agnoſcatur diſtincta, quod tabularum genus ſummi momenti fuit, ut poſteri omnes in parentibus & legis executionem, & ſeriem, utpote in tabulis vivis intuerentur. Pro ſupernaturalî lege, ſervit illud Eccleſiaſtici: [Eccli. c. 17. v. 9.] *Legem vitæ hæreditavit illos, &c. & dixit illis: attendite ab omnî iniquo, &c.* quas leges cordi inſcribendas, per Salomonem admonuit: [Prov. c. 7. v. 9.] *Scribe illam in tabulis cordis tui.* Fuitque non exigua DEI providentia, in tabulis duabus, fœminâ & viro, ſcribi legem, ut utriusque ſexûs hominibus ea pateret, juxta illud: [Prov. 1. v. 8.] *Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ.* Sed quâ illi legem diligentiâ obſervarunt? vix propoſito de modicâ abſtinentiâ præcepto, eadem, quæ Iſraëlitæ, crimina perpetrârunt, comeſſationem, comedendo de vetito cibo, & idololatriam: [1. Reg. 15. v. 23.] *Quaſi peccatum enim ariolandi, repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere.* Ideò & punitio eadem fuit, ac Iſraëlitarum, comminutio ſcilicet tabularum, combuſtio vituli, & delinquentium peremptio: ipſi enim parentes primi, tria hæc ſimul fuerunt: & legis tabulæ, & fictitij Dij, & delinquentes ipſi. Ideò 1.o projectæ in pœnam tabulæ, verbis illis: [Gen. 3. v. 19.] *donec revertaris in terram.* 2.° Utrumque ſimulacrum comminutum: *in pulverem reverteris.* 3.o Mors, & quidem excluſiva vitæ æternæ: [v. 24.] quando *ejecis Adam, & collocavit ante paradiſum voluptatis cherubim, & flammeum gladium, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ,* quo privatio vitæ figurabatur æternæ. Perditas igitur tam infeliciter tabulas iſtas, Evam & Adamum, relinqueretné absque ullâ reparatione DEUS? minimè, imò novas potiùs, pro factis primis, tabulas fabrefacere, Suamque in eis legem, longè primâ excellentiorem ſcribere dignatus eſt. Nonnè enim, in perditi Adami reparationem, novus Adam prodijt Chriſtus? juxta illud Pauli: [1. Cor. 15. v. 45.] *Factus eſt primus homo Adam, in animam viventem, noviſſimus Adam, in Spiritum vivificantem.* Quod ſi Chriſtus Adam, MARIA conſequenter erit Eva, ut ambo ſint tabulæ, in reparationem confractarum ſubſtitutæ. Audiatur Bernardus: [Serm. in illa verba: ſignum magnum.] *Vehementer quidem nobis Vir unus, & fœmina una nocuerũt: ſed prudentiſſimus, & ſapientiſſimus artifex quod quaſſatum erat confregit, ſed utilius omninò refecit, ut videlicet novum formaret Adam, & Hevam transfunderet in*

MARIAM. Cùm ergo duæ tabulæ iſtæ, Chriſtus, & MARIA, in id à DEO ordinatæ ſint, atque directæ, ut loco confractarum, Evæ nempe, & Adami ponerentur, quidnam diceremus, ſi in aliquâ harum tabularum quantávis læſio inveniretur, aut diminutio? ſi Filius, vel Mater, minimo aliquo notaretur defectu, labe, aut vitio, etiam vel uno duntaxat inſtanti? tunc profectò non poſſet dici eouſque perfecta utriuſque tabulæ redintegratio, quin adhuc eſſe poſſet perfectior, quod perfectiſſimo earundem Opifici, in non modicam cederet contumeliam.

### §. 2. *Authoritas.*

121. S. BeDa VenerabILIs, pVraM CoLens.

*Beata Deigenitrix, meritis præcipuis, etiam nomine teſtimonium reddidit: interpretatur enim Stella Maris, & ipſa, quaſi ſidus eximium, inter fluctus ſæculi labentis, gratiâ privilegij ſpecialîs refulſit.* ad Evang. Annunc.

### §. 3. *Ratio.*

122. Dos MarIæ, à peCCato præſerVatIVa.

Fœminæ, quando aliqua majorum ſuorum debita ſolvenda ſunt, ad judicem confugere ſolent, ut eas in dote protegant, atque defendant. Atqui plurima debita, ob Adæ peccatum, humanum genus contraxit, & MARIA in Spiritus Sancti Sponſam electa, & præelecta, in dotem accepit gratiæ plenitudinem, Angelo dicente: *gratiâ plena.* Ergò etiam illa in hac dote protegenda, & liberanda eſt à ſolutione debitorum, ad quam alij tenentur. Ex quo ſequitur, quòd ſi Lex dicat, debitum eſſe, ut mulieres cum dolore pariant filios, reſpondere MARIA poſſit, partem ſuæ dotis eſſe, gratiam ab eo dolore præſervativam, ſicque ad illud debitum ſolvendum minimè teneri. Si Lex dicat: *Pulvis es, & in pulverem reverteris,* reſpondere poſſit MARIA, ab hâc corruptione, gratiam præſervantem, partem ſuæ dotis eſſe, ac ideò ſolutionem talîs debiti ab eâ non exigendam. Si Lex dicat, omnes ex Adam originem ducentes, in peccato fore concipiendos, excipere poſſit MARIA, dotem, & arram ſuam eſſe, gratiæ plenitudinem, atque adeò ab hoc communî debito reipsâ perſolvendo immunem eſſe, &c.

### §. 4. *Hiſtoria.*

ToLoſæ, LapIDeæ IMagInIs Iratæ, faCIes InVerſa. 123.

HAbuerat aliquando concionator quidam Toloſanus prolixum ad populum Sermonem, tantò minùs auditoribus fructuoſum, quò minùs acceptum Superis, Deiparæ præſertim Virgini, cujus immaculatam Conceptionē, multâ verborum pompâ, incautus totis viribus impugnare præſumſerat. Statuebat ille, abſolutâ hac concione, Sacrum Miſſæ Sacrificium in Altarî S. Michaëlis offerre, ubi pulcherrima exiſtebat Beatæ Virginis imago, marmoreo ex lapide, artificioſâ manu elaborata, jamque illuc Sacris indutus veſtibus proceſſerat, atque ad primum Altaris gradum aſcenſurus pervenerat; cùm ecce! marmorea illa Divæ Virginis ſtatua, velut plena indignationis, vultum ei adeò terribilem oſtendit, moxque ab eo avertit, ut facile fuerit, tam ipſi, quàm alijs id ſpectantibus, colligere, quàm gravis MARIÆ fuerit illata ejus puriſſimæ Conceptioni injuria. Hoc ergò miraculo, non obſtupefactus tantùm Concionator ille, ſed & mirum in modum perterritus, in commeritam pœnam, momentaneâ ibidem cæcitate percuſſus eſt, nec viſum ultrà recepiſſet, niſi emiſſo ſine morâ voto, publicè revocandi, quæ in Virginis præjudicium dixerat, ex maternâ ejuſdem immaculatæ Deiparæ clementiâ, denuò reſtitutus fuiſſet. Illa verò imago, ad perpetuam rei memoriam, in hodiernum uſque diem, facie retrò converſâ, perſeverat, ac in eodem Toloſano, Fratrum Minorum, de obſervantiâ, Conventu, magnâ populorum frequentiâ honoratur.

ratur. *Pelbartus in Stellario lib. 4. part. 2. art, 3. Joannes Carthagena. lib. 1. Homil. 19.*

## §. 5. *Symbolum.*

124. PVra DeIpara, noVVs PhœnIX, eX LapsI ADæ CInerIbVs reDIVIVVs.




Vix abit in Cineres Phænix, rediviva refertur
Altera non diſpar, *unica Semper Avis.*
Sic cinere ex primi morientis labe Parentis,
Virgineus Phænix: *unica viva* venit.

Ovid. lib. 15. Metam.

*Alijs quidem odor mortis, alijs autem odor vitæ.* 2. Corinth. c. 2. v. 16.

## §. 6. *Antiquitas.*

125. HabItatIo proDItorIs, In HIſpanIâ, eo reCeDente DeſtrVCta.

Cùm Carolus V. glorioſiſſimæ memoriæ Imperator, ingenti armatorum exercitu, contra Franciſcum primum, Galliarum Regem, decertaret, Procerem, referunt, Aulæ Gallicæ clanculò valedixiſſe, atque ut proditorem ageret, ſpe magnæ remunerationis illectum, ad Imperatorem tranſijſſe. Vix Madritum pervenit transfuga, cùm ecce! admiſſus ad Caroli alloquium, benignè habetur, Grandisque Hiſpanus, qui hoſpitem ſuum in palatium reciperet, ac ſumptibus Imperatorijs humaniter tractaret, conſtituitur. Recipit quidem ad imperium Caroli hoſpitem, quamvìs ingratiſſimum, Hiſpanus hic grandis, conteſtatur tamen, audiente Imperatore, quòd, quamprimùm Gallus ille ſuò è Palatio eſſet diſceſſurus, curare velit quantocyùs, ut habitatio illa, quamvìs maximis à ſe expenſis haud ita pridem exædificata, è fundamentis deſtruatur; neque enim ſe pati velle, ut dicatur, habere ſe palatium, quod perſidus aliquando proditor inhabitâſſet. *Guicciardinus lib. 19. Baptiſta Fulg. lib. 3. Hiſt. Gall.*

Quòd ſi Hiſpanus hic grandis adeò abhorruit, inhabitare palatium, quod aliquandò proditorem recepiſſet, quis ſibi perſuadeat, Unigenitum æterni Patris Filium non etiam ſummam habiturum fuiſſe nauſeam, ſi tale inhabitare debuiſſet palatium, de quo dici poſſet, proditorem, peccatum ſcilicèt originale, ac conſequenter ipſum Diabolum, perfidum Regis Regum rebellem, vel ad momentum ibi habitâſſe? cùm ergò fide certum ſit, per novem Menſes, in Virgineo MARIÆ utero, tanquam in ſplendidiſſimo quodam Palatio, incarnatum habitâſſe Verbum minimè credendum, dicto quondam proditori, maculæ ſcilicet originali, introitum patuiſſe.

## §. 7. *Anagramma.*

NIVea, LaCtea, MerItò DIgna, ſIne orIgInaLI. 126.

*Nivea, lactea, pura, Summa, meritò digna!*

Verſio litteralis

*Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrá Deiparâ.

## CONCEPTUS XIX.

### §. I. *Scriptura.*

127. DeI MInIſtrI, neCeſſarIò ſanCtI, & pVrI.

Levit. c. 21. v. 6. *Sancti erunt DEO ſuo, & non polluent Nomen ejus.*

QUantam jam in veteris Teſtamenti Sacerdotibus, reliquisque Templi ſui miniſtris puritatem, ac Sanctitatem pientiſſimum Numen deſideraverit, vel ex eo abundè colligitur, quòd ad ſervum ſuum Moyſen, hæc expreſsè fuerit locutus:
v.6.& ſeq. *Sancti erunt DEO ſuo, & non polluent nomen ejus; incenſum enim Domini, & panes DEI ſui offerunt, & ideò Sancti erunt. Scortum & vile proſtibulum non ducet uxorem, nec eam, quæ repudiata eſt à marito, quia conſecratus eſt DEO ſuo, & panes propoſitionis offert. Sit ergò Sanctus, quia & ego Sanctus ſum Dominus, qui ſanctifico vos.* Et paulò
v. 17. poſt: *Qui habuerit maculam, non offeret panes DEO ſuo, nec accedet ad miniſterium ejus.* Hoc tertiò in eodem capite in-
v. 22. culcat: *Omnis*, inquiens, *qui habuerit maculam, de ſemine Aaron ſacerdotis, non accedet offerre hoſtias Domino, nec panes DEO ſuo: veſcetur tamen panibus, qui offeruntur in ſanctuario, ita duntaxàt, ut intra velum non ingrediatur, nec accedat ad Altare, quia maculam habet, & contaminare non debet ſanctuarium meum.* Hinc eſt, quòd in pluribus Levitici capitibus, non pauca de Miniſtrorum ſuorum neceſſariâ ſanctitate, ac purificationis ritibus diſponat.

Quòd ſi ſummus ille Sanctitatis, puritatisque amator, ab Aarone reliquisque materialîs Sanctuarij, ſeu Templi ſui miniſtris, jam tùm tantam exigebat ſanctitatem, & tot ritus purificationis, quantam non etiam exiget Sanctitatem, & puritatem, in Sacerdotibus, & miniſtris, novi teſtamenti? certè conſcientia talium Sacerdotum debet eſſe puriſſima, integritas Eccleſiaſtici probata, ſincerum cor, affectus liber à cupiditate, lingua veridica, oculus pudicus, manus innocens, verbò, ſtolæ Eccleſiaſticorum debent eſſe mundiſſimæ, poſtquàm *dealbaverunt eas* Apoc. 7.
*in ſanguine Agni.* Imò audeo dicere, v. 14.
Angelos debere eſſe ſacerdotes, cùm & ſacris in litteris, aliquoties Angelorum titulo honorentur: Audiamus Malachiam: *Labia*, inquit, *ſacerdotis* c. 2. v. 7.
*cuſtodient ſcientiam, & legem requirent, ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Sed cur Sacerdos Angelico hoc vocabulo decoratut? fulgeat licèt dignitate hac Sacerdotalî, tantoque ornatus munere, Angelicam tranſcendat naturam, tamen naturâ hominem eſſe quis negabit: quare ergo Angelus dicitur? ideò certè, quia ſicut Angeli à naturâ dotem puritatis obtinuère, ſic Sacerdotes, ex ſuo munere, eandem ſervent, neceſſe eſt, tanquam dotem ſacerdotio conceſſam. Accipe elegantiſſima Chryſoſtomi verba, ſic Sacerdotum, Deique miniſtrorum dignitatem extollentis: *Etenim Sacerdoti-* Lib. 3. de
*um ipſum in terrâ quidem peragitur, ſed in re-* Sacerd.
*rum Cœleſtium claſſem, ordinemq; referendum* tom. 5.
*eſt: atque id meritò quidem; quippe non mortalis quisq;, non Angelus, non Archangelus, non alia quævis creata potentia, ſed ipſe Paracletus ordinem hujusmodi diſpoſuit, qui mortalibus hominibus etiam in carne manentibus auctor fuit, ut Angelorum miniſterium animo conciperent. Idcircò neceſſe eſt, Sacerdotem ſic eſſe purum, ut ſi in ipſis Cœlis collocatus, inter Cœleſtes illas Virtutes medius ſtaret.* Hæc Chryſoſtomus, ubi multa tangit, quæ puritatem ſacerdotibus commendant; Nam eos inter Cœleſtes incolas annumerat, deinde à Spiritu Sancto Sacerdotalem ordinem aſſerit diſpoſitum, tandem Angelorum

mi-

miniſterium illis tribuit, ut vel ideò tanta eos puritate, ac Sanctitate, fulgere oporteat, ut inter ipſos Angelos ſine rubore, ſtare poſſint.

Verùm, ad quid tam prolixa de miniſtrorum, ac Sacerdotum tum veteris, tum novi teſtamenti, neceſſariâ puritate Sermocinatio? dum immaculatam potiùs Virginis Deiparæ puritatẽ, è Sacris paginis eruere, ac in medium producere deberemus? ſed hic ipſe de neceſſariâ DEI miniſtrorum puritate diſcurſus non parùm conducit, ad clarè exinde colligendam Virginis, non ſuper homines tantùm quoſcunque, ſed ſuper ipſos etiam Angelos, ſummam puritatem. Si enim Lex erat Divina: *Qui habuerit maculam, non offeret panes DEO ſuo, nec accedet ad miniſterium ejus:* quomodò habuiſſe aliquandò maculam credenda erit illa, cui non tantùm licitum erat, accedere ad miniſterium qualecunque, verùm etiam ad ſum̃um electa erat miniſterium Maternitatis? ſi eò major puritas, ac mundities in Templi miniſtris requirebatur, quò quisque præſtantius, Deoque vicinius gerebat officium: qualis obſecro neceſſaria fuerit puritas in eâ, quæ vel ſolo nomine, & officio excellentiſſimo genitricis Divinæ, inter omnes puras creaturas proximè DEO acceſſit? ſi non miniſtri tantùm DEI, verùm etiam univerſa, Divino cultui, & obſequijs deputata, e.g. Templum, vaſa, veſtes, &c. Sancta eſſe, hincque conſecrari, ac benedici oportebat, quantò magìs corpus illud, in quo Sanctus Sanctorum, æterna DEI Patris ſapientia nedùm habitare, ſed & carnis ſuæ ſubſtantiam ex eâ ſumere, inque illâ univerſa, ſive quæ in Cœlis, ſive quæ in terris pacificare debebat, Sanctificari debuit? Certè haud dubitandum, eam in tantum homines, Angelosque puritate præceſſiſſe, in quantum ad ipſum puritatis fontem viciniùs, ut mater, acceſſerat, nullique unquam labi, nec actuali, nec originali, obnoxiam fuiſſe.

* * *

## §. 2. *Authoritas.*

S. BernarDInVs senensIs, CoLens pVraM à Labe. 128.

1. *Fuit Beata Virgo ſine Tyranno concupiſcentiæ, peccati originalîs, quia ſine eo concepta eſt, ſicut teſte Salomone cant. 4. didicimus, qui ait: Tota pulchra es amica mea, & macula (ſcilicèt originalis culpæ) non eſt in Te.* Tom. 1. Serm. 53.
2. *Oportuit enim, ut ſic dicam, fœminam elevari ad quandam æqualitatem Divinam, per quandam quaſi infinitatem perfectionum, & gratiarum, quam æqualitatem creatura nunquam experta eſt:* Tom. 1. Serm. 61. a. 1. c. 12.
3. *Utrum Beata Virgo fuerit concepta, in peccato originalî? Eccleſia non damnat, ſed magìs pium eſt credere, quod non fuerit in peccato concepta, quàm credere, quòd ſit.* Tom. 4. Serm. 48.
4. *Non eſt credendum, quòd ipſe Filius DEI voluerit naſci ex Virgine, quæ eſſet maculata, ex aliquo peccato originalî, imò credendum eſt, quòd voluerit ſumere carnem, ex carne puriſſimâ, & quòd ejus mater fuerit plus, quàm Adam, & Eva, qui creati fuerunt, ſine peccato originalî.* Serm. 49. poſt Paſc, c. 1.
5. *Sanè DEUS æternus, ſicut mirâ ſapientiâ creavit omnia, ſic benedictam ſuam Matrem talem condidit, & ſanctificavit in tempore, qualem decebat habere ſuam glorioſiſſimam Majeſtatem.* Serm. 51.

## §. 3. *Ratio.*

De peCCatIs, feſtVM non agItVr. 129.

Eccleſia non celebrat, aut recolit Diem, vel tempus alicujus Sancti, in quo verum ſit dicere: Beatus eſt immundus, aut infectus peccato originalî, vel actualî. Ita quando celebrat Nativitatem Baptiſtæ, vel converſionem Pauli, jam verum eſt dicere, eſt Sanctus, eſt mundus à peccato. Tempus enim, aut diem peccati præteriti magìs vult æternâ oblivione delere, juxta illud Job. c. 3. *Pereat Dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt, conceptus eſt homo.* Ergò etiam, cùm Eccleſia celebret Feſtum

Conceptionis B. Virginis, verum erit dicere: eſt Sancta, & munda Conceptio, ab omnî peccato, tam actualî, quàm originalî.

## §. 4. *Hiſtoria.*

130. aDVLter, MIrè ab orCo LIberatVs.

REverſurus ad oppidū ſuum, perpetrato paulò ante turpiſſimo adulterij flagitio, Pagi cujusdam Gallici Præbendarius, ad Sequanam Fluvium devenit, quem trajecturus, naviculam, quam fortè ibi offenderat, ſolus aſcendit, Horasque Canonicas, quas die illâ, hucuſque recitare diſtulerat, modò perſolvere cogitat. Cùm ergo, naviculâ in ipſo Fluminis medio conſtitutâ, Invitatorium diceret, quod aliud non erat, quàm *Ave MARIA gratia plena, Dominus tecum,* ob Feſtum, Virgini DEI parenti Sacrum, ſubitò advolans horrenda infernalium Monſtrorum turba, naviculam ſubvertit, atque ſuffocati in aquis animam, ad tartarea tormenta deduxit. Apparuit autem exultantibus de prædâ ſuâ dæmonibus Mater gratiæ MARIA, hiſcé eos verbis interpellans: Ut quid mei Familiarîs animam tam injuſtè affligitis? reponunt illi: Noſtram quis neget animam, quæ capta eſt, in opere noſtro? quibus MARIA: Bene eſt, ſi illius eam dicitis, cujus opera faciebat, ſcitote meam eſſe, quoniam Matutinas meas, cum eam peremiſtis, perſolvebat. Dixit, & dæmonibus hinc inde aufugientibus, ſubmerſum de profundo fluminis eduxit, animamque ad ejus corpus revocavit, qui tam mirè ab orco liberatus, cognito, quod à Virgine Beatiſſimâ indignus acceperat, beneficio, ſtatim pedibus ejus provolvitur, ac abſterſo jam, per ſeriam contritionem, turpîs adulterij flagitio, pro quo æternaliter jamjam damnandus fuiſſet, ſic Eam alloquitur: ô Virgo gratioſiſſima! quid tibi pro tantis retribuam beneficijs? atque plura dixiſſet, niſi copioſum lachrymarum profluvium vocem omnem interclusiſſet. Cui illa: Precor te, inquit, nè ampliùs in reatum adulterij, aut alterius peccati gravîs prolabendo, conſcientiam tuam commacules, ac Feſtivos mihi dies, qualis ad tuam ſalutem hodiernus fuit, ſpecialiſſimè verò Diem puriſſimæ meæ Conceptioni ſolennem, non peccando violes, ſed jugî potiùs devotione venerari nè intermittas. Quibus dictis, ipſo vidente, ad ſuperna conſcendens evanuit, ille verò, vitam amplexus ereміticam, quid ſibi acciderit, pluribus enarravit, ex quo ingens, apud complures, ergà Virginis illibatæ Conceptionem, crevit devotio. *Meffreth in hortulo Reginæ Serm. 9. litt. E.*

## §. 5. *Symbolum.*

MargarIta, In Vtero, CanDens, aC pVra. 131.




Intra uterum prètioſa latet Gangètica gemma,
Ipſo in conchilî candida, pura ſimul.
Intra uterum, primo inſtanti, quam *gratia* mater
Concepit, pariter candida Virgo fuit.

Anna gratia

*Inventâ autem unâ pretioſâ Margaritâ, abijt, &c.* Matth. c. 13. v. 46.

§. 6.

## §. 6. *Antiquitas.*

132. In TInCtore eIVs PVrpVræ, qVâ ReX oLIM VeſtIenDVs, reqVIrebatVr pVrItas.

CAſſiodorus *l. 2. variar. Epiſt.* recenſet, Theodoricum, antehac Gothorum, deinde ab extincto tùm temporis Romano Imperio, primum Regem Romanorum, ſub capitis pœnâ ſtatuiſſe, ut totis in id viribus, & conatu poſſibilî incumberetur, ne Purpura illa, quâ Regium aliquando Corpus contegendum, ac veſtiendum eſſet, ab alio, quàm à mundo, caſtoque tinctore contrectaretur. Hæc nimirùm erant ipſiſſima Regis verba: *Si in illis rubicundis fontibus albentis comas ſerici doctus moderator intinxerit, habere debet corporis puriſſimam caſtitatem, quia talium rerum ſecreta dicuntur refugere immunda.* Et ſanè, experientiâ magiſtrâ, eſto, pulcherrimâ rubeat ebrietate lana, contactu tamen impudici magiſtri, lætior color defloreſcit, ac vivacior habitus, afflatu fœdo marceſcens, emoritur. Hæc nimirùm innata conchylijs proprietas, ut omnem immunditiam tanquàm venenum, penitùs exhorreant, hoc jucundum purpuræ munus, quòd non niſi caſtas admittat manus, ijsque gaudeat, ubi autem ſe tangi immundè ſenſerit, illicò ſeſe contrahat, ſi denique venereis violetur manibus, prorsùs emoriatur.

Porrò, ſi Theodoricus, Rex ille Barbarus, Purpuram, Regale decus, quo veſtiendus erat, voluit, mundis, puriſque manibus, & corpore non inceſto ſibi elaborari. An Filius DEI, Rex Regum, Fons puritatis, patietur, corpus ſuum contegi impurâ, & quondam violatâ per originale peccatum purpurâ? an Filius DEI circumferet, & adorandum in omnes æternitates habitum oſtentabit, quo velut ſuo aliquando ſpolio, dæmon poſſet gloriari? Nonnè Corpus Chriſti eſt Sacra illa Purpura, quam tinxit Mater Sanctiſſima, quâ Verbum DEI indutum eſt, dum *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis* Jo. 1.? ſi ergo ſerici moderatori ſingularis adeò præcipitur munditia, quia ſecreta, & latens muricis indoles horret immunda: quomodò non etiam moderatrix, imò & fabricatrix corporis Chriſti, omnem depoſcat puritatis fontem? abſit proinde à nobis, Divino Filio, purpuram, immundæ peccatricis quondam manibus contextam, & vitiato labis murice imbutam conſignare! utpote, qui purpuram hanc Virgineam adeò ſemper conſervavit immaculatam, nè, vel ad momentum, manu pollutâ prophanari poſſet.

## §. 7. *Anagramma.*

PVra DEIpara, à MaCVLâ aLIena. 133.

*A Maculâ Tu remota es, pia mundi Regina!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

* * *

De

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS XX.

### §. I. *Scriptura.*

134. TeLLVs VIrgInea, VaLDè eXCeLLens, eX IesV BeneDICto frVCtV VentrIs, ſatIs CognIta.

Numer. c. 13. v, 28. *Venimus in Terram, ad quam miſiſti nos, quæ reverà fluit lacte, & melle, ut ex his fructibus cognoſci poteſt.*

MIſſi à Moyſe exploratores ad conſiderandam Terram Chanaan, cùm redirent, attulerunt de fructibus Terræ illius, quos oſtendentes omni multitudini, hæc retulerunt: *Venimus in Terram, ad quam miſiſti nos, quæ reverà fluit lacte, & melle, ut ex his fructibus cognoſci poteſt.* Hoc Joſue quoque, & Caleb, qui & ipſi Terram luſtraverant, firmiter aſſerentes confirmârunt: *Terra* inquiunt, *quam circuivimus, valde bona eſt, ſi propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte, & melle manantem, &c.* Verùm, cùm nihilominùs murmur inter quoſdam excitaretur, *detrahentes terræ* illi, *quod eſſet mala, mortui ſunt, atque percuſſi, in conſpectu Domini.*

c. 14. v. 7.

v. 37.

Exploratores Terræ Marianæ meritò SS. Patres dixerim, qui diligentiſſimè conſiderantes tantæ Virginis decora, ac prærogativas, millenis eam laudibus deprædicant. Taceamus modò Anſelmos, Bernardos, Damaſcenos, Ildephonſos noſtros, alioſque ſexcentos: unus hic audiatur præclariſſimus Eccleſiæ Doctor, S. Auguſtinus, ſic in Virginis laudes perorans: *Tu,* ait, *Tota pulchra, tota formoſa, tota delectabilis, & glorioſa, tu maculâ nullâ fuſcaris, tu omnî decore veſtiris, tu omnî ſanctitate ditaris.* Hæc ipſa Terræ hujus Virgineæ excellentia, ac bonitas, nonnè ex benedicto Ventris ſui fructu, dulciſſimo JESU, ſatis cognoſci poteſt? Quemadmodùm enim Arborum bonitas ex fructibus cognoſcenda, juxta illud S. Scripturæ: *Aut facite Arborem bonam, & fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, & fructum ejus malum, ſiquidem ex fructu arbor agnoſcitur.* Item apud Matthæum: *Omnis arbor bona bonos fructus facit, mala autem arbor malos fructus facit. Non poteſt arbor bona, malos fructus facere, neque arbor mala, bonos fructus facere. Igitur ex fructibus eorum cognoſcetis eos,* Eo prorsùs modo, de Terrâ, ejuſdemque fructibus, ad cognoſcendam utriuſque bonitatem, diſcurrendum. Hanc ipſam proinde Terræ noſtræ Marianæ bonitatem jam dudùm etiam deprædicavit Gabriel Archangelus, qui & ipſe à Cœleſti Moyſe, Patre æterno, miſſus explorator, eam invenit non tantùm lacte, & melle manantem, juxta illud: *Mel, & lac ſub linguâ tuâ,* ſed & *gratiâ plenam,* verbo, valdè bonam. Optimè in *Terræ* hujus, ejuſdemque *Fructûs* commendationem Hugo de S. Victore. *In Cœlo,* ait, *qualis Pater, talis Filius, & in terrâ, qualis Mater, talis Filius. In Cœlo imago Patris, in terrâ imitator Matris.* Mater Terra & quidem benedicta: *Benedicta tu in mulieribus*: Filius fructus, & quidem benedictus: *Et benedictus fructus ventris tui.* Vel ergò concedendum, Terram hanc ſine originalî labe ſemper benedictam, vel dicendum, Fructum ſimiliter fuiſſe peccati participẽ, quod dicere ſumma utique blaſphemia eſſet; nec aliud eſt diſcrimen inter Terræ, & Fructûs hujus benedictionem, niſi, quòd Chriſtus eſſentialiter, MARIA autem per gratiam ſit benedicta. Atque ut Telluris hujus Virgineæ excellentiam adhuc clariùs perſpi-

Serm. de incarn.

Math. 12. v. 33.

c. 7. v. 17. & 18.

Cant. 4. v. 11.

Apolog. de verb. Incarn. c. 3.

ſpiciamus, de illâ oportet intelligi, Pſ.84.v.1. quod Pſalmiſta ait: *Benedixiſti Domine terram tuam*, benedictione nimirùm Divinæ gratiæ, animam Sanctificantis. Nè verò quiſquam exiſtimet, ipſum loqui tantummodò de benedictione ſanctificationis, poſt contractum peccatum originale, continuò ſubjunxit, benedictionem terræ hujus fuiſſe præſervativam, nè in dæmonis captivitatem veniret: *Avertiſti captivitatem Jacob.* non enim dixit: *Abſtuliſti captivitatem*, quaſi jam illam incurriſſet, ſed *avertiſti*, ut palàm ſignificaret, Originalis peccati ſervitutem propulſaſſe, & Virgineam hanc Terram prohibitam, ſeu impeditam fuiſſe, nè in illam incideret. Unde notanter loquens, in eodem Pſalmo, de aliorum ſanctifica- v. 2. tione, non dixit: *Avertiſti captivitatem*, ſed: *Remiſiſti iniquitatem plebis tuæ, operuiſti omnia peccata eorum.* Quo diſparî loquendi genere, non obſcurè docuit David, hoc fuiſſe diſcrimen, inter bonitatem Terræ Virgineæ, & alterius Sancti, inter ſanctificationem MARIÆ, & aliorum, quòd illius præſervativa, horum ſanativa extiterit. Quis ergo non miretur Terram valde bonam, valde excellentem, lacte & melle manantem, dignam, producere *benedictum fructum Ventris*, JESUM? Quòd ſi nihilominùs quis excitare audeat murmur, ut olim aliqui ex Iſraëlitis, ac Terræ huic pertinaciter detrahere, quòd ſit, vel fuerit aliquandò mala, ſeu peccato obnoxia, certè cum Iſraëlitis illis graviter percutiendus, quidnì & æternâ fortaſsis morte, in conſpectu Domini, puniendus erit.

## §. 2. *Authoritas.*

135. MeLLea S. BernarDI ſententIa, pro VIrgInIs InnoCentIâ.

1. *Crudelis Eva, per quam ſerpens antiquus etiam ipſi viro virus infudit; ſed fidelis MARIA, quæ ſalutis antidotum & viris, & mulieribus propinavit, illa enim miniſtra ſeductionis, hæc propitiationis, illa ſuggeſſit prævaricationem, hæc injecit redemptionem.* Serm. de verb. Apoc. in Nativ. B. V.
2. *Libanus Mons, qui dicitur Dealbatio, altam præ omnibus ſignat innocentiam tuam: innocens fuiſti ab originalibus, & actualibus peccatis, nemo ita præter Te.* Serm. 4. ſuper *Salve.*
3. *Licèt MARIA de Patrum naturâ, vitiatâ per peccatum, duxerit originem, prælecta tamen per Spiritum Sanctum, & præſervata.* Ibid.
4. *Cùm omnî modo conſtet, ab originalî contagio, ſolâ gratiâ, mundatam eſſe MARIAM: quippe cùm & nunc in Baptiſmate ſola hanc maculam lavet gratia, & ſola eam raſerit olim petra circumciſionis, ut omninò pium eſt credere, proprium Mariæ delictum non habuit.* Serm. 2. de aſſumpt.
5. *Cui hæc ſervata Victoria eſt, niſi Mariæ? ipſa procul dubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni ſuggeſtionem, tam de carnis illecebrâ, quàm de mentis ſuperbiâ, deduxit ad nihilum.* Hom. 2. ſuper *Miſſus.*
6. *O Adam! muta iniquæ excuſationis verbum, in vocem gratiarum! & dic: Domine! mulier, quam dediſti mihi, dedit mihi de ligno vitæ, & comedi, & dulce factum eſt ſuper mel ori meo, quia in ipſo vivificaſti me. O admirabilem parentum reparatricem, poſterorum vivificatricem!* Ibid.
7. *De ſingularî Virgine, nulla eſt ambiguitas, quin ipſa maternis circumſepta viſceribus, ſublimioris ſanctificationis genere mundata ſit, utpote ſanctuarium illud, in quo DEUS, & DEI Filius carnem fuerat ſuſcepturus.* Serm. de Privil. S. Joan. Baptiſt.

## §. 3. *Ratio.*

CVLpa In DeIparâ, FILIo IgnoMInIoſa. 136.

NIhil quod tantùm umbrâ alicujus ignominiæ denotaret, eſt ponendum in Chriſto, aut à nobis aſſerendum: ſed Matrem ejus fuiſſe conceptam in peccato, eſt non levis ignominia in Chriſto. Ergo aſſerendum non eſt, Beatam Virginem fuiſſe conceptam in peccato originalî. min. prob. Mater rebellis ponit non levem ignomini-

âm in Filio: Sed per peccatũ Originale fit aliquis rebellis DEO, quia fit ejus inimicus. Ergo Matrem eſſe conceptam in culpâ originalî, non levem diceret ignominiam in Chriſto.

### §. 4. *Hiſtoria.*

137. FranCIsCI sVarez, De ILLIbatâ ConCeptIone ſententIa, DeIparæ aCCepta.

P. Franciſci Suarez, Viri ex Societate Jeſu clariſſimi, ac verè Doctoris eximij, Singularis erga Deiparam devotio ex eo colligitur, quòd in omnibus Feſtivitatibus, prævię ad celebrationem Sacro-ſancti Miſſæ Sacrificij, duas omninò horas, in Sacris cum eâ colloquijs conſumpſerit, ac ſuis in ſtudijs, ſi fortè difficiliora viderentur, ſummâ MARIAM fiduciâ, pro maternâ illuſtratione, deprecatus fuerit. Ubi illud, præ reliquis, memorabile: tantam virum hunc Religioſum ſenſiſſe in ſtudijs difficultatem, ſtatim ad primum in Societatem ingreſſum, ut ſpontè Superiores accedens, enixis precibus flagitârit, dignarentur illi à ſtudijs incapacem abſolvere, atque ad alia, pro libitu, applicare: qui tamen Reverendo plurimùm Patre Martino Gutierio, Collegij Rectore, nullatenùs conſentiente, imò potiùs ad proſequenda Franciſcum ſtudia paternè cohortante, eò tandem obediens devenit, ut de die in diem, mirum in modum proficiens, per complures deinde Annos, Salmanticæ egerit Profeſſorem, hacque occaſione, de honore Deiparæ, tam tenerè à ſe amatæ, ſpecialiter ſcribens, non tantùm de Immaculatâ Ejus Conceptione, ſuper 3.am partem D. Thomæ, *Tomo ſecundo Diſp. 3.* verùm etiam de Virginis gratiâ, & gloriâ, ſuper omnes Angelos, & Sanctos longè eminente, *Diſp. 18.* eruditiſſimè, & fusè tractârit. Quod Franciſci ſtudium Beatiſſimæ Deiparenti adeò placuit, ut ſupra laudato R. Patri Gutierez, ſpecialiter ſibi devoto, comparere dignata ſit, ſingulares ei grates rependens, quòd eò Patrem Franciſcum Suarez diſpoſuerit, ut ſtudijs ſuis continuatis, hanc doctrinam, ac de Puriſſimâ Conceptione Sententiam, ex Scripturâ, & Patribus perbenè roboratam, mundo publicârit. *Calendar. Virg. German. ad 25. Septembris.*

### §. 5. *Symbolum.*

LVna, aVDIens Latrantes Canes, non tIMet. 138.




Audit Luna canes latrantes, nec timet iſtos:
Latrant, non mordent. Cynthia tuta micat.
Sic, qnidquid latrent aliqui, non hoſcé timebit
*Pulchra ut Luna* canes, quæ ſine labe micat. Cant. 6. v. 9.
*Luna tua non minuetur.* Iſaiæ c. 60. v. 20.

### §. 6. *Antiquitas.*

PICtores perfeCtI, IMperfeCto ContentI: 139.

*E. G.*

ApeLLes faCIebat: ParrhasIVs faCIebat.

DE compluribus, ijsdemque celeberrimis, pictoriæ Artis magiſtris, paſſim refertur, eosdem, cùm opus aliquod, immortalitate dignum, toto ingenij niſu, elaborâſſent, auſos tamen nunquam fuiſſe, Perfecto uti,

ſed

ſed manu à tabulâ amotâ, id unicum adſcripſiſſe: *Apelles faciebat: faciebat Parrhaſius: faciebat Protogenes: Polycletus faciebat, &c.* imperfecto contenti, ut nimirùm eſſent excuſati, ſi fortè quædam obſervaretur imperfectio, eò quòd necdum abſolutum opus dicere poſſent.

Te, Virgo puriſſima! *Sæculorum negotium!* Pictor abſolvit Divinus, numeris omnibus abſolutiſſimus, abſolutiſſimâ, nulloque, vel minimo etiam nævo laborantem. Nihil igitur in Te imperfecti, perfectum omne, & perfectiſſimum, quidquid in Te eſt. Uti cum veritate potes termino illo: *Fecit*, ac dicere: *Fecit mihi magna, qui potens eſt.* Luc. 1. v. 49. *Fecit potentiam in brachio ſuo.* v. 51. & quid mirum? ut enim DEUS ipſe eſt perfectiſſimus, ita agere, niſi perfectiſſimè, omninò non poteſt. Quid mirum, inquam, Te perfectam eſſe, imò perfectiſſimam, quando Divino tuo artifici nihil deeſſe potuit, quo Te opus faceret pulcherrimum, mundiſſimum, ſceleriſque, ac nævi cujuscunque integerrimum? ſi enim artifici, perfecti quidpiam facturo, duobus opus eſt: Potentiâ, & Voluntate (quid enim boni fiat, ſi id, quod facere velit, non poſſit, aut cùm poſſit, non velit:) Divina certè Majeſtas, Te opus ſuum confectura, adeò Potentiam ſuam Voluntati perfectiſſimo modo connexuit, ut vel inde, ſine omnî maculâ, mundam, totamque pulchram Te effecerit.

### §. 7. *Anagramma.*

VIrgo ConCepta, DaMna pIè aVertens. 140.

*Damna piè avertens, Virgo immaculata!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XXI.

### §. 1. *Scriptura.*

141. VIrgo sIne Labe, noMIne fILIJ beneDICens.

Deuteron. c. 10. v. 8. *Separavit Tribum Levi, ut portaret Arcam fœderis Domini, & ſtaret coram eo in miniſterio, ac benediceret, in nomine illius.*

SI Tribûs Leviticæ, ab ipſómet Domino DEO à reliquis Tribubus ſeparatæ, ac ſeorſim poſitæ, cauſam inquiramus, non unam tantùm, ſed plures Sacra Hiſtoria his verbis in medium adducit: *Ut portaret Arcam fœderis Domini, & ſtaret coram eo in miniſterio, ac benediceret in nomine illius.* Et has ipſas ob cauſas ſubjungit ſacer Textus: *non habuit Levi partem, neque poſſeſſionem cum Fratribus ſuis, quia ipſe Dominus eſt poſſeſſio ejus.* v. 9.

Porro, quid dicam de Virgine Beatiſſimâ, ſine omnî labe concepta? nonnè & iſta ab æterno ſeparata, exque millibus à Domino eſt electa, ac præelecta, *ut portaret* in utero *Arcam fœderis*, unigenitum ſcilicèt Filium ejus, *& ſtaret coram eo in miniſterio*, tanquam humilis *ancilla Domini*, ejusdemque in terris Mater, & nutrix, *ac* (in quo præſentis Conceptûs cardo conſiſtit) *benediceret in nomine illius*, omnibus devotè invocantibus eam. Quamobrem *neque MARIA habuit partem, aut poſſeſſionem cum fratribus ſuis*, id eſt, non participavit de originalî culpâ, in reliquos om-

omnes Adæ filios univerſim transfuſâ, *quia ipſe Dominus* ex eâ carnem ſumpturus, *eſt poſſeſſio ejus*, à quo viciſſim poſſeſſa dicere poterat: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*, ſicque verificatum fuit: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Quomodò autem Virginis ſine labe proprium fuerit, & ſit etiamnum, nomine Filij benedicere? ex eo facilè licet colligere, quia tantæ fuiſſe pulchritudinis perhibetur, ut intuentibus non tantùm Divinitatis ſpeciem quandam obijceret, verùm etiam, quisquis in MARIÆ vultum oculos figebat, unà contra omnem illicitæ cupiditatis pruritum præſens remedium hauriret, teſtante idipſum D. Ambroſio, apud Novarinum hæc habente: *MARIÆ tanta gratia fuit, ut non ſolùm in ſe Virginitatis gratiam ſervaret, ſed etiam ijs, quos inviſeret, Virginitatis inſigne conferret.* Huic doctrinæ adſtipulatur D. Thomas à Villanova, hæc de illibatâ DEI genitrice referens: *Sacra, pura, & immaculata Virgo, cui etiam præ alijs hoc erat inſigne Virginitatis, ut inſpectores ſuos Virgines faceret: erat enim in eâ Virgines germinans Virginitas.* Quid autem hoc eſt aliud, quàm MARIAM nomine Filij benedicere? Notandum prætereà, DEUM ob dilectiſſimæ Genitricis ſuæ, ſine labe conceptæ, ſingulare decus, ac ſpeciem, toti humano generi factum eſſe propitium, & benedictionem amplam per manus MARIÆ elargitum. Quòd ſi *dicere* in Divinis idem eſt, ac *facere*, juxta illud: *Ipſe dixit, & facta ſunt*, cùm nimirùm DEI dictio ſit practica; hinc *benedicere* idem eſt, ac *benefacere*: *benefacere* autem nobis, erit *bonos efficere*, à perpetratis noxis avertere, à pravis conſuetudinibus animum dimovere, verbo, Cœleſti Patriæ, à quâ non per originale tantùm aliquandò, verùm etiam per complura actualia, ſæpiùs excidimus, iteratò adſcribere, quæ certè omnia MARIÆ debemus exordijs, ab omnî originalî labe, & maculâ defæcatis, utpotè, quam in primo ſtatim Conceptionis momento, à reliquis omnibus Adæ filijs ſeparavit, ut inter alia, *benediceret in nomine illius*, quam etiam (ut ait D. noſter Anſelmus) *verè dignam judicavit, per quam in hominem veniens, non modò reatum primorum parentum, ſed & totius mundi peccata deleret.* O quàm merito igitur S. Germanus de frequentiſſimâ hac Virginis benedictione ſcriptum reliquit: *Nullus eſt, qui ſanus fiat, niſi per Te, Virgo Sanctiſſima! nemo eſt, qui liberetur à malis, niſi per Te, ô puriſſima! nemo eſt, cui donum concedatur, niſi per Te ô caſtiſſima!* Ne ergò angaris animo, Anima peccatrix! nè fracto ſis corde miſer peccator! tua quidem te jactant flagitia: ſed veniam ne diffidas, ad Virginem ſine labe erigere, peccatoribus in refugium ſeparatam, Virgineas ejusdem manus, nomine Filij tam miſericorditer benedicentes fiducialiter exoſculare, atque, ut extinctis per pœnitentiam peccati maculis, tibi quoque locò æternæ maledictionis, Virginis ſine maculâ obtingat benedictio, quotidianâ illam prece fatiges, eam præſertim efficaciſſimam, & tot jam beneficijs probatam Precatiunculam nullâ die intermittens: *Per Sanctam Virginitatem, ac Immaculatam Conceptionem tuam, ô puriſſima Virgo MARIA! emunda cor, & carnem meam. In Nomine Patris †, & Filij †, & Spiritus Sancti †, Amen.*

Prov. 8. v. 22.
Cant. 2. v. 16.
Umbræ Virg. n. 229.
Pſal. 32. v. 9.
l. de excell. Virg.
S. Germã. de Zonâ Dnæ.

## §. 2. *Authoritas.*

### S. bonaVentVra CoLens DeIparaM sIne Labe. 142.

1. *Congruebat, ut Virgo ita vinceret diabolum, ut neque ei ſuccumberet ad modicum. Congruum etiam fuit, ut ſic eſſet immaculata mente, ſicut intemerata carne.* In 3. Sent. diſt. 3. p. 1. a. 1. q. 1.
2. *Quoniam B. Virgo advocata eſt peccatorum, gloria, & corona juſtorum, Sponſa DEI, & totius Trinitatis triclinium, & ſpecioſiſſimum Filij reclinatorium: hinc eſt, quòd ſpeciali gratiâ DEI, nullum in eâ peccatum habuit locum.* Ibid.
3. *Cæteri poſt caſum erecti ſunt, Virgo autem ſuſtentata eſt, ne caderet.* Apud Fernand. in Genes. Tom. 1. f. 615.
4. *Domina noſtra tota fuit puriſſima, omnî carens penitùs maculâ, tam in corpore, quàm in animâ; unde illi ſoli convenit illud:*

*lud: Tota pulchra es, & macula non eſt in Te.* Serm. 1. de B. Virg.

5. *Dico primò, quòd Domina noſtra fuit plena gratiâ, in ſuâ ſanctificatione, gratiâ ſcilicèt præſervativâ, contra fœditatem originalîs culpæ, quam contraxiſſet in Conceptione naturæ, niſi ſpeciali gratiâ fuiſſet præſervata, præventaque.* Serm. 2. de aſſumpt.

6. *Solus Filius Virginis fuit originalî culpâ immunis, & ipſa Mater ejus Virgo. credendum eſt enim, quòd novo ſanctificationis genere, in ejus Conceptionis primordio, Spiritus Sanctus eam à peccato originali (quod non infuit, ſed quod infuiſſet) redemit, atq; ſingularî gratiâ præſervavit.* Ibid.

7. *Propter omnimodam culpæ carentiam, & im̄unitatem, propter omnimodam innocentiam, & puritatem, meritò illi in principio ſalutationis dicitur Ave.* In ſpec. c. 2.

8. *O Maria! Dominus tecum fuit, tecum eſt, tecum erit: Tecum fuit in Conceptione, te obumbrans, adversùs omnia peccati originalîs ignea tela.* In ſpec. c. 9.

## §. 3. *Ratio.*

143. ChrIſtI-reConCILIatIo, ob peCCatVM orIgInaLe eſt perfeCta.

PErfectiſſimus reconciliator, cui datum eſt redimere naturam humanam, quæ perierat ex peccato, debet eam reconciliare DEO, ſecundùm perfectiſſimum reconciliationis modum, ſi non ſecundùm omnia individua, ſaltem ſecundùm unum, quia aliàs non eſſet perfectiſſimus reconciliator: Atqui Chriſtus fuit perfectiſſimus reconciliator. Ergo debuit DEO reconciliare naturam humanam, ſecundùm perfectiſſimum reconciliationis modum. Sed perfectiſſima reconciliatio, eſt Redemptio præſervativa, & convenientius ſubjectum aſſignari non poteſt, quàm B. Virgo, utpote ejus Mater. Ergò, cùm Chriſtus fuerit perfectiſſimus redemptor, & ejus reconciliatio, ob peccatum originale, ſit perfecta, B. V. debuit eſſe præſervata, à peccato originalî.

## §. 4. *Hiſtoria.*

Defenſor ILLIbatæ, faCto Voto, à Morbo ſanatVs. 144.

COncionator, in Civitate Mediolanenſî, Sermonem ad populum habuerat, ac efficacibus, ut quidem ipſe putabat, rationibus, contra immaculatam Deiparæ Conceptionem detonuerat: neq; hoc contentus, ut auditores ſuam ſententiam faciliorî negotio amplecterentur, abſolutâ Concione, affigi curavit ſubtùs cathedram, tabulam, inſcriptas à ſe Authoritates, contra eandem Conceptionis puritatem, linguâ Italicâ, continentem. Interfuit fortè actui huic vir quidam, præſtantis doctrinæ, illibatæ Deiparæ ſingulariter devotus: hic non in vanum pertimeſcens, tam audacî attentato, plurimos à devotione immaculatæ Conceptionis poſſe averti, multumque ſecum recogitans, qualiter ingenti huic malo obviandum eſſet? animo tandem propoſuit, curaturum ſe, ut deſcribantur ad ſimilem prorsùs tabulam, nonnulli magnæ authoritatis Doctores, cum dictis ſuis, Conceptionem puriſſimam commendantibus, quam deinde tabulam ad propriæ domûs portâ ipſemet affigere vellet, cum adjunctione ſtudiosè depicti illius miraculi, contra concionatorē ſimilem, ab ulciſcente Numine patrati, contra illum nimirùm, qui habitâ talî concione, de pulpito deſcendens, paulò poſt ab adventante terribilî lupo ſuffocatus eſt, ut in Hiſtoriâ Conceptûs V. retulimus. Veruntamen, cùm per aliquod tempus, propoſitum ſuum, de affigendis hiſcè Authoritatibus, & picturâ diſtuliſſet, periculosâ interim ægritudine correptus, nullis Medicorum conſilijs, priſtinam recuperare ſanitatem poterat; hinc mentem ſubire cæpit pia hæc cogitatio, num fortè Beatiſſima Virgo, propter talem ſalutarîs propoſiti dilationem indignata, hanc ſibi infirmitatem immiſiſſet? eapropter confeſtim voto ſe obſtrinxit, velle ſe, ſi per Virginis illibatæ interceſſionem, à periculo liberaretur, confeſtim propoſitum executioni mandare. Vix

votum ex animo fecerat, cùm ecce! ſine omnî ulteriorî remedio, integræ ſanitati eſt reſtitutus. *Bernardin. de Buſti. Serm. 9. de Concept.*

### §. 5. *Symbolum.*

145. VIrgo MarIa, è spInosâ raDICe genIta, nesCIâ ſpInæ.




Purpûreo è Spinis Roſa ſurgit tincta cruore,
Nec tamen hic Spinam Flos rubicundus habet.
Neſcit Spinoſæ concepta Deipara ſtirpis
Spinam, mox Geniti tincta cruore ſui.

*Quaſi flos Roſarum in diebus Vernis.* Eccli. c. 50. v. 8

### §. 6. *Antiquitas.*

146. Longè à ConſeCranDâ eCCLeſiâ, CorpVs DefVnCtI.

INter alia complura Sancti Patris noſtri Gregorij, re, & nomine, verè Magni, præclariſſimè geſta, tamque ad cultûs Divini propagationem, quàm ad morum correctionem laudabiliter ordinata, illud ſilentio prætereundum non eſt, quòd ſummo in id ſtudio fuerit conſtanter intentus, ut conſecratæ Divino cultui Eccleſiæ, ac Templa, maximâ miniſtrorum diligentiâ, à ſordibus quibuscunque mundarentur, ac in quibus purum offerri debebat immaculati Agni Sacrificium, pura conſervarentur. Expertus fuit hunc laudabilem Gregorij Zelum, pro domo DEI, Caſtorius quidam, Ariminenſis Antiſtes, qui, cùm ſuâ in Diœceſi, Sacellum quoddam ritu Chriſtiano inaugurare, ac conſecrare vellet, id inaudiente Gregorio, protinùs fuit ab actu prohibitus, eò, quòd ad aures Sancti Pontificis perlatum fuiſſet, jacere in eo loco hominis cujusdam, nuper demortui, putridum cadaver; Hinc dedecere omninò reſcribebat Gregorius, quòd in loco, Chriſtianâ conſecratione Sanctificando, morticinum perſiſtat, nuperrimè tumulatum. *Gregor. lib. 6. Ep. 9.*

Nonnè ergo & nos prudenter exiſtimabimus, dedecuiſſe vel maximè infinitam Divini Filij Sanctitatem, ut ejus ad nos venientis, carnemque humanam ex Virgine Matre aſſumentis locus primus, Mortalîs peccati (quale absque dubio Originale dicendum) teterrimâ aliquandò contaminatione ſorduerit? Dicendum ergo: MARIAM, utpotè Sacrarium Verbi Divini, ab æterno præparatum, ac conſecratum, peccati mortem ſemper abhorruiſſe, nullumque in ſe communîs maculæ morticinum vel ad momentum admiſiſſe.

### §. 7. *Anagramma.*

EIa DeIpara, RegIna ILLIbata, speCIe tVâ MIra! 147.

*O Munda, alma Regina, Tu ſpecie tuâ mira!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

De

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XXII.

## §. I. *Scriptura.*

148. AbsConDens FILIVM, ſoLa præſerVata.

Joſue c. 6. v. 16. & 17. *Sola Rahab meretrix vivat &c.: abſcondit enim nuntios, quos direximus.*

TRaditâ Iſraëlitis à Domino mirabiliter Civitate Jerichuntinâ, hæc de Rahab, Sacra commemorant eloquia, quòd quando univerſæ Urbis illius domus devaſtatæ, & ſolo æquatæ fuêre, unica hujus fœminæ habitatio, & domicilium, ex ſingularî privilegio, everſionem non ſuſtinuerit: Dixerat enim expreſsè ad populum Joſue: *Sit Civitas hæc Anathema, & omnia, quæ in eâ ſunt Domino: ſola Rahab meretrix vivat &c. abſcondit enim nuntios, quos direximus.*

Quòd ſi Rahab, mulier cæteroquin infamis, corporiſque proſtituti, univerſâ reliquâ Civitate ferro flammâque devaſtatâ, ac unà cum civibus pereunte, ſola ab exitio præſervari meruit, eam præcisè ob cauſam, quòd per horas pauculas, abſconderit in hoſpitio ſuo, ac benignè exceperit duos nuntios, à Joſue in Civitatem Jericho transmiſſos; Quidnì etiam MARIA, *benedicta in mulieribus*, ante, in, & poſt partum Virgo, univerſo reliquo mortalium genere per Adami culpam pereunte, ſola ab exitio præſervari meruerit, utpote, quam novimus abſcondiſſe, non per pauculas tantùm horas, ſed per novem Menſes, in amæniſſimo Virginalîs uteri hoſpitio, Filium Divinum, duplicem felicitatis nuntium, DEUM ſcilicèt, & Hominem, magni conſilij Angelum, à Cœleſtî Joſue, Patre æterno, in terram noſtram transmiſſum? Meruit certè talem præſervationem, in primo ſuæ Conceptionis articulo illa, in quâ per tantum tempus recondi voluit immenſus Orbis univerſi conditor, digna portare ſuo in utero illum, qui portat orbem, qui funiculo coccineo, in ſignum Marianæ immunitatis adhibito, id eſt, adhibitis funium ſuorum, ac flagellorum, imò totius Sacratiſſimæ futuræ Paſſionis prævisis meritis, per exemptionem à peccato originalî, omne hoſtîs infernalîs in MARIAM prætenſum jus penitùs expunxit, Acherontis vires eliſit, indignum diabolicæ ſervitutis jugum ſtatim abinitio, fortiter excuſſit. Nimirùm optimus ille Filius, Legem olim laturus: *Honora Patrē tuum, & Matrem tuam* (ut acta Exod. c.
inſinuant Apoſtolica) *cæpit priùs facere,* 20. v. 12.
*quàm docere,* hancq; ob cauſam MARIAM, c. 1. v. 1.
quæ illum modo ſupradicto abſcondere debebat, tantâ jam præviæ immunitatis, ac exemptionis gratiâ honoravit, eoque decoravit honore, quo omnes reliqui filij ſimul ſumpti Matres ſuos afficere æternùm non poterunt.

Hîc illud memoriæ occurrit, quod circa myſterioſam Sacroſanctæ Evchariſtiæ inſtitutionē Matthæus enarravit. Hanc ergo, *in finem nos diligens*, inſtituturus Redemptor, ſuamque ipſe Divinitatem ſub illis ſpeciebus *abſconſurus*, noluit conſecrare in pane fermentatato, eò quòd (ut interpretes exiſtimant) fermentum corruptionis eſſet Symbolum. Sed quid inde? utique peractâ jam Conſecratione, non jam panîs ſubſtantia, ſed ſola remanebunt accidentia? quid ergo ſola hæc accidentia obſtabunt? verùm renuit pijſſimus Magiſter etiam ſola panis corrupti accidentia permanere. Hîc cohibere me non poſſum, quin exclamem: O bone JESU! quid hoc? utique hæc te accidentia non tangent.

Ve-

Verùm reſpondentem mihi audire videor: verum quidem eſt, quòd me non tangent, ſed quoniam ea velùt cortinæ, ac velamina futura ſunt, ſub quibus *abſcondar*, & adorandus deliteſcam, nolo, ibi vel ſola panîs cujusdam corrupti accidentia remanere. En ineffabilem magni hujus DEI puritatem! en quàm illi omnis corruptio exoſa ſit! Quòd ſi ergò vel nuda accidentia, quæ ipſum ne tactura quidem erant, permittere noluit in auguſtiſſimo hoc Sacramento, ubi *abſcondi DEI Filius*, & eſſe cum filijs hominum volebat, credemúſne, Virginem Beatiſſimam, quæ ei adeò futura erat vicina, ut in Matrem electa, illi è carne ſuâ paratura corpus, & Sacram ejus Divinitatem, aſſumptamque humanitatem, in utero eſſet abſconſura, è fermento peccati unquam corruptam, & paucis ut dicam, peccatricem fuiſſe? abſit. dicam potiùs, quòd *abſcondens Filium ſola præſerva*, potiorî jure, quàm meretricia illa Rahab *abſcondens nuntios*, fuerit ab omnî labis excidio, ab omnî originalîs maculæ incendio libera, ac exempta. Diſcant hìc, qui rarò Sacram Eucharistiam frequentant, quantùm juvet, exemplo Virginis præſervatæ, ad præſervationem, à gravioribus noxis, abſcondere ſæpiùs in corde, & animâ noſtrâ dulcem JESUM? diſcant autem ſimiliter, quantâ id puritate perficiendum? ac quàm diſpliceat omnis vel minima peccati corruptio? diſcant prætereà, confugere in periculis, ad Virginem immaculatam, tanquam ad Domum privilegiatam, ad locum refugij, ad aſylum miſerorum: ſtudeant autem promereri ejus protectionem, per funiculum Rahab coccineum (Sacri devotionem Roſarij intelligo) ut Virginis *Filium abſcondentis* intuitu, non ab excidio quodam Jerichuntino, ſed æternæ potiùs damnationis periculo feliciter præſerventur.

* * *

## §. 2. *Authoritas.*

S.BrVno, DICens LIberaM, absqVe Labe. 149.

1. *Hæc eſt incorrupta terra illa, cui benedixit Dominus, ab omnî propterea contagione peccati libera, per quam vitæ viam agnovimus.* In Pſal. 101.
2. *Virgo eſt, cui Dominus ligavit leviatan.* Serm. de Nativ. ſuper illud Job. 40. *Nunquid illudes ei, aut ligabis eum ancillis tuis?*

## §. 3. *Ratio.*

ChrIſto saLVatorI, Data Mater pVra à Labe. 150.

Chriſtus jam ab æterno erat prædeſtinatus, & decretus, ut homo fieret, ex Matre Virgine naſceretur, genusque humanum, quod per peccatum primi Parentis periturum eſſet, redimeret, ac ſalvaret. Ergo jam ab æterno data fuit Chriſto Mater pura ab omnî labe. Ant: conſtat ex mente Theologorum: quidquid contingit in tempore, id jam ab æterno decretum, & prædeſtinatum erat, ſimulque in mente, & ſcientiâ Divinâ, ut causâ effectivâ omnium rerum, exiſtebat: atqui Incarnatio, & Redemptio generis humani verè contigerunt in tempore: Ergo jam ab æterno erant decretæ, & poſitæ in mente Divinâ. Conſeq. prob. Mundus, & purus Filius non poteſt naſci, niſi à mundâ, & purâ Matre, ab omnî labe. Sed Chriſtus fuit Filius mundiſſimus, utì nemo negat. Ergo debuit illi dari Mater, ab omnî labe pura. maj. prob. Mater habet ſe ut ſubjectum, filius verò, qui naſcitur, ut forma: ſed non poteſt forma munda, & pura educi, ac naſci à ſubjecto immundo, & impuro. Ergo mundus Filius non poteſt naſci, niſi à mundâ Matre. min. prob. Forma perfecta, & nobilis nequit educi ex ſubjecto imperfecto, & ignobilî: ita forma Spiritualis nequit educi è ſubjecto corporeo, vel forma infinita è ſubjecto finito. Atqui

qui forma munda, eſt forma perfecta, & nobilis, & ſubjectum immundum, eſt ſubjectum imperfectum, & ignobile. Ergo forma munda nequit educi è ſubjecto immundo, conſequenter nec Filius mundus naſci, ex Matre immundâ.

## §. 4. *Hiſtoria.*

151. pVra DeIpara, ab VLCere Morboſo LIberans.

TEmpus erat, quo contagioſa per Terram Modoetiæ lues, & dira peſtis graſſabatur, utque malum hoc ab uno migraret ad alium, contactus, & vicinia ſufficiebant: ut propagaretur, ſatis erat, infectos cum integris liberiùs, ac licentiùs agere. Vidiſſes hìc certè, progreſſus per Urbium plateas, obſeratis in ædibus, cives velut carcere clauſos: vidiſſes triſtia, eaque frequentiſſima funera, ſine omnî comitatu prolata: vidiſſes Templorum adyta vix non vacua, & deſerta, Sacerdotes cautos, ac ſollicitos, Sacra perpauca, Muſicum concentum nullum, Dies ſolenniores vix aliquos, quin nè plebis quidem conventum, ad placandum per vota, & Supplicationes communes DEUM, cùm tamen extrema id poſcere neceſſitas videretur. Atque utinam! quàm facilî negotio hæc diffuſa fuit contagio, tam facilî etiam remedio curari potuiſſet! Sed rara prorſus fuit ſemel infectorum reſtitutio. Hoc alieno tot millium edoctus fato, vir quidam, qui & ipſe morboſo ſe ulcere infectum ſentiebat, de alio prorsùs remedio cogitat, atque, ut ſemper erga immaculatam puræ Deiparæ Conceptionem erat admodùm devotus, ad piam hanc Matrem converſus, Ejusdem ſuppliciter implorat auxilium, quatenùs nimirùm, ad gloriam ſuæ Sacratiſſimæ Conceptionis (ſi tamen ad animæ ſuæ ſalutem id eſſet) à periculoſo hoc ulcere eum liberaret, quem medica aliàs manus reſtituere difficulter poſſet. Obtulerat MARIÆ has preces, & gratiſſimam immaculatæ Conceptionis memoriam veſperî, ac plenus filiali fiduciâ, dormitum concedens, dulces in ſomnos ſolvebatur: & ecce! ſequentî mane, Virginis illibatæ precibus, à morboſo, quod ſuſtentabat, ulcere, cunctoque periculo liberum ſe reperit, omnî reliquo vitæ tempore, gratam tanti recepti beneficij memoriam, ac ſingularem Virginis ſine labe cultum retinens. *Bernardin. de Buſti. ſerm. 9. de Concept.*

## §. 5. *Symbolum.*

aLVeare DVLCe nIMIs. 152.




Nil niſi dulce ſapit Domus hæc, nihil intùs amatum;
Reddere amara etiam dulcia, novit Apis.
Quid Concepta ſapit Domus Aurea? nil niſi dulce;
Reddit amatum *vae* dulce, Parentis *Ave.*

*Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ* Pſal. 30. v. 20.

## §. 6. *Antiquitas.*

Thebe DeſtrVCtâ, ÆDes PInDarI ConſerVata. 153.

PErtinacî planè reſiſtentiâ, Magno quondam Alexandro Thebana Civitas ſeſe oppoſuit, cujus inexſpectatâ rebellione, intimè contriſtatus, atque exacerbatus Rex, tandem in mandatis dedit, ut ampla hæc Civitas, ſuis à militibus, ſine ullâ miſericordiâ, deſtrueretur, ac in pulveres redacta,

 ſolo

ſolo æquaretur: Unicæ tantùm Domui parci cupiebat Alexander, domui nimirùm Pindari, Philoſophi illo tempore longè, lateque celeberrimi. Hinc demolitione jamjam cœptâ, ipſemet magnus Macedoniæ Monarcha, qui præſens aderat, altum exclamâſſe fertur. *Servate mihi Domum Pindari, ipſeque ſolus evadat!* cauſam ſapientiſſimè adjungens: *Tanta enim doctrina, & virtus fumo obſcurari non debet.* Quintilian. *l. 10. Inſt. Orat.*

Modò, quis neſcit, Cœleſtem Alexandrum, Regem Regum, & Dominum Dominantium, poſt temerariam recens creati hominis rebellionem, ac lapſum, omnem ejus poſteritatem tantæ addixiſſe ruinæ, ut omnes in peccatis concipi, ac naſci neceſſum eſſet? verùm unicam ſibi reſervavit, ac excepit domum, eamque pulcherrimam, Mariam, de qua Sapiens, Prov. c. 9. v. 1. *Sapientia ædificavit ſibi Domum.* Hæc non erat ſapientis cujusdam Pindari habitatio, ſed ipſa eam inhabitare ſtatuerat æterna Sapientia, Verbum Patris. Meritò igitur vocem ſuam ad Divinam extulit juſtitiam, dicendo: Serva mihi Domum hanc unicam, Mariam, ipſa ſola evadat hanc maculam! tanta enim Virtus, ac Sanctitas, fumo peccati originalîs obſcurari non debet, &c.

### §. 7. *Anagramma.*

Mater à LabepVra, aC In DeI tVteLâ. 154.

*Mira Agna, O ſummè pura, ac in Dei tutelâ!*

Verſio litteralis

*Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum.*

* * *

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS XXIII.

### §. 1. *Scriptura.*

155. soL IosVe, In MeDIo CœLI, InterIre non feſtInans.

Joſue c. 10. v. 13. *Stetit itaque Sol, in medio Cœli, & non feſtinavit occumbere.*

Stetiſſe aliquando, præter omnem naturæ ordinem, duo illa clariſſima Orbis lumina, Solem & Lunam, ad unius imperium hominis, quis crederet? niſi Sacræ idipſum Paginæ actu contigiſſe, ad imperium Joſue, fortiſſimi Iſraëlitarum Ducis, verbis perhiberent clariſſimis. Vix enim ſpecialis hic Numinis amicus, verba illa, fiduciâ in DEUM pleniſſima protulerat: *Sol contra Gabaon ne movearis, &*
v. 12. *Luna contra Vallem Aialon!* mox Sacer ſubjungit Hiſtoricus: *Steteruntque Sol & Luna, donec ulciſceretur ſe Gens, de inimicis ſuis.* & poſt pauca. *Stetit itaque Sol, in medio Cœli, & non feſtinavit occumbere ſpatio unius diei. Non fuit anteà, & poſteà tam longa dies, obediente DEO voci hominis, & pugnante pro Iſrael.* Sed quid? ergonè is, qui ex naturâ ſuâ indeficiens eſt, Cœlorum curſus, in unius hominis favorem, diſpenſatur à DEO, ut retrogrediatur, aut ſaltem ſiſtat? imò, idque propter ſpecialem amici ſui Joſue favorem.

Si ergo hujusmodi invenit locum diſpenſatio, propter unum Joſue, quis ultra dubitabit, in glorioſâ Mariæ Conceptione diſpenſâſſe quoq; Deum, ut ille ſiſteret curſus, qui communis eſt cunctis, *in quo omnes peccaverunt*, cùm Rom. 5. v. 12.
major utique inter DEUM, & Matrem, quàm inter DEUM, & Joſue ſit neceſſitudo, ardentior amor, conjun-

ctior amicitia? Nec poterit quiſpiam, niſi mente cœcus, non videre, longè plures in Conceptione hac diſpenſandi cauſas, quàm in ſiſtendo ibi Sole intervenîſſe; Cauſa enim Joſue minimè quidem ad ejus perſonam, ſed ad unum ejus actum pertinebat, cauſa autem MARIÆ perſonalis eſt, à quâ perſonæ pendet nobilitas. Præterea ex properante Cœlorum curſu, ſi hic ſolito modo properaret, nec verbis Joſue detineretur, nulla Heroi ſequeretur jactura, ſed ſolus victoriæ, gloriæque defectus; nec gloriæ quidem, aut victoriæ, ſed victoriæ, & gloriæ conſummatæ, cùm jam antequàm Sol, & Luna ſiſterent, eſſet ille victor, próque ſolâ proſequendâ victoriâ, Cœlos ſiſtere præceperit: MARIÆ verò, ſi inſtantî primo, contraheret maculam, non ſolùm triumphalîs gloriæ illius omnimoda inſtabat amiſſio, ſed dedecus etiam, quo ab hoſte victa laberetur. Ad hæc, ex illâ Cœleſtîs curſûs ceſſatione, nonnullum univerſo mundo oriri malum videbatur, nempe retentio Cœlicarũ influentiarum: at ex eo, quòd communis labendi curſus, propter futuram DEI Genitricem, ſiſteret, non tantùm nullæ Orbi abſtrahebantur influentiæ, verùm potiùs ipſa Conceptionis Virgineæ puritas, Divinarum mundo extitit influentiarum initium. Dixiſſe ergo MARIA in ipſo Conceptionis inſtantî, haud aliter, quàm Joſue, videtur: *Sol, ne movearis! ſiſte Luna!* ipſo etenim aſpectu ſuo primo, quo ſupra Solem candida ſubitò apparuit, hæſit Sol penitus immobilis, hæſit & Luna, tam ſplendente ſtupefacta fulgore. Liceat hìc mutua accipere verba illa ingenioſi Poëtæ Ovidij, quæ ad Solem protulit, arguendo illum, ac ſi ſæpè tardiùs interiret, ſæpè autem maturiùs exſurgeret, ſolummodò amore pulcherrimæ Virginis Levcothoe; ſic enim ait:

In meam.

*Levcothoen ſpectas, & Virgine figis in unâ,*
*Quos Mundo debes, oculos, &c.*

Haud enim aliter de Sole Divinæ gratiæ, ejusdemque præſervativæ, loqui poſſumus, eum tardiùs, imò nunquam interijſſe, maturiùs autem, imò in ipſo Conceptionis inſtantî, pleniſſimum illuxiſſe, in Virgine nimirùm una, futurâ Numinis Matre oculos figentem. Porrò, ſi lubeat MARIAM ipſam Soli comparare, juxta illud: *Quæ eſt iſta, quæ progreditur, quaſi aurora conſurgens, pulchra, ut Luna, electa ut Sol?* Cant. 6. v. 9. dicere certè poterimus, hunc Solem, MARIAM ſcilicèt, ad imperium Cœleſtîs Joſue, æterni Patris, ſtetiſſe in ſummâ luminis claritate immobilem, & non feſtinâſſe occumbere, ſeu primæ innocentiæ ſplendorem, per peccatum qualecunque obtenebrare, quamvìs Protoparentes noſtri omninò præpropero, ac infelicî curſu, feſtinaverint occumbere, nec ſpatio quidem unius diei (ut Irenæus, cum alijs exiſtimat) à transgreſſione Iren. l. 5. adverſus hæres. præcepti abſtinendo. *Non fuit ergò anteà, & poſteà tam longa dies* originalîs Cyrill. Epiphan. gratiæ, ſicut in MARIA, utpotè, quæ ibid. cit. ob ſingularem innocentiæ, nullo momento interruptæ, prærogativam, non Phariſaicâ quidem elatione, ſed humilî veritatis confeſſione dicere poterat: *Non ſum, ſicut cæteri hominum;* cùm adimpletum jugiter in Luc. 18. v. 11. MARIA videatur illud, quod apud Ezechielem aliquandò DEUS promiſerat, dicens: *Faciam in te, quod non feci, & quibus ſimilia ultrà non faciam.* c. 5. v. 9. Hunc ergò admirabilem gratiæ Solem, perpetuo Die, in immaculatâ Virgine, ex ſpecialiſſimo privilegio, ſubſiſtentem, frequentiorî admiremur devotionis obtutu, ut ſplendiſſimis ejus radijs in animâ illuſtrati, ac gratiâ roborati, obtentâ cum MARIA, & Joſue, de hoſtibus victoriâ, ad feliciſſimum aliquando Divini Solis aſpectum admittamur.

* * *

### §. 2. *Authoritas.*

156. ChrIJsIppVs, presbIJter IeroſoLIJMItanVs, ſtrenVVs pVræ VIrgInIs DVX, & patronVs.

1. *Tuum eſt reverà avere, & gaudere, tuum eſt veriſſimè audire iſtud: gratiâ plena; quia tecum eſt univerſus lætitiæ theſaurus, totius lætitiæ, & gratiæ Rex, cum Ancillâ, cum ſpecioſâ inter mulieres, ſpecioſus formâ præ filijs hominum, cum puellâ impollutâ is, qui ſanctificavit omnia.* Serm. de laud. Virg.
2. *Ave Solis ortus, qui nullum ferre potes occaſum!* Serm. de S. Mariâ.

### §. 3. *Ratio.*

157. DeIpara In Corpore parIter, & In anIMâ, sIne CorrVptIone.

BEata Virgo MARIA ab æterno erat electa, ut carens omnî corruptione animæ, & corporis. Ergo B. Virgo peccatum originale, in nullo inſtantî, contrahere potuit. Conſeq. prob. Corruptio corporis conſiſtit in morbis, morte, & alijs fragilitatibus corporalibus, corruptio verò animæ in deſtructione gratiæ, & amicitiæ Divinæ, in rebellione partium inferiorum ad rationem: Sed hæc omnia ſunt effectus peccati originalîs, ut communiter docent Theologi: Ergo per hoc, quòd Beata Virgo fuerit ab æterno electa, ut expers corruptionis corporis, & animæ, debuit eſſe ſine peccato originali concepta. Confirmatur. Corruptio animæ, eſt major corruptione corporis. Ergo hanc animæ corruptionem non habuit Beata Virgo, per peccatum originale. Ant. prob. illa corruptio eſt major, quâ quis fit inimicus DEI, reſpectu illius corruptionis, quæ talem inimicum non conſtituit: Sed per corruptionem animæ, fit quis inimicus DEI, non autem per corruptionem corporis, ut patet in Virginibus violatis, quæ non præbent aſſenſum voluntatis; illæ enim, etſi corrumpantur in corpore, non tamen perdunt amicitiã DEI: Econtrà, ſi fiat corruptio in animâ, ſive corruptio in corpore adſit, ſive non, ſemper aliquis fit DEI inimicus, ergo &c. Conſeq. etiam facilè oſtenditur: Eo ipſo enim, quandò quis non habet peccatum veniale, quod eſt corruptio minor, non cenſetur habere peccatum mortale, quod eſt corruptio major. Atqui Beata Virgo non habuit corruptionem minorem, nempe corporis. Ergo nec habuit corruptionem majorem, nempe animæ.

### §. 4. *Hiſtoria.*


DoMInICI LIber, In fVrno, sIne LæsIone. 158.

TRes præcipuè errores, ab Albigenſibus, in Civitate Toloſanâ, te mpore Sancti Dominici, pertinaciter fuiſſe defenſos, teſtatur inter alia Tabula quædam antiquiſſima, Barcinonæ in Archivijs Urbis illius etiamnùm aſſervata, cui integra rei ſeries fideliter eſt inſcripta. Prima Theſis, ſive hæretica illorum propoſitio hæc erat: *Chriſtus non fuit ille, qui jam dicitur veniſſe, & qui debebat genus humanum redimere.* Secunda ſic habebat: *Hoſtia conſecrata non continet verum corpus Chriſti.* Tertia demùm: *Sicut Adam formatus fuit in campo Damaſceno, ex luto mundo, & non maculato, ſic ille, qui redimere debebat genus humanum, naſci debebat ex Virgine non maculatâ: ſed Virgo, quæ dicitur Mater Chriſti, fuit maculata, per culpam originalem: Ergo natus ex tali Virgine non eſt ille, qui debebat mundum redimere.* Has ergo propoſitiones, earumque fautores, ut confunderet Sanctus Dominicus, mox Libellum compoſuit, cui Titulus: *De Corpore Chriſti*, in eo affirmans, non tantùm Chriſtum verè, ac propriè redemiſſe genus humanũ, &c, ſed & natum fuiſſe de Virgine imaculatâ: contra quod Albigenſibus furiosè inſurgentibus, Dominico econtrà Mariam totam pulchram, & ſine maculâ, cõſtantiſſimè defendente, eò res devenit, ut miraculi experientia deſideraretur,

tur, quod & factum eſt; Beatus namq; Dominicus libellum ſuum in furnum ardentem proijcere ſpopondit, hoſtibus, ſi flammis liber non devoraretur, aſſenſum præſervationi, ac reliquæ contentæ doctrinæ promittentibus. Et ecce! projectus à S. Dominico libellus, ardentem in furnum, integer permanſit, ac incombuſtus, indomitis aliàs flammis, innoxium librum, licèt ter injectum, amicè lambentibus, ac penitùs illæſum reddentibus. *Petrus Caniſ. lib. 1. de Deip. c. 7. Petrus de Valle Cern. Ciſterc. in Hiſtor. Albigens. c. 7.*

## §. 5. *Symbolum.*

159. PVra DeIpara, Mare sIne orIgInaLI CaLIgIne.




Ut rutilans Phœbi facies, ex Æquore ſurgens,
Mox claro plenas lumine cernit aquas:
Sic Sol Divinus, Mariano ex Æquore ſurgens
Conceptis pleno lumine gaudet aquis.

*Ille me clarificabit, quia de meo accipiet.* Joan. c. 16. v. 14.

## §. 6. *Antiquitas.*

160. In InſtantI ConCeptI CæſarIs, ConſteLLatIo ab AſtroLogo DIogene obſerVata, & DeCLarata.

SVetonius, in vitâ Cæſaris, recenſet, Eundem in Stemmata, & Inſignia ſua, accepiſſe figuram, quam magnus ille Aſtrologus Diogenes, in Conceptionem ejus ediderat. Conſueverunt nimirùm Aſtrologi, ijs temporibus, felicem alicujus ſortem, ex puncto Conceptionis, ſeu Nativitatis augurari, ex benevolo eam aſpectu Siderum venaturi. Conſtellationem porrò, in inſtantî Concepti Cæſaris à ſe obſervatam, Diogenes, per animal quoddam exprimebat, ſemi-Capram nimirùm, ac ſemi-Piſcem, inſinuare volens, duo hæc Aſtra, Capricornum, & Piſcem, in eam tunc Conceptionem incurriſſe: depinxit prætereà ad pedes hujus animalis primò Globum quendam, deinde Navîs gubernaculum, poſtremò Cornucopiam aliquam, Globo mundum, Gubernaculo Sceptrum Regium, Cornucopiâ divitiarum abundantiam (quibus ſcilicèt Cæſari feliciter fruendum eſſet) non vano augurio declaraturus. Ut ergo ſubſecutam hanc felicitatem oſtenderet Cæſar, à principio ſui conceptûs, ac ortûs, unà ſecum incepiſſe, & (ut falsò quidem ipſe ſibi perſuadebat) inevitabilem fuiſſe, placuit ei, pro Inſignijs ſuis, prædictam ſemi-Capræ, & ſemi-Piſcis figuram accipere.

Certè, ſi nos, tanquam Catholici Aſtrologi, explorare deſideremus punctum Conceptionis Marianæ, reperire profectò licebit longè feliciſſimum, dummodò attentiùs conſtellationem inſpexerimus. Enimverò ingredi jam tum Sol incipiebat in ſignum Virginis, dicente Joanne: *Signum magnum apparuit in Cœlo, mulier amicta Sole* Apoc. 12. Cujus Divini Solis aſpectus adeò Virgini fuit favorabilis, ut nullâ peccati nebulâ eam unquam obſcurari pateretur, adeò, ut à capite, uſque ad pedes, tota quanta perlucida, à principio uſque ad finem, miro gratiæ ſplendore coruſcârit, donec in hac claritate in dies ſuccreſcens, tandem cum ipſo juſtitiæ Sole, Chriſto Domino, in terris per Maternitatem, in Cœleſtî autem Beatitudine, miris gloriæ decorata fulgoribus, fuerit conjuncta.

§. 7. *Anagramma.*

161. proVIDa Mater, LIbera
à CVLpâ.

*Ingenua, provida Mater, immaculata es!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XXIV.

## §. 1. *Scriptura.*

162. VICtorIa, DEI genItrICIs
MARIÆ.

Judic. c. 4. v. 9. *In hac vice, Victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara.*

QUod Debora quondam Prophetiſſa ad Barac, fortiſſimum aliàs Iſraëlitici exercitûs Ducem dixerat, nempe: *In hac vice, Victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara*: hoc jugiter tunc novimus adimpletum, cùm Jahel, animoſa illa, ac pijſſima pariter fœmina, famoſum Cananæi exercitûs Ducem, novo bellandi genere proſtravit: vix enim ille tabernaculum ingreſſus fuerat, gravique laſſitudine, ac ſopore oppreſſus, ſomnum capere cœperat, cùm ecce! introgreſſa Jahel *poſuit ſupra*
v. 21. *tempus capitis ejus clavum, percuſſumque malleo defixit in cerebro, uſque ad terram, qui ſoporem morti conſocians, defecit, & mortuus eſt.* Hinc meritò Debora, & Ba-
c. 5. v. 24. rac, *benedictam inter mulieres* Jahelem deprædicabant, populusque univerſus, communi tripudio, victrici mulieri applaudebat. Glorioſa certè hæc reputata uni Fœminæ Victoria!

Verùm glorioſior longè *Victoria DEI Genitricis MARIÆ*: Nulli enim mortalium (utpote omnibus ab infen ſiſſimo humani generis hoſte, ſerpente infernalî, miſerè abinitio ſtatim circumventis, & divictis) adſcribi poterat, vel reputari pro illâ vice Victoria, quia in manu ſolius mulieris, Virginis puriſſimæ, MARIÆ, tradendus erat inimicus, confirmante idipſum Doctore mellifluo, per illa verba: *Cui hæc ſervata Victoria eſt, niſi MARIÆ?* Hom. 2. ſuper *Miſſus.*
*ipſa procul dubio caput contrivit venenatum, quæ omnimodam maligni ſuggeſtionem, tam de carnis illecebrâ, quàm de mentis ſuperbiâ deduxit ad nihilum.* Sic nimirùm, qui prius utebatur Moyſe, Joſue, Gedeone, alijsque Patriarchis, diabolum tandem debellaturus, mulierem Virginem ab æterno præordinavit; licèt enim ipſi quoque MARIÆ Atavi, omnî Sanctitate conſpicui, originalî fuerint noxâ tincti, hæc tamen ſola, puella feliciſſima, ſoſpes manſit, & integra, ſicque manu Fœminæ occidit Siſara, typus Angeli deſertoris. Quod ipſum non prophetico quidem, ſed Divino potiùs oraculo, jam pridem prædictum fuit, dicente ad ſerpentem Numine: *Inimicitias ponam inter te, & mu-* Gen. c. 3.
*lierem, ipſa conteret caput tuum.* Quæ, ne v. 15.
ad Evam pertinere viderentur, non dixit: *Pono*, ſed *Ponam*, illam utique indicans mulierem, quæ Salvatorem pareret, non quæ genuit fratricidam. Porrò ſi per *caput ſerpentis* rectè *peccatum Originale* intelligitur, utpote, quod origo fuit, & radix aliorum omnium, per quod etiam in unumquemq; noſtrûm diabolus, non ſecùs, ac ſerpens, capite immiſſo, illabi totus per alia peccata nititur, MARIA ſola, Victrix mulier, Jahele glorioſior, huic capiti inimico, generoſo impetu, lethale vulnus in-

inflixit,ut verificatum in eâ fuerit illud Senecæ

Troad. Act. 3. *Victor feroces impetus primos habet.*

Quòd ſi Jahel illa, fœmina verè pia, Siſaram gentilem, lacte potum, & in Conopeo decumbentem, infixo capiti clavo proſtravit, Maria necdum lacte pota, adhuc in utero, in ipsâ Conceptione, neſciens Conopeum, dæmonem proſtravit, eliſo ipſius capite, quo ſe in animas cæterorum hominum inſinuare conſueverat, atque ut terræ jugiter affigeretur hoſtis, à muliere tam gloriosè proſtratus, ſequens in ſerpentem prolata
Gen. c. 3. v. 14. maledictio clavus fuit: *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes, cunctis diebus vitæ tuæ.* Tibi ergo, Virgo glorioſiſſima! tibi, Mulier invictiſſima, cui Victoriam vel invitus ceſſit orcus, nomine omnium gratulor, Te meliorî jure, quàm Jahelem, *Benedictam in mulieribus* cum Gabriele deprædico, Tibi, ô victrix fœmina! meam committo pugnam; ſi enim Coſmæ Jeroſolymitani, devoti famuli tui, verbis
Hymn. 5. uti liceat: *Inſuperabilem, Deipara! ſpem tuam habens, ſervabor, defenſionem tuam poſſidens, non timebo, perſequar inimicos meos, & in fugam vertam, ſolam habens, ut thoracem, protectionem tuam, & omnipotens auxilium tuum.*

## §. 2. *Authoritas.*

163. A seXtâ sIJnoDo, CeLebrata Mater abs Labe.

AD Initium Sæculi VIII. celebrata eſt Sexta Synodus, ſub Agathone Papa, ubi c. 41. Canon. 5. & Act. 18. hæc habentur: *Confitemur, Chriſtum in vulvâ illibatæ Virginis DEI Genitricis habitâſſe, & corpus, per Spiritum Sanctum, ex Sanctâ, & immaculatâ carne ejus, in propriâ ſubſiſtentiâ, carnem ſuſcepiſſe.* Quomodò ergò immaculata, ſi maculâ quondam originalî violata? Placet etiam hìc annectere, hoc eodem Sæculo Anno 787. celebratam quoq; fuiſſe ſeptimam Synodum, in quâ Act. 2. Maria paſſim *Intemerata, immaculata, incontaminata,* imò etiam *inculpata* dicta eſt.

## §. 3. *Ratio.* 164.

DeI fILIVs, DeCeptore DIaboLo potentIor, & ſapIentIor.

MAjor utique erat Sapientia, & Sagacitas in Filio DEI, in quo omnes Theſauri Sapientiæ, & Scientiæ reconditi ſunt, in redimendo propriam ſuam Matrem, quàm erat aſtutia, & ſagacitas in diabolo deceptore, ad deprimendam naturam humanam, eamque deijciendam, è ſtatu juſtitiæ originalîs: Ergò Beata Virgo fuit immaculatè concepta. Prob. Conſeq. Sicut ſapientius, & aſtutius eſt, aliquem deprimere, & conijcere in peccatum, antequàm uberioribus gratijs fuerit condecoratus, ita ſapientius, & providentius eſt, aliquem redimere præſervativè à peccatis, antequàm ab illis fuerit deturpatus: quò magìs enim aliquis eſt in gratiâ confirmatus, eò minùs poterit deijci in peccatum, ita ſimiliter, quò magìs eſt quis immerſus peccatis, eò difficiliùs ſeſe extricare ex illis poterit: atqui diabolus decepit naturam humanam, eamque dejecit è ſtatu juſtitiæ originalîs, in ſtatum peccati, ſtatim abinitio, antequàm fuerit condecorata à DEO uberioribus, & perfectioribus gratijs. Ergo, cùm major in DEO fuerit Providentia, & Sapientia, quoad redimendam ſuam Matrem, quàm aſtutia in diabolo, quoad decipiendum, debuit eam redimere præſervativè à peccato, antequàm illud contraxerit. Sed hoc eſt eſſe immaculatam: Ergo per hoc, quòd major Providentia fuerit in Chriſto, quoad redimendum ſuam Matrem, quàm aſtutia in diabolo, quoad decipiendum, Beata Virgo fuit immaculatè concepta.

## §. 4. *Hiſtoria.*

AbsqVe sIgno ConCeptæ DeIparæ, Merſæ naVes. 165.

INter complura miracula, quæ Eminentiſſimus S.R.E. Cardinalis Bellarminus, Anno Milleſimo, Sexcenteſimo, decimo ſeptimo annotavit, ac coram

ipſo

ipſo Summo Pontifice, Pio V. Petri tunc claves tenente, teſtis omnî exceptione major perhibuit, illud meritò connumerabatur: *Naves*, inquit, (ut ijsdem Bellarmini verbis utar) *Naves, quæ Signo immaculatæ Conceptionis caruêre, naufragio ſepultæ ſunt, illis tantùm feliciter appulſis, quibus immaculatæ Virginis Imago pro Caſtoribus fuit.* Quamvìs autem hìc fuſiùs non enarretur, in quâ Navalî expeditione id Navibus, MARIÆ Imaginem præſeferentibus, beneficium contigerit, noſſe tamen id unum ſufficiat, raro miraculo, ab ipſo Summo Pontifice approbato, absque Signo conceptæ Deiparæ, merſas Naves, reliquis feliciſſimè portum attingentibus: ad moralem hominis cujuscunque Chriſtiani doctrinam, ut ſi & ille portum æternæ felicitatis attingere aliquando deſideret, MARIÆ ſine labe conceptæ Imaginem, Naviculæ Cordis devotè impreſſam, ad finem uſque retineat.

## §. 5. *Symbolum.*

166. DeIparæ pVræ à Labe, ConVenIens paLMa.




Palma Triumphalis, Victricis gloria dextræ,
Non niſi Victori convenit, haud alij.
Conceptæ ſine labe DEI Genitricis honori
Palma uni victrix convenit, haud alij.

*Quem juſtum eſſe perſpexerint, illi juſtitiæ Palmam dabunt.* Deut. c. 25. v. 1.

## §. 6. *Antiquitas.*

Vna ArteMIsIa, CataphraCta RegIna, IVſsV XerXIs RegIs, GræCos eXpVgnans, aC pVbLICè Coronata. 167.

Xerxes, potentiſſimus ille Perſarum Rex, Darij filius, generoſitatis paternæ æmulus, cùm per integrum jamjam quinquennium, contractis decies ſepties centenis hominum millibus, Græciæ bellum intuliſſet, infractam nihilominus inimicorum ſuperbiam, ſequentî tandem faſtu turpiter eluſit, furentibus nimirùm, apud Salaminam, ac in Perſas validâ Claſſe ruentibus Græcis, unicam objecit Fœminam, eamque cataphractam, Artemiſiam videlicet, Cariæ Reginam, virilîs prorsùs generoſitatis Heroinam: quâ unicâ in hoſtes, mirando prorſus auſu, ferociter irruente, magna exinde Græcorum ſecuta ſtrages, æternam illis inuſſit infamiam, ac dedecus, nullo unquam tempore diluendum. Dixiſſes, novum bellandi genus in mundo adinventum, ubi Fœmina unica tot Viris bellatoribus ſuperior, legem mortis præſcribebat. Unde non mirum, quòd univerſo applaudente exercitu, publicâ eam Palmâ, ac Coronâ donaverit Xerxes, hæc expreſsè verba pronuntians: *Illâ die Fœminas fuiſſe maſculas, viros verò muliebres prorsùs animos induiſſe.* Novum profectò bellum, à Xerxe per Fœminam inſtitutum!

Sed ad alia prorsùs bella, eaque longè glorioſiora vocamur, illa ſcilicèt, de quibus Judic. c. 5. v. 8. dicitur: *Nova bella elegit DEUS*, quando nimirùm Rex Regum potentiſſimus, ac invictiſſimus, in ſuperbum Luciferum, tot ſtrages in genus humanum inferentem, bella moturus, unam elegit Mulierem, non Artemiſiam, cataphractam Reginam, ſed MARIAM, *terribilem, ut caſtrorum acies, ordinatam*; hæc enim, in ſuâ puriſſimâ Conceptione, junctis orci viribus ſuperior,

æterni Patris juſſu, ac diſpoſitione, validas dæmonum acies ſola profligavit, adeò ut æterna illis infamia, ac dedecus, omnî pœnâ ſenſibilî gravius inhæreat, ab unâ fœminâ, MARIA, Cœleſtî Artemiſiâ, fuiſſe devictos, quæ proinde, in gloriosâ ſuâ Aſſumptione, univerſo Angelorum, Patriarcharum, ac Prophetarum exercitu applaudente, à Xerxe Divino publicè coronata, ac Cœlorum Regina inaugurata eſt.

### §. 7. *Anagramma.*

NItIDa RegIna, sIne MaCVLâ orIgInaLI. 168.

*Nitida Regina, et ô ſummè pura à maculâ!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XXV.

### §. I. *Scriptura.*

169. In soLo VeLLere Lanæ MarIanæ ros DeprehensVs.

Judic. c. 6. v. 37. *Ponam hoc Vellus lanæ in areâ, ſi Ros in ſolo Vellere fuerit, &c.*

Cùm fortiſſimus Gedeon ſignum aliquando à Domino peteret: *Ponam*, ait, *hoc Vellus lanæ in areâ, ſi Ros in ſolo Vellere fuerit, & in omnî terrâ ſiccitas, &c.* precibus minimè
v. 38. fruſtratis, *de nocte conſurgens, expreſſo Vellere, concham rore implevit.* Petijt quo-
v. 39, & 40. que ſecundò ſignum in Vellere: *Oro* inquiens, *ut ſolum Vellus ſiccum ſit, & omnis terra madens, fecitque Dominus nocte illâ, ut poſtulaverat, & fuit ſiccitas in ſolo Vellere, & ros omnî terrâ.*

Vellus Gedeonis non immeritò Virginem Beatiſſimam dixerim, ſic enim Regius quondam Propheta David, Verbi incarnationem prænuntians di-
Pſal. 71. v. 6. cebat: *Deſcendet, ſicut pluvia, in vellus.* Verbum enim Divinum fuiſſe hanc pluviam, ejusque Sanctiſſimam Matrem hoc Vellus, nemini dubium eſt, & communî Patrum calculo comprobatur. Sic enim, inter alios, Proclus Conſtantinopolitanus MARIAM inti-
Hom. de Nativ. tulat: *Hæc Vellus mundiſſimum, Cœleſtî pluviâ madens, ex qua paſtor ovem induit.* Iſta ergo, Beatiſſima nimirùm Virgo MARIA, tanquam puriſſimum vellus, ac lana prorſus munda, omnî reliquâ terrâ, ob deperditam primam innocentiam, ac gratiam omninò exſiccatâ, ſola perennîs gratiæ rore præventa, ac feliciter impleta fuit, teſtante idipſum Archangelo, eam indubitanter *gratiâ plenam* ſalutante: Reluxit nimirùm in MARIA (ut verbis Eccleſiaſtici utar) *ſpecioſa miſericordia DEI, in tem-* Eccli. 35. v. 26.
*pore tribulationis, quaſi nubes pluviæ, in tempore ſiccitatis.* Omnî autem terrâ non jam rore, ſed lachrymis, ob turpe crimen incautè commiſſum madente, illa ſola ſicca manſit, & ſerena, quia ſola peccati neſcia. Verùm enimverò non exiguum hìc mihi occurrit dubium, cur nimirùm Regius ille Vates, cùm de Incarnatione æterni Verbi ſermonem inſtitueret, dicens: *Deſcendet ſicut pluvia in vellus, &c.* Sanctiſſimam Verbi genitricem Velleris nomine appellare voluerit? ſed ecce nodum jam ſolutum à S. Amadæo, ſic differente: *Vellus, cùm ſit de carne, excreſcit extra car-* Hom. 3.
*nem, & carnis paſſiones ignorat.* Ac ſi diceret: Vellus ab ariete, vel ove ducit quidem originem, nec aries tamen, nec ovis eſt, ſed vellus, hoc eſt, alterius naturæ: carnem ut matrem agno-



ſcit,

ſcit, attamen carnis paſſiones ignorat, in quo non parva relucet Velleris excellentia, nempe quòd, tametſi à bruto ſuam ducat originem, ſit tamen absque omnî brutalitatis contagio. Optimè proinde MARIAM Velleri confert Propheta Regius, dum de eâ, Divinum Verbum Sacratiſſimis ſuis viſceribus recludente, ſermonem inſtituit, ut nimirùm in die Incarnationis, Maternæ conceptionis puritatem redigat in memoriam, quod non meliùs, quàm ipſo velleris exemplo, fieri poterat; nam ſicut vellus, cùm ſit de carne, excreſcit extra carnem, & carnis paſſiones ignorat: ita DEI genitrix, quæ tanquam pulcherrimum, & candidiſſimum vellus DEUM ipſum corporavit, & in quam pluvia illa fœcunda Verbi deſcendit, quamvìs ab Adam, & tot progenitoribus, lachrymabilî culpâ infectis ducat originem, ita longè à culpâ extitit, ac ſi ab illis non deſcenderet, vel ac ſi alterius eſſet naturæ. Ex quo patet, Regium Pſaltem, impoſito MARIÆ myſterioſo Velleris nomine, puriſſimam ejus Conceptionem, venerabundo ore, deprædicâſſe. Venite modò, qui rorem omnem gratiæ, veſtris jamjam ſceleribus, pluriès perdidiſtis, ac in bono de die in diem deficientes, animas geritis vix non penitùs exſiccatas, Vellus Marianum puriſſimum, rore gratiæ undequaque repletum, humilî devotione accedite, ac copioſis veræ contritionis lachrymis madentes, præpotens Virginis auxilium implorate; *deſcendet* enimverò, eâ impetrante, de novo gratia Divina in animas veſtras, *ſicut pluvia in Vellus, &c.*

### §. 2. *Authoritas.*

170. ConCeptIo sIne oMnI peCCato, à ConCILIo basILeensI ſtatVta.

*Nos diligenter inſpectis auctoritatibus, & rationibus, alijsq; plurimis ſuper hâc re viſis, & maturâ conſideratione penſatis, doctrinã illã, aſſerentem Glorioſam Virginem DEI genitricem MARIAM, præveniente & operante Divini Numinis gratiâ ſingularî, nunquam actualiter ſubiacuiſſe originali peccato, ſed immunem ſemper fuiſſe, ab omnî originalî, & actualî culpâ, ſanctamq; & immaculatam, tanquam piam, & conſonam cultui Eccleſiaſtico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & S. Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore definimus, & declaramus, nulliq; decreto licitam eſſe in contrarium prædicare & docere.* Seſſ. 36.

### §. 3. *Ratio.*

ChrIſtI orIgo eſt aDeò perfeCta, Vt orIgo prIMI parentIs. 171.

IPſa ratio naturalis dictat, originem Chriſti debere eſſe tantæ perfectionis, quantæ fuit origo primi Parentis: Sed ſi Beata Virgo concepta fuiſſet in peccato originalî, non ampliùs eſſet tantæ perfectionis. Ergo, &c. Min. Prob. Quò quis habet perfectius principium, eò etiam perfectiorem quis habet originem, ſed admiſſo ſemel, quòd Beata Virgo contraxerit peccatum originale, Chriſtus habuiſſet imperfectius principium Adamo. Ergo. Min. Prob. Quò quis habet principium remotius à maculâ, eò etiam habet perfectius, ſed ſi B. Virgo contraxiſſet peccatum originale, Chriſtus ab eâ proceſſiſſet, ut à principio maculato, & immundo à peccato, cùm interim Adamus proceſſerit è terrâ, nullo adhuc peccato infectâ. Ergo ſi B. Virgo contraxiſſet peccatum originale, Chriſti origo non fuiſſet adeò perfecta, ut origo primi Parentis.

### §. 4. *Hiſtoria.*

LIngVa ConCIonatorIs, ConCeptæ DeIparæ ContraDICentIs, LIgata. 172.

DUm contra pijſſimam opinionẽ, aſſerentem, Beatiſſimam Virginem fuiſſe ſine omnî prorſus maculâ, præſervante Numine, conceptam, Religioſus quidam Concionator, in publico ad populum Sermone, proteſtari auſus fuiſſet, multisque rationibus evincere contrarium conaretur, in vanum laboravit; nil enim aliud effecit, quàm

quòd

quòd, ulciſcente dilectiſſimæ ſuæ Matris injuriam Numine, in medio Sermonis, retrorsùm corruens, ita in omnium conſpectu mutus evaſerit, ut nec verbum ulteriùs proferre valens, beneficium, ac uſum linguæ, quem tamen adeò, pro munere ſuo proſequendo, neceſſarium habebat, quoad vixit, nunquam ampliùs obtinuerit. Sic nimirùm, *per quæ quis peccat, per hæc & punitur.* Sic prætereà verũ exiſtit illud Poëtæ:

*Verba docent, exempla movent, &c.*

Verbis enimverò compluribus docebantur Auditores, ac inducebantur ad amplectendam paulatim Concionatoris, Conceptæ ſine labe Deiparæ contradicentis, ſententiam; attamen exemplo terribilî, verbis omnibus fortiorî, ligatæ nimirùm linguæ, quod ſuo damno, volens nolens perhibuit, ad ſaniorem omnes, de immaculatâ Virginis Conceptione, mentem permoti ſunt. *Bernardin. de Buſti. Serm. 7. de Concept.*

## §. 5. *Symbolum.*

173. oVIs teneLLa, VnICo raMo
trahenDa.




Oſtendit ramum viridem vix pauper amatæ
Paſtor ovi, ſequitur protinùs: ille trahit.
Vix concepta Crucis virgam puriſſima Virgo
Prævidet; en! ſequitur protinùs; illa trahit.

*Ego quaſi agnus manſuetus.* Jerem. c. 11. v. 19.

## §. 6. *Antiquitas.*

AſsIs ConDonatIo, sIgnVM 174.
nobILIs HIſpaLensIs.

Inter alia nobiliſſimæ Hiſpalensîs Urbis memoranda, notabile refertur illud, quòd nullo prorsùs incolæ ſubijciantur tributo, idque ab immemoriali jam tempore; Ut ergò à plebeijs, aliâ quadam ratione, diſcernerentur Nobiles, id unum ſtatim ab initio fuiſſe ſtatutum, ut ab extraordinariâ quoque rerum venalium exactione illi eximerentur; ſciendum enim, pro quavis carnium librâ, ſuper ſtatutum aliàs pretium, aſſem perſolvi oportuiſſe, communi populi ærario decretum. Ad hunc ergo aſſem Nobiles Hiſpalenſes minimè tenebantur, ſed quotiès taxatum pro librâ pretium ſolvebat famulus, remittebatur Domino hujusmodi As, nec communitatis cedebat miniſterio. Hìc enarrare non ſufficio ſingularem horum Nobilium, circà hujusmodi Aſſem, diligentiam: Omnes certè fortunas amitterent potiùs, quàm Aſſem iſtum, eò quòd iſtius condonatio ſit unicum Nobilitatis ſuæ ſignum, unica prærogativa, unica clarioris ſanguinis evidens probatio.

Tantané ergò hominum cura pro minuto æris, præcisè ex hoc, quod clarum illud ſuæ nobilitatis ſit argumentum? & negligat DEUS minutum punctum Conceptionis Matris ſuæ, à quo non probatio tantùm Nobilitatis, ſed ipſamet dependet Nobilitas, totaque ad tributi hujus condonationem refertur immunitas? quid enim originale aliud dixeris, quàm plebejam quandam hujusmodi Aſſis, in cõmune vectigal, contributionem? etenim anima noſtra, in ipſo conceptionis inſtantî, carnem carè emit, non quidem in macello, ſed matris in utero. Cara certè caro! cùm ſit animæ ipſi moleſtiſſima, faciensque eam multarum ſubjectum ærumnarum. Sed ante omnia, unum ſolvit Anima minutum, unum As, in propria Urbis ap-

plicatum, quo fit peccati tributaria. Heu! quàm pravi exinde in Animam affectus! quàm turpia verba! quàm perverſa opera, ex puncto illo unico derivantia, quo anima creata carnem accipit! &c. & hæc ſunt omnium propria populorum, propria multitudinis, propria hominum. Quæ cùm ita ſe habeant, Beatiſſimam Virginem, verè præ reliquis Nobilem, quia Numinis ipſius Matrem, tale penſum minimè perſolviſſe, & ab effectu conſtat, & à causâ; ab hac quidem, quoniam DEI Genitricem communi plebis ſubijci tributo, neutiquam decebat, nec tam fœdum in eâ omnîs turpitudinis radicari plantarium; ab effectu item, quoniam indigni iſti communitatis affectus, & effectus, ex peccato illo promanantes, nullum in MARIA locum habuerunt; nec eſt, qui non abhorreat, ſimilem affectum, aut effectum in MARIA concedere. Fuit itaque DEO majori curæ, integer Matris honos, ne puncto uno (nè pro aſſe quidem) ſubderetur peccati tributo, quàm Nobili cuique Hiſpalenſi proprius honor, in cavendâ Aſſis ſolutione.

### §. 7. *Anagramma.*

Vera prIMogenIta absqVe ADæ peCCato. 175.

*Vera primogenita, Tu ſine maculâ Adam!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS XXVI.

### §. I. *Scriptura.*

176. A FœMInâ, DEI genItrICe, hoſtIs fortIter InterfeCtVs.

Judic. c. 9. v. 54. *Percute me, ne fortè dicatur, quòd à fœminâ interfectus ſim.*

Abimelech, ſpurius ille Gedeonis filius, cùm ſeptuaginta Fratres, inauditâ prorsùs crudelitate, ac fœdo parricidio de medio ſuſtuliſſet, inimicos prætereà ſuos jam undique bello profligâſſet, in tres tandem turmas univerſum exercitum ſuum diſtribuens, Turrim Sichem, locum arte, ac naturâ munitiſſimum, ad quem viri ſimul, ac mulieres, velut ad aſylum commune confugerant, dirâ obſidione premendo, in extremas redegit anguſtias; cùm verò propriùs acceſſiſſet, nil periculi ſuſpicatùs, à muliere quadam, ingens è ſummo pinnaculo ſaxum jaciente contritus, miſerè occubuit, referente hoc ipſum Sacro Textu, his verbis: *Et ecce! una* v. 53.
*mulier fragmen molæ deſuper jaciens, illiſit capiti Abimelech, & confregit cerebrum ejus, qui vocavit citò armigerum ſuum, & ait ad eum: Evagina gladium tuum, & percute me, ne fortè dicatur, quòd à fœminâ interfectus ſim.*

Liceat mihi, obſcurum hoc Ænigma in honorem puriſſimæ DEI parentis clariùs exponere. Abimelech ſpurius ille, & illegitimo natus toro, Sathanæ figuram referebat, qui poſt univerſale tot millium Angelorum, qui fratres illius naturales, ac germani fuerant, excidium, & diram pariter hominum, inimicorum ſuorum, è Paradiſo profligationem, cùm peccatorum omnium, ac ſcelerum agmen, trifariam, in originale ſcilicet, mortale, & veniale diviſiſſet, tandem obſidens non jam Turrim Sichimorum, ſed *Turrim* illam *Davidicam*, Arcem in-

inexpugnabilem, & quam omnes adeò mortales in aſylum ſelegerant, dum oppugnationem ſuam funeſtam adoritur, inque primo Conceptionis Marianæ inſtantî, ad eam propiùs accedere, nullo ſubodorato periculo, attentat : *Ecce! una mulier*, illa ipſa nimirùm, *benedicta in mulieribus*, Virgo beatiſſima, velut bellicoſa Heroina, infernalîs hoſtîs capiti fatale vulnus illiſit, *& confregit cerebrum ejus*, jugiter adimplens illud Divini Numinis in Paradiſo effatum :

Geneſ. 3. v. 15.

*Inimicitias ponam inter te, & mulierem: ipſa conteret caput tuum.* Verùm, & hic infernalis Abimelech vocavit armigerum ſuum, Lutherum intelligo, pluresque alios Marianæ innocentiæ hoſtes, qui omninò contradicunt, minimeque volunt admittere notandum illud in Sacro Textu vocabulum *Ipſa* : unicam eradentes litteram, aliamque ſubſtituentes, dicendo : *Ipſe conteret caput tuum,* non aliam certe ob cauſam, niſi ob iſtam: *Ne fortè dicatur, quod à fœminâ interfectus ſit*, qui loquendi modus tam dæmonem, quàm ejus armigeros, ſummoperè affligit; Verùm, ſicut vocabulum : *Ipſa*, in noſtrâ ſaltem Vulgatâ expreſſum haberi, nemo jure contradixerit, ita ex mille quoque rationibus concedendum, Primò, MARIAM pro ſuâ perſonâ, in primo ſtatim Conceptionis inſtantî, DEO præſervante, hoſtem de tot Victorijs ſuperbum profligâſſe : Secundò, pro alijs quoque in originale prolapſis, mediante ſaltem Chriſto, ex ipsâ progenito, dæmonem debellâſſe, prædamque ditiſſimam Lucifero eripuiſſe. Hinc vitio mihi minimè vertendum erit, ſi Propheticis uſus verbis, MARIAM ſic alloquar :

Iſaiæ. 51. v. 9.

*Nunquid non Tu percuſſiſti ſuperbum, vulneraſti Draconem?* nunquid non tu feliciſſima es illa fœmina, per quam devicta jacet venenoſi ſerpentis aſtutia? omninò. Moveat in contrarium, quidquid velit, adverſariorum invidia, omnem moveat diabolus lapidem, *ne fortè dicatur, quòd à fœmina fuerit interfectus*, oleum perdet & operam, hanc maculam ſibi ab immaculatâ aſperſam minimè delebit, ſemper ſuppreſſa manebit tam dæmonis, quàm armigerorum ſuorum in MARIAM audacia, illudque eveniet in eâ, quod Michæas quondam Propheta prædixit : *Exaltabitur manus tua ſuper hoſtes tuos, & omnes inimici tui interibunt.*

c. 5. v. 9.

Tu autem, Virgo Beatiſſima! quæ à S. Germano *Interemptrix maledictionis*, à D. Laurentio Juſtiniano *Interemptrix peccati*, à Divo tandem Hieronymo, & Ruperto *Interemptrix unica univerſæ hæreticæ pravitatis* diceris, quæ hoſtem tartareum glorioſiſſimè interfeciſti, atque in capite tuæ Conceptionis puriſſima, capiti infernalîs Abimelech immedicabile vulnus illiſiſti, effice, ut & nos frequenti hoſtium infernalium inſultui jugiter reſiſtere, armiſque Maternæ tuæ protectionis inſtructi, dignam de tantis adverſarijs victoriam, applaudente Cœlo, reportare valeamus.

In Marial. frag. 4. Lib. de caſt. connub. Serm. de aſſump. L. 1. comment. in cant.

## §. 2. *Authoritas.*

DeIpara sIne VLLâ Labe ConCepta, à ConCILIo EpheſIno InDICata. 177.

*Sacra Deipara MARIA in unum nos coegit: Hæc impollutus, & purus ille impollutæ Virginitatis theſaurus, decuſque, & ornamentum: hæc ſpiritualis ſecundi Adami paradiſus: hæc reconciliationis ſalutaris panegyris* In actib. Concil. Ephes. Tom. 6. c. 7.

## §. 3. *Ratio.*

DEI eXCeLLentIa, à Matre. 178.

QUod ſecundum ſe affert excellentiam DEO, & ponit convenientiam in ejus Matre, nec repugnat Redemptioni totius humanæ naturæ, id omninò aſſerendum eſt. Sed Matrem fuiſſe præſervatam ab

omnî labe peccati , affert DEO excellentiam , & ponit in ejus Matre ſummam convenientiam , &c. Ergo omninò aſſerendum eſt , Matrem Chriſti fuiſſe præſervatam ab omnî labe peccati. min. Prob. Quia omninò eſt excellentia in Filio , & convenientia in Matre , ſi hæc habeat ſpeciales prærogativas , ſed maxima prærogativa eſt, eſſe conceptam ſine labe peccati. Ergo &c. Probatur etiam, quod non repugnet Redemptioni. Si enim repugnaret, ex eo repugnaret, quia Beata Virgo non amplius eſſet objectum redemptionis, & conſequenter , quòd non fuiſſet redempta à Chriſto , quod eſt contra S. Paulum aſſerentem , Chriſtum eſſe Redemptorem univerſalem omnium hominum. Sed Beata Virgo fuiſſet adhuc propriè redempta. Ergo &c. Prob. min. Etiamſi Beata Virgo non contraxerit actu peccatum originale, adhuc dicitur redempta, vel redemptione reparativâ , vel præſervativâ ; ſi enim ſupponatur , voluntatem B. Virginis fuiſſe transfuſam in voluntatem Adami , verè peccavit in Adamo, ergo redempta fuit reparatione reparativâ. Si verò ſupponatur , eam non fuiſſe transfuſam, ſed transfundendam, ſi à DEO non fuiſſet præſervata , redempta fuiſſet redemptione præſervativâ , quia teſte S. Auguſt. *ſuper Pſal. 85.* ſive Medicus per medicinas præſervaverit, ſive actu liberaverit aliquem à morbo , ſemper dicitur liberaſſe,& redimiſſe : quod idem hìc dicendum eſt.

## §. 4. *Hiſtoria.*

### 179. TentantI affIngere LabeM VIrgInI DeIparæ, non LICet.

DIes illuxerat, quâ Lector quidam Mantuanus, demonſtraturus pro viribus, MARIAM, aliorum inſtar, in originalî labe conceptam fuiſſe, publicam inire diſputationem ſtatuerat, vel potiùs diſputationis locò , ſuam perorando opinionem declarare præſumpſerat. Decorabat Actum ipſa Sereniſſimi Ducis præſentia : populus , velut ad novum quoddam ſpectaculum, frequens accurrebat : comparuêre etiam ad id invitati Doctores plurimi, viri per omnia graviſſimi , ac eruditiſſimi. Tum ille eminentiorem, ut aſſolet, locum conſcendens, multos ſecum portabat Libros, quorum authoritate ſuam roborare ſententiam cogitabat. Verùm audite, & obſtupeſcite miram mutationem dexteræ Excelſi ! Hoc enim erat inexſpectatum Sermonis initium : *Propono vobis, Auditores! iſtam veram concluſionem , quòd Beata Virgo Concepta fuerit, ſine originalî.* Non obſervabat quidem ille , quòd ſibi ipſi contrarium loqueretur , puriſſimâ DEI genitrice verba in ore ejus invertente ; Hinc riſus multorum , ſuisque ab aſſeclis , quòd malè loqueretur, non modica redargutio. Emendaturus ergo propoſitionem ſuam, eandem prorsùs concluſionem volens, nolens , denuò proponit , haud dubiè à Divino coactus Numine, ut originalem annunciaret publicè Matris innocentiam. Hic iteratus aſſidentium riſus , ac admiratio. Quo verò pluriès contrarium dicere Lector attentabat, aliud non potuit proferre , niſi hoc : *Propono vobis iſtam veram concluſionem, quòd Beata Virgo concepta fuerit, ſine originalî.* Sic nemine oppugnante, per ſemetipſum convictus , ſatis cognovit , id virtute ſupernaturalî accidiſſe , ac tentanti ſibi , affingere labem Virgini Deiparæ, minimè licuiſſe. *Bernardin. de Buſti Serm. 7. de Concept.*

§. 5.

### §. 5. *Symbolum.*

180. Leones InfernaLes, DeIparæ CantVM paVentes.




Virginis ad Cantum, fugiuntque, paventque Leones:
Ut Sctiptis retulit Plinius ipſe ſuis.
Hinc Leo tartareus pariter fugit, atque paveſcit
Conceptâ cantum Virgine dante ſuum.

*Concluſit ora Leonum, & non nocuerunt mihi, quia coram eo juſtitia inventa eſt in me.* Dan. c. 6, v. 20.

### §. 6. *Antiquitas.*

181. MarVLLa, TVrCas ab ArCe CoCCInâ fortIter repeLLens.

IRruente in Inſulam Metelinam, acerrimo Chriſtiani Nominis oſore Turcâ, Arcemque Coccinam graviſſimâ obſidione premente, quò Urbem citiùs diriperet, moræ impatiens, dato ſigno, magno in portas impetu irruebat, quas etiam cùm ſubvertiſſet, vir quidam grandævus, de Republicâ Venetâ optimè jam pridem meritus, illic occubuit, Patriæ ſuæ ipſam etiam vitam generoſiſſimè conſecrans. Concurrere quidem cives, ulturi deplorandam chariſſimi contribulis necem; ſed perperàm, nam & illi eodem ferro, & fato abrepti. Turcis intereà paſſim irrumpentibus, puella advolat Virgo, adultioris licèt ætatis, Marulla nomine, defuncti Herois filia. Hæc generoſo prorſus auſu, Parentis chariſſimi Manes ultura, ac ipſiſſimis ejusdem armis, recentî adhuc cruore madidis ſtipata, adeò ſe fortiter ſola defendit, ut plurimo Turcarum ſanguine, Patri ſuo piè parentans, paventibus cæteris inimicorum cuneis, inque fugam ſe convertentibus, Urbem, & Patriam, victricî manu, una liberaverit. Quæ proinde, præter univerſalem totius populi applauſum, à generalî Venetæ Claſsîs Præfecto, amplis exornata donarijs, optionem tulit Nobilium omnium, ſi cui ex iſtis legitimo matrimonio jungi vellet. *Petrus Juſtin. in Hiſt. Venet. ſub Annum 1475. & Jo. Bapt. Fulgoſus.*

Porrò, quid Marulla hæc, reſpectu MARIÆ, puriſſimæ DEI Genitricis? quæ non adulta modò, ſed necdum nata, Parentum ſuorum extinctorum armis, id eſt, eâdem, quâ illi naturâ, in eâdem portâ Conceptionis, ſeu primo ad vitam introitu, dæmones omnes adeò confudit, compeſcuit, ac profligavit, ut in promeritum tam ſingularîs Victoriæ præmium, ſponſum acceperit ipſum Spiritum Sanctum, in dotem autem virtutes omnes, atque dona, ejusdem Sponſi ſui, Divini Spiritûs obtinuerit.

### §. 7. *Anagramma.*

Magna CœLI IanVa, absqVe ADæ Labe. 182.

*Summa, et pura Mater, digna Coeli janua!*

Verſio litteralis

*Ave Maria gratiâ plena, Dominus tecum.*

De

# De Conceptâ Sacrá Deiparâ.

## CONCEPTUS XXVII.

### §. I. *Scriptura.*

183. Ab IMpVrIs orCI CIbIs abſtInens DeIpara.

Judic. c. 13. v. 4. *Nec immundum quidquam comedas, quia concipies, & paries Filium, &c.*

SUbmiſſus ex aulâ Cœleſti nuntius, Angelus Domini, ad dilectam Numini fœminam, Uxorem Manue, hæc inter alia monuit: *Nec immundum quidquam comedas*, ſtatim rationem ſubjungens: *quia concipies, &*
v. 5. & ſeq. *paries Filium* (Samſonem) *cujus non tanget caput novacula; erit enim Nazaræus DEI, ab infantiâ ſuâ, & ex Matris utero, & ipſe incipiet liberare Iſrael de manu Philiſthinorum.*

Porrò in Samſone illo omninò præfiguratum fuiſſe Chriſtum, æterni Patris Filium, nemo eſt, qui dubitet; quemadmodùm enim Samſonis Nativitas per ea Angeli verba Matri fuit annuntiata: *Quia concipies, & paries filium*, ſic à Gabriële quoque Arch-Angelo, ijsdem prorſus verbis, Virgini MARIÆ annuntiata fuit Divini ſui Filij felix, ac myſterioſa Nativitas:
Luc. 1. v. 31. *Ecce concipies in utero, & paries Filium.* Quemadmodùm Samſon ille *Nazaræus DEI, ab infantiâ ſuâ, & ex Matris utero*, eſt nuncupatus, ſic Virginis Filius ab infantiâ *JESUS* audijt, & quidem *Nazarenus.* Quemadmodùm Samſon ille erat incepturus *liberare Iſraël, de manu Philiſthinorum*, ſic unigenitus DEI Filius, aſſumptâ mortalî carne, humanum genus de manu infernalium poteſtatum erepturus; quid enim aliud Angelus Domini Joſepho inſinuare voluit? quando dixit: *Pariet*
Math. c. 1. v. 21. *autem* (MARIA) *Filium, & vocabis Nomen ejus JESUM*, expreſsè adjungens: *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum, à peccatis eorum.* Si ergo ad tanti Filij, Samſonis ſcilicèt, Nativitatem Matri antehac ſterili, omninò opus erat, ne immundum quidquam comederet, Numine id ſpecialiter per Angelum præmonente: omninò credendum, MARIÆ, Divinam in Matrem jam ab æterno deſtinatæ, longè magìs neceſſarium fuiſſe, ne unquam comederet, aut conſentiret in guſtationem, de vetito ligni fructu, vel ideò immundo, quia à DEO ſpecialiter prohibito, cujus unico guſtato bolo, totus mundus evaſit immundus, non niſi Sacratiſſimo Chriſti Sanguine, ex infinitâ Creatoris miſericordiâ, denuò purificandus. Et ſanè, quanta mala hæc unica impuri cibi, pomi nimirùm prohibiti perguſtatio, in hominem transfuderit? quot toxica à fructu, nè quidem dimidio, in Orbem univerſum proceſſerint? nemo eſt, qui neſciat; profluxit enim in humanam naturam diluvium integrum omnium malorum: gratiæ, in qua conditus fuerat homo, virtutes, ad unicum palati lenocinium, quâ datâ portâ ruerunt, inersque evaſit, & inanis Adam, totaque poſteritas, uſque ad præcordia, corroſâ fortitudine, arente Amne, nec aliud remanſit, niſi paſſiones & concupiſcentiæ, inclinatio prona in malum, illecebræ ad quaslibet prohibitas voluptates. An non induxit impurus hic orci cibus horrorem, neſcio quem, omnîs boni, atque honeſti? flagrantiam, & amorem rerum caducarum? debilitatem veræ libertatis? ut quod velit bonum homo, idipſum nolit? an non præſcripſit cibus hic malè guſtatus leges, rectæ rationi prorſus contrarias? an non enervavit adeò vires animæ, ut lan-

languida potentia vix malis queat reſiſtere? an non graviter ſauciavit liberũ arbitrium, ut nec velit, nec poſſit bonum agere per ſe, niſi gratiâ Mediatoris adjutum? verbo, quidquid eſt malorum in homine, unũ invexit cibi illius ideò impuri, quia prohibiti, iṁane malũ; in hoc enim cibo, peſſimè, ac contra præceptum attentato, omnes effectus, & operatiões ſupremi mali, tanquam in ſemine radicato perſiſtunt. Verùm, ob hanc ipſam rationem, ab impuris his orci cibis, à lethifero hoc ligni fructu, ſola abſtinere voluit Deipara, Numine ſpecialiter præſervante, ut Doctores plurimi, ijque celeberrimi, ſuo loco citati, unanimiter comprobant, cui proinde nullo inſtantî, hæc Protoparentũ hæreditaria prævaricatio imputari poterat; utpote, in qua eodem, quo priùs, impetu ſcaturire incipiebant novæ gratioſorum fontium venæ, concitoque ad ipſam gradu, colliſis undis, ab Evâ lancinatæ, grandiori pelago, virtutes & gratiæ profluxêre. Et meritò; decebat enim eam ſic præmiari, quæ tam ſollicitè Machabæos quondam illos eſt ſecuta, qui, teſte Scripturâ, *definierunt apud ſe, ut non manducarent immunda, & elegerunt magìs mori, quàm cibis coinquinari immundis.* (L. 1. Machab. c. 1. v. 65.) Definiamus & nos, non cogitare, loqui aut operari immunda, eligamus magìs mori, quàm impuris orci cibis, peccaminoſis actibus coinquinari, ut cum Virgine Beatiſſimâ, Cœleſtî quondam cibo, puriſſimo DEI conſpectu refici, ac ſatiari mereamur.

## §. 2. *Authoritas.*

184. Sentiente ConCILIo Lateranenſi, MarIa VIrgo sIne peCCato ConCepta.

*Siquis ſecundùm Sanctos Patres non confitetur, propriè, & ſecundùm veritatem, Dei Genitricem Sanctam, ſemper Virginem, & iṁaculatam Mariam, damnatus ſit.* Sic Conciliũ Lateran. ſub Martino V. Can. 3.

## §. 3. *Ratio.*

185. FILIVs DeI sIne Labe In Carne, Ergò parIter MarIa.

Juxta Auctoritatem S. Auguſtini, Serm. 43. de Nativ. Dom. *In Cœlo qualis eſt Pater, talis eſt Filius, ſic & in terrâ, qualis eſt Mater ſecundùm carnem, talis ſecundùm carnem eſt Filius: In Cœlo cum Patre æternus, immenſus, incorruptus, & ſublimis: In terrâ cum Matre immaculatus & manſuetus.* In quo textu S. Auguſtinus vult, quòd Beata Virgo cum Chriſto, ſecundùm carnem, in ratione *Immaculati* omninò conveniat, ſicut convenit in Cœlo cum Patre Filius in ratione *Iṁenſi, Æterni, &c.* Atqui Chriſtus Dominus ſecundùm carnem non tantùm erat immaculatus ab omnî labe peccati, toto vitæ ſuæ decurſu, verùm etiam in primo inſtantî Conceptionis. Ergò, ut conveniat cum Beatâ Virgine, hæc non tantùm debuit eſſe ſine labe peccati, toto vitæ ſuæ tempore, verùm etiam in primo inſtanti Conceptionis. Confirmat id Sanctus Doctor, in eodem Sermone dicens: *Sicut in Cœlo Chriſtus habuit Patrem immortalem, & æternum, ſic & in terrâ habuit Matrem omni corruptione carentem.* Atqui Patrem in Cœlo habuit in omni inſtantî æternitatis immortalem, & æternum, Ergò etiam in terrâ, juxta S. Patrem, Matrem habuit in omni inſtantî vitæ ſuæ, omni corruptione carentem, id eſt, corruptione cujuscunque peccati.

## §. 4. *Hiſtoria.*


Ioannes BerCkMann, ConCeptIonIs ILLIbatæ ſpeCIaLIs CVLtor. 186.

P. Joannes Berckmann, Sacerdos, ex Societate JEſu, præſtantiſſimus, circa Annum Milleſimum, Sexcenteſimum, Trigeſimum, ſingularî, ergà Beatiſſimam DEI genitricem, affectione celeberrimus fuit, quã in eo vel maximè patefecit, quòd omnibus diebus Sabbathinis, ac MARIÆ pervigilijs jejunans, Pſalterium Beatæ Virginis, item duodecim *Ave Maria*, in memoriam 12. ſtellarum, caput ejus coronantium, manè quoque, & veſperi ſingulare *Ave Maria*, in honorem immaculatæ Ejus Conceptionis quotidiè, ſummâ devotione perſolverit, voto præ-

tereà ſe obſtrinxerit,non tantùm illam iñaculatam tamdiù defenſurum, quouſque ab Eccleſiâ aliud ſtatueretur ( quod votum chartæ inſcriptum, ſanguine proprio ſubſcripſit) verùm etiam primum,quem ſcripturus eſſet,Librum de hac ipsâ materiâ tractaturum. Non ergo mirum,quòd ob ſingularem hanc, in puriſſimam Virginem,devotionem, tantâ promeruerit gratiam, ut per totum vitæ ſuæ decurſum, non ab omnî ſolùm impurâ cogitatione, verùm etiam ab omnî corporis commotione, ac ſtimulo carnali, liber permanſerit · ut meritò Bellarminus, deſuper totus admirabundus exclamet : *Magnum certè privilegium, & ſingularem gratiam, per immaculatam Virginem obtentam, quòd Angelus iſte nec ullum inhoneſtum pruritum, ab Adamo hæreditatum, ſenſerit!* Calendar. Virg. *ad diem 13. Auguſt.* Paulus de Barri, *in Anno Sancto.*

## §. 5. *Symbolum.*

187. CIConIa, AngVeM DeVorans.




Arrepto gaudet Serpente Ciconia, Veris
Nuntia, moxque epulas devorat haſcé ſuas.
Contrito gaudet Serpente MARIA, ſalutis
Nuntia, ſic epulas docta parate ſuas.

*Omnis Sapientia eorum devorata eſt.* Pſal.106.v.27

## §. 6. *Antiquitas.*

MaLogranata, haVD præſtantIa VeCtIgaL. 188.

QUatumvìs ab immemorialî jam tempore, ſpecialî lege ſancitum in Siciliâ maneat, ut omnes, qui fructus quoscunque in Regionis illius Civitates invehunt, certum exindè vectigal Regio Magiſtratui præſtent, ſola tamen Malogranata,ab hac Lege ſemper habebantur exempta, ac privilegiata, ut facilè mihi perſuaſum habeam, ſpecialem hìc reſpectum ad Regiam Majeſtatem teneri, eò quòd hæc poma, ſuo in vertice, à matre Naturâ decorata conſpiciantur, elegantibus Coronis; Hinc eſt, quòd redimiti hi fructus, Urbes ingrediantur, velutì totidem Reges, & Reginæ, communi Patriæ Legi, de ſolvendo ex fructibus vectigali, minimè ſubjecti.

Quid, quæſo, accomodatius in favorem Beatiſſimæ DEI genitricis, ejusdemque immaculatæ Conceptionis dici poteſt? Sic enimverò omnes filij Adæ, dum mundum hunc per Conceptionem ingrediuntur, Servi ſunt, & vectigales peccati originalîs, hoc tributum ab omnibus eſt præſtandum,ab hac Lege neminem novi, qui eximatur, ſolâ & unicâ Numinis Genitrice exceptâ, quam velutì Auguſtiſſimam Cœli, terræque Reginam, tota Sacroſancta Trinitas præordinavit, & coronavit pulcherrimo ſerto immunitatis, ſeu exemptionis à labe peccati originalîs, quæ proinde, nec momento, ſe tributariam in imperio Sathanæ eſt profeſſa.

## §. 7. *Anagramma.*

DeIpara! tV absqVe oMnI peCCato. 189.

*Tu jure immaculata, ô magna DEI Parens!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

DE

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XXVIII.

## §. I. *Scriptura.*

190. DeIpara prorsVs pVrè ConCepta, SaMſone fortIor.

Judic. c. 14. v. 6. *Irruit autem Spiritus Domini in Samſon, & dilaceravit Leonem, quaſi hædum in fruſta decerperet.*

IMperceptibilem planè Samſonis fortitudinem quis explicare ſufficiat? deſcribitur certè illa non in uno tantùm, ſed pluribus S. Scripturæ v. 19. capitibus, ac primò quidem *dilaceravit Leonem, quaſi hædum in fruſta decerperet.* c. 15. v. 14. *Percuſſit* deinde *triginta viros. Vin-* v. 15. *cula* inſuper, *quibus ligatus erat, diſſipata ſunt, & ſoluta.* Inque unâ aſini maxillâ, interfecti ab illo mille viri. Prætereà, cùm crederetur optimè à Phi- c. 16. v. 3. liſthæis in Civitate cuſtoditus, *apprehendit ambas portæ fores, cum poſtibus ſuis, & ſerâ, impoſitaſque humeris ſuis portavit ad verticem montis.* Tandem (ut plura alia obſtupeſcendæ Fortitudinis argumenta prætercam) alligatus non unâ tantùm, ſed duabus vicibus, ſeptemplicî v. 9. & 12. fune, *rupit vincula, quaſi fila telarum.* Quòd ſi curioſiùs inveſtigare velimus, unde tanta in Samſone fortitudo? Sacrum textum audiamus, iden- c. 14. v. 6. & 19. c. 15. v. 14. tidem reſpondentem, his verbis: *Irruit ſpiritus Domini in Samſon, &c.*

Prov. 31. v. 10. Fortitudinem porrò Deiparæ prorsùs purè conceptæ quis percipiet? quis explicabit? inveniet haud dubiè Mulierem illam fortem, tam ſollicitè à Salomone inveſtigatam, quisquis invenerit Mariam. Enimverò, nonnè Mulier illa benedicta, per omnia fortior Samſone, communi noſtro adverſario diabolo, quærenti quem devoret Leoni, ſola generosè reſtitit? nonnè illa vincula originalîs culpæ, quibus à dæmone aliorum adinſtar credebatur illigata, prorsùs illibata diſſipavit? nonnè dæmonum portas, qui originariâ hac labe in animas inſidiosè irrepſerant, ſubvertit? jugiter adimplendo illud, quod Debora quondam prædixit: *Nova bella elegit Do-* Iudic. c. 5. v. 8. *minus, & portas hoſtium ipſe ſubvertit,* id eſt, DEUS, qui ante Mariam Sanctos viros aſſumpſerat, Patriarchas, & Prophetas, ad dæmonem enervandum, jam nova bellandi methodo, puellam armavit in utero, ut, Samſonis æmula, peccatum originale, quod eſt porta omnium peccatorum, everteret. Nonnè demùm illa ſeptem mortalium peccatorum funes, imò & venialium nævorum retinacula, per omnia innocens, nullo labore diſrupit? Dicere nimirùm Virgo Beatiſſima cum gentium Doctore poterat: *Omnia poſſum in* Philippenſ. c. 4. v. 13. *eo, qui me confortat,* Filio ſcilicèt Divino, carnem ex me, in qua paſſurus eſt, aſſumpturo, *portaſque æreas, & vectes ferreos* validiſſimè confracturo. Non opus ergò eſt quærere, unde tanta in tenerrimâ cæteroquin Virgine provenerit fortitudo? non enim aliunde hanc Maria obtinuit, quàm à Spiritu Domini, in illam, haud ſecùs, ac quondam in Samſonem irruente. Quemadmodùm enim in Conceptione Verbi Divini, in utero ſuo Virginalî, Spiritus Sanctus eam obumbravit, juxta illud Cœleſtis Genij: *Spiritus Sanctus ſu-* Luc. 1. v. 13. *perveniet in Te.* Sic in primo quoque Conceptionis propriæ inſtantî, in gratioſo Annæ Matris utero, Spiritus Sanctus ei aſtitit, ac ab omnî hoſtilîs fortitudinis impetu mox abinitio fortior Spiritus defendit. Jacet ergo dilaceratus à Maria, non Samſonicus ille Leo, ſed terribilis multorum capi-

 tum

tum bellua, teterrima omnium ſcelerũ hydra, peccatum originale: jacet monſtrum illud, cujus ſi formam ſpectemus, tantæ eſt fœditatis, ſi naturam, tantæ perverſitatis, ut nemini dubium eſſe poſſit, cacodæmones ſingulos ſuum contuliſſe conſilium, quo monſtrum producerent omnibus inferni ſpectris longè horribilius, quod non aliâ intentione, in mundum hunc noſtrum intruſerunt, niſi ut fœtidiſſimo, quem exhalaturum eſſet, halitu, mundum contaminaret univerſum, atque excubans ad vitæ noſtræ limina, priùs nobis venenum infunderet, quàm vitalem haurire ſpiritum liceret. Hanc autem immanem hydram, hoc monſtrum infame, *Deipara prorsùs purè concepta, Samſone fortior*, glorioſiſſimè debellavit. Utinam & nos enormia ſcelerum quorumcunque monſtra, Divinâ gratiâ confortati, Virginiſque puriſſimæ protectione adjuti, fortiter impugnemus, ut Victoriæ palmam in Cœlis obtinere valeamus!

## §. 2. *Authoritas.*

191. ConCILII ToLetanI ſententIa, fVIſſe ConCeptaM sIne peCCato.

*Solam Filij perſonam, pro liberatione generis humani, hominem verum, ſine peccato, de Sanctâ, & Immaculatâ Mariâ Virgine credimus aſſumpſiſſe.* Concil. XI. In Profeſſione Fidei.

## §. 3. *Ratio.*

192. ArChangeLVs GabrIeL, MIſsVs à Deo.

QUinam ſanæ mentis ſomniaret, Archangelum Gabrielem miſſum à DEO, imò totius Sanctiſſimæ Trinitatis legatum ad Beatiſſimam Virginem MARIAM, non veram, & ſeriam, ſed falſam, & Aulicorum blandientium more, fallacem Salutationem detuliſſe, dicendo: *Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus?* Atqui hoc conſequeretur, ſi B. Virgo in primo inſtanti ſuæ Conceptionis contraxiſſet labem peccati originalis. Ergo, &c. Min. Prob. per partes. Primò: non verificaretur *Ave*, quia *Ave* idem eſt, ac *à væ*, ſive ſine væ: Sed habere peccatum originale, eſt habere maximum væ, quia hoc excludit à gratiâ, & Regno Cœleſti, redditque hominem mancipium diaboli. Secundò. Non verificaretur *gratiâ plena*; eſſe enim gratiâ plenam, eſt includere in ſe omnem plenitudinem gratiæ. Atqui ſi MARIA habuiſſet peccatum originale, non incluſiſſet in ſe omnem plenitudinem gratiæ, quia caruiſſet gratiâ præſervationis ab omnî labe. Ergo, &c. Tertiò: non verificaretur: *Dominus tecum*, dixit enim hoc Angelus ſine limitatione, id eſt, ſine temporis præſentis, præteriti, aut futuri appoſitione, idem ergò erat dicere, ac: Dominus ſemper fuit, eſt, & erit tecum: Atqui ſi vel uno momento B. Virgo habuiſſet peccatum originale, jam acciperetur cum aliquâ limitatione, nec verificaretur de omnî præterito. Ergo. Quartò: non verificaretur: *Benedicta Tu in mulieribus.* Illa enim abſolutè benedicta dici non poteſt, quæ cum cæteris mulieribus primæ maledictioni ſubjacet. Atqui Beata Virgo, per peccatum originale, aliarum mulierum more, primæ maledictioni ſubjacuiſſet. Ergo ſi hanc labem originalis peccati MARIA contraxiſſet, Salutatio Arch-Angeli Gabrielis, miſſi à DEO, falſa, & Aulicorum blandientium more, fallax fuiſſet; quod etiam cederet in ſummam æternæ Veritatis (cujus legatum agebat Gabriel) contumeliam.

## §. 4. *Hiſtoria.*

FICtè DefVnCtI, Vera Mors. 193.

TEmpus erat, quo complures Civitatis Pariſienſis Sacerdotes Virginis Beatiſſimæ in Conceptione innocentiam non ſolùm non credebant, ſed & aliòs à pijſſimâ hac opinione dimovere, totis viribus nitebantur: unde, ut ſuam meliùs opinionem populo

lo perſuaderent, temerarium excogitârunt facinus, tot fraudibus plenum, quot exinde homines ſeducendi, & in errorem pertrahendi eſſent. Obſecrârunt nimirùm Nobilem quendam virum, eorum jam antehàc operibus communicantem, ut pro confirmandâ ipſorum ſententiâ, poſtquàm aliquo tempore infirmum ſe ſimulâſſet, poſtremò defunctum ſe fingeret, ac quaſi pro ſepulturâ, ad eorum Eccleſiam deportari ſe pateretur, tunc prætereà, quaſi ad vitam revocatus, è feretro ſeſe extolleret, cùm ad conteſtationem Mariæ, in originalî peccato conceptæ, id miraculum Sacerdos à Numine expoſceret. Præbuit Nobilis iniquiſſimis ſuggeſtionibus aſſenſum, ac poſt fictam paucorum dierum infirmitatem, magno cum apparatu, turbis comitantibus, ad Eccleſiam deportatus, in ejus medio deponebatur. Sermonem Sacerdotum illorum aliquis funebrem perorabat, cùmque ad medium dictionis perveniſſet, tunc enimverò, præſentibus innumeris verè Scholaribus, Civibus, ac diverſorum Ordinum Religioſis, ad exequias convocatis, conjurare incepit Nobilem illum, per DEI virtutem, ac potentiam, ut ſi Virginea DEI Genitrix Originalem contraxiſſet maculam, protinùs à mortuis reſurgeret, ac veritati huic teſtimonium perhiberet. Repetebat iterùm, iterumque conjurationem ſuam Sacerdos, ſed fruſtrà omnia; ceſſavit nimirùm fictio, ubi vera Mors impoſtoris animam è corpore extruſit. Admiratus ergo mirum in modum Presbyter, ac immobile prorſus cadaver perſentiſcens, ſummè confuſus intremuit. Conjux porrò defuncti, tam nefandæ fraudis minimè ignara, cùm & ipſa dolorem multis lachrymis ſimulans, maritum ad Eccleſiam comitata fuiſſet, videns ad Sacerdotis juſſa, corpus immobile, ſtatim advertit, malignam mariti ſui fictionem, deteſtante Cœlo, debitis mulctatam ſupplicijs fuiſſe; hinc ad feretrum confeſtim accurrens, mortuum reverà invenit virum, qui vivus in Eccleſiam fuerat deportatus: Eapropter magno cum ejulatu exclamans, talibus Sacerdotem convicijs impetijt. O ſceleratiſſime! occidiſti virum meum! Tu, Tu occidiſti illum! Fraude igitur per ordinem enarratâ, ſuo jam orbata conjuge, lachrymabunda receſſit, maritus vero, cum maximâ adverſariorum confuſione, contrariam intentæ falſitati veritatem, ſuâ morte, in actu exercito comprobavit. *Raynaud. Tom. 8. pag. 325.*

## §. 5. *Symbolum.*

NeC HerCVLes Contra DVos, DeIpara sIne Labe ConCepta, Contra 3. 194.




Herculis hoc robur non eſt, præſtare duobus,
Herculeo plus eſt robore: ſterno duos.
Mortalem culpam, Venialem, & originis, Alma
Mater Conceptu *Tres necat una* ſuo.

*Tres ſpecies odivit anima mea.* Eccli. c. 25. v. 3.

§. 6.

195. §. 6. *Antiquitas.*

BeatVs saMſon, DraConIs VICtor.

DUm de Samſone illo, Hebrææ fortitudinis miraculo, paulò ante Sermonem inſtituimus, alius ſeſe offert hìc loci inſerendus, non Nominis tantùm, ſed & fortitudinis hæres, Beatus nimirùm Samſon, inclytum Benedictinæ noſtræ familiæ lumen, vir Abbatialî primùm Pedo, Archi-Epiſcopalî deinde Mitrâ Dolenſîs Eccleſiæ inſignis. Hujus enim præclaræ fortitudinis argumentum vel ex eo licet colligere, quòd immanem Draconem, toti Provinciæ formidabilem, ſpectante, ac applaudente ipſo Francorum Rege, injectâ ſuâ ſtolâ, veluti manſuetam oviculam traxerit, Regnique finibus ad nutum obſequentem proſcripſerit, imò ferocientem quoque contra ſe Leonem, non manu quidem, ut Samſon ille Philiſthæorum terror, ſed ore ſolo, devotâ nimirùm precatione, præcipitem egerit, ac generosè extinxerit, qui proinde, cùm 120. vixiſſet annos, glorioſus ad Cœlos Victor migravit, id referente inter complures alios Bucelino, *in ſuo Menol.*

Dictum certè crederem de Samſone noſtro illud: *Et conculcabis Leonem, & Draconem.* Pſal. 90. v. 13. niſi compertum haberem, id de puriſſimâ DEI Genitrice intelligendum, in cujus glorioſâ Conceptione totum illud verificatum fuit, quod Pſaltes prædixerat: *Super Aſpidem, & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem.* Hæc enimverò tam hoc, quàm illo Samſone longè ſuperior, incomparabilî ſuâ Divinitùs acceptâ fortitudine, Leonem & Draconem infernalem, non uni tantùm Provinciæ, ſed toti Protoparentum poſteritati terribilem, ſpectante ipſo Regum Rege, ac Dominantium Domino, applaudente etiam totâ cœleſtî curiâ, adeò in ſuâ Conceptione reddidit impotentem, ut ad animam ſuam omnem illi ingreſſum prohibuerit, ac ferocientem glorioſiſſimè detriumphârit.

§. 7. *Anagramma.*

pVra, MVnDa à Labe, neſCIa MaLI. 196.

*Euge pura, mira, tota munda, neſcia mali!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS XXIX.

§. I. *Scriptura.*

197. SpICas CoLLIgens CœLeſtI patrI pLaCens, aC gratIaM InVenIens.

Ruth. c. 2. v. 13. *Inveni gratiam apud oculos tuos, Domine mi, &c.*

EGreſſa aliquandò in agros ſpecioſa Ruth, ad colligendas ibidem Spicas, à meſſoribus reſiduas, cùm fortè obſervaretur à Booz, agri Domino, eique per omnia placeret, plenam ab illo obtinuit non colligendi tantùm Spicas, ſed pro libitu metendi licentiam; neſcio enim, quid faſcini tam pulchritudo corporea, quàm animæ virtus ad mercandum nullo pretio amorem, & benevolentiam obtineat. Dixit ergò plena gaudio ad eam: *Inveni gratiam apud oculos tuos, Domine mi, qui conſolatus*

*es me*

v. 13. *es me, & locutus es ad cor ancillæ tuæ, quæ non ſum ſimilis unius puellarum tuarum.*

Quid porrò aliud ſpecioſa hæc Puella, quàm MARIAM denotat? Invenit gratiam Ruth apud oculos Booz, invenit gratiam MARIA apud oculos Domini, Archangelo id atteſtante, Luc. c. 1. v. 3. his verbis: *Ne timeas MARIA; inveniſti enim gratiam apud DEUM.* Sed quæris fortaſſè, quam gratiam MARIA invenerit? nec immeritò quæris; nam ſi invenit gratiam, perdidiſſe illam aliquando hoc ipſo videri poteſt, cùm ſolùm inveniatur illud, quod erat perditum. Dicemuſné ergò, MARIAM aliquando gratiam amiſiſſe? abſit. imò ex verbis Archangeli, nì fallor, prorſùs contrarium haurire poſſumus ſenſum: Non enim dixit, gratiam inveniſſe MARIAM, ſed econtrà MARIAM inveniſſe gratiam. Unde, ſi quod erat perditum, invenitur, MARIA gratiam amiſſam invenit, nempe gratiam, quam amiſimus in Adam, quæ alia non fuit, quàm gratia, & juſtitia originalis. Sicut ergo puella Ruth gratiam invenit ad colligendas à ſummo mane, uſque ad veſperum, ſpicas à metentibus derelictas, ſic MARIA, ex ſuprà adducto Angeli teſtimonio, invenit gratiam, ad conſervandam à ſummo mane, primi Conceptionis inſtantis, gratiam, ab Adamo & poſteris miſerè deperditam. Hoc pulchrè inſinuat S Albertus Magnus, Serm. 1. de Anunt. MARIAM ſic alloquens: *Inveniſti gratiam: non creaſti, ut DEUS, non rapuiſti, ut Angelus, non perdidiſti, ut Adam, non emiſti, ut Simon Magus, non abſcondiſti, ut infidelis Doctor, ſed reſtituiſti potiùs.* Ubi nota verba illa: *Non perdidiſti, ut Adam.* quæ ſi conjungantur cum illis: *Inveniſti gratiam.* haud dubiè patebit, MARIAM inveniſſe gratiam, quam nobis perdidit Adam: quæ cùm alia non ſit, quàm juſtitia & gratia originalis, MARIA, procul dubio, hac fuit ornata, ſicque ſine labe primi parentis concepta. Huc optimè convenit illud Theophanis Nicæni, MARIAM ſic Hymn. de Annunt. interpellantis: *Inveniſti gratiam apud DEUM, quam invenit nulla alia quæpiam, O immaculatiſſima! tibi gratia eſt data, O DEI genitrix! tibi omnis creatura clamat: O DEI Nympha! Tu enim ſola Mater filij præelecta es pura.* Ecce! præclarum puriſſimæ Virginis privilegium! ad cujus cor blanda, & aſtuta illa ſerpentis locutio, quæ Evam ſeduxit, nunquam pervenit, Domino identidem dulciùs, quàm Booz ad cor ancillæ Ruth, ad cor MARIÆ ancillæ ſuæ humillimæ loquente. Hinc dicere omnino poterat Virgo hæc ſingularis, & quidem meliorî jure, quàm Ruth: *Non ſum ſimilis unius puellarum tuarum, &c.* utpote quæ ob gratiam ab omnî labe præſervativam, accinente Sacro Poëtâ:

*Nec primam Similem viſa eſt, nec*
*habere ſequentem.*

Idem enim Gregorius Neocæſareenſis his verbis inſinuare videtur: *Conveni-* Serm. 1. de Anunt. *enter Sanctam MARIAM, ex omnibus generationibus, ſolam gratia elegit, nec ſimilis ei, ex omnibus generationibus, ulla unquam eſt reperta.* Huc ergò, qui gratiam non per originale tantùm, ſed & per actualia, mortalia præſertim peccata, pluriès perdidiſtis, recurrite! apud illam quærite, quæ nunquam perdidit, ſed à nobis perditam, ſola præſervata, invenit; ut ſpicas veræ pœnitentiæ, bonorumque operum maturè colligentes, immaculatæ Deiparæ interceſſione, Cœleſti Patri placeatis, ac gratiam inveniatis æternùm perennaturam.

## §. 2. *Authoritas.*

VIrgo ILLIbatè ConCepta, 198.
à ConCILIo trIDentIno
DeCLarata.

*Declarat tamen hac ipſa Sancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis, comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originalî agitur, Beatam & imaculatam Virginem Mariam, DEI Genitricem, ſed obſervandas eſſe Conſtitutiones, felicis recordationis, Sixti Papæ IV. ſub pœnis, in ejus Conſtitutionibus contentis, quas innovat.* Seſſ. 5. Decret. de pecc. Original.

§. 3.

## §. 3. *Ratio.*

199. PræsVMptIo, pro DeIparâ pVrè ConCepta.

OMnia Jura præſupponunt, Matrem eſſe acceptam, & charam Filio ſuo. Atqui Beata Virgo fuit vera Mater DEI. Ergo Jura præſupponunt illam eſſe acceptam, & charam DEO. Subſumo, ſed ſi Beata Virgo in aliquo inſtanti contraxiſſet peccatum originale, nunquam Jura præſumerent, illam eſſe acceptam, & charam DEO. Ergo conſequenter Jura præſumere debent, Beatam Virginem in nullo inſtanti, infectam fuiſſe peccato originalî. Subſum. Prob. Nullus malus, & ingratus DEO, eſt DEO charus, & acceptus: Sed per quodlibet peccatum, quis fit inimicus, & ingratus DEO. Ergo ſi Beata Virgo contraxiſſet in aliquo inſtantî peccatum Originale, non fuiſſet accepta, & chara DEO. Confirm. Si ſemel Maria præſumeretur fuiſſe peccatrix, ſemper talis præſumi poſſet, juxta Regulam Juris in ſexto: *Semel malus, ſemper præſumitur eſſe malus.* Ergo præſumptio ſtat potiùs pro Deiparâ pure conceptâ, eam nullo momento fuiſſe malam.

## §. 4. *Hiſtoria.*

200. LVXVrIosVs, à ConfeſſarIo sVo ConVersVs, IMposItâ reCItatIone offICII VIrgInIs, pVrè ConCeptæ.

VIr erat ſcandaloſus, Otio, Baccho, ac Luſui ſummè dicatus, ſed præ omnibus alijs inhoneſto quoque fœminei ſexûs conſortio adeò aſſuetus, ut in fœdæ luxuriæ voraginem turpiter, ac frequenter prolapſus, beſtiæ magìs, quàm hominis ſpeciem induerit. Hic quamvìs Sacrâ ſæpiùs Confeſſione conſcientiam exonerârit, ceſſante mox propoſito, minimè emendabatur. Hujus ergò hominis, totiès eadem recenſentis flagitia, paternè miſeratus Zeloſus Conſcientiæ arbiter, libellum ei porrexit, Officium de immaculatâ Conceptione continentem, impensè ſuadens: illud unicum, ſi non quotidiè, ſaltem aliquoties per hebdomadam, devotus recitaret, Virginem exinde Deiparam ulterioribus petulantis carnis tentationibus remedium ſalutare allaturam. Amplexus eſt Confeſſarij conſilium pœnitens, vixque pium illum penſum Deiparæ immaculatè Conceptæ perſolvere eſt aggreſſus, cùm ecce! mox totus mutatus ab illo, miratur ſemetipſum, alioſque ſe animos induiſſe, & prioris vitæ ſaluberrimum concepiſſe horrorem, evidenter perſentiſcit; Hinc ſibi de tanto theſauro, Libello ſcilicet à Confeſſario ſubminiſtrato, frequentiſſimè gratulatus, prudentiſſimo huic ægrotantis conſcientiæ Æſculapio, quantas potuit, gratias rependit, ac beneficium, periclitanti animæ collatum, ſummis laudibus extulit. Et meritò quidem; nam (ſi Divo Chryſoſtomo fides) Inveteratum peccatorem ad ſanam mentem reducere, longe pluris eſt faciendum, quàm mortuos ipſos reſuſcitare. *Raynaudus pag. 324.*

## §. 5. *Symbolum.*

201. PoLIJpo bonVM, aDhærere ſCopVLo.




Vix tumidas ſentit Polypus ſævire procellas,
Mox fugit ad Scopulum, nil ſibi triſte timens.
Nil ſibi triſte timet, maculæ ſpumante procellâ
Virgo, quam Scopulus, Gratia prima, tenet.

*Mihi autem adhærere DEO bonum eſt.* Pſal. 72. v. 28.

## §. 6. *Antiquitas.*

202. Conſtans MatrIs gratIa CVr renoVanDa?

REfert Valerius Maximus, *de pietate erga Parentes*: Pompeium Atticum gloriari frequenter ſolitum fuiſſe, his verbis: *Cum Matre meâ nunquam in gratiam redij.* Idem etiam Matrem ſæpiùs dixiſſe: *In gratiam cum Filio meo, nunquam redij.* Ac ſi diceret ille: nunquam exercui lites, aut diſcordias, cum Matre meâ. Et illa viciſſim: nunquam offendi Filium meum: conſtanter placui oculis ejus: nunquam illi fui inimica, vel ille à me averſus, &c.

Hoc laudat in Pompeio, ejusdémque Matre, Antiquitas. Et nos dicemus, inter Filium DEI, & Matrem ejus Sanctiſſimam fuiſſe aliquando inimicitias, ſed mox compoſitas? Fuiſſe illam, aliquo momento, extra Filij gratiam, ſed in eandem paulò poſt gratiam fuiſſe receptam? Abſit tam maleſona pijs auribus propoſitio! Devotis MARIÆ cultoribus ſimiles potiùs arrident propoſitiones: Fuit illa prorſus immaculatè Concepta: gloriari illa & dicere etiamnùm poteſt: cum Filio meo JESU, nunquam redij in gratiam, quia nunquam fui peccato alicui obnoxia, nunquam illum offendi, ſemper pura, ſemper ſine labe, ſemper, & *tota pulchra*, &c. & ille viciſſim: Inter me, & Matrem meam, nec minima unquam interceſſit diſcordia, quæ non niſi ab originali cauſari poterat peccato, &c.

## §. 7. *Anagramma.*

CaſtI agnI, DeVota, aC pVra Mater. 203.

*Caſti Agni Emmanuel, ô Diva, pura Mater!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XXX.

## §. I. *Scriptura.*

204. MVLIer, à popVLo BeneDICta.

Ruth. c. 3. v. 10. & 11. *Benedicta es à Domino, Filia! &c. Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas Urbis meæ, Mulierem Te eſſe Virtutis.*

INſignem planè Panegyrin, in commendationem puellæ, non pudicâ tantùm corporis venuſtate, ſed ſincero quoque mentis candore præſtantiſſimæ, æquiſſimus virtutis æſtimator Booz compoſuit, dum Ruth formoſiſſimam his verbis eſt allocutus: *Benedicta es à Domino Filia, & priorem miſericordiam poſteriore ſuperâſti; quia non es ſecuta juvenes pauperes, ſive divites: noli ergò metuere, ſed quidquid dixeris mihi, faciam tibi; ſcit enim omnis populus, qui habitat intra portas Urbis meæ, Mulierem Te eſſe virtutis.* Succinctum, ſed efficax certè puellæ præconium!

Verùm audiatur & aliud non ab uno tantùm Encomiaſte, ſed ab Univerſalî, Sanctâ, ac devotâ Matre Eccleſiâ, in laudem puriſſimæ DEI Genitricis ſolenniter decantatum! Et quale illud? audite: *Benedicta Filia tu à Domino, quia per Te Fructum vitæ communicavimus!* Benedicta es tu, ac millies benedicta, æterni Patris Filia, Filij Mater, Amoris inter utrumque Sponſa! utpote, quæ *priorem miſericordiam*, in primo illo Conceptionis articulo à Numine receptam, ac ab omnî prorsùs maculâ præſervativam, *poſteriore*, in digniſſimam Divini Verbi Genitricem te cooptante, longè *ſuperâſti*, utrumque ex nullâ aliâ ratione, quàm quòd alios Adæ Filios, ſive *pauperes, ſive divites*, omnes, omnes in Protoparente peccatores, iræque filios, Tu ſola peccati neſcia, *non es ſecuta. Noli ergo metuere*, Virgo electiſſima! ſiniſtram quorundam malignantium hæreticorum, de Conceptione Tuâ puriſſimâ, opinionem; habes enimverò Numen ad tua vota propitium, & *ſcit omnis populus*, Cœleſtium, Terreſtrium, & infernorum, *Mulierem Te eſſe virtutis*, ex toto benedictam, nullo unquam vitio, nec ad momentum quidem, depravatam, quam mellifluus Doctor attentiùs conſiderans, exclamat: *O admirandam, & omnî honore digniſſimam Virginem! ô Fœminam ſingulariter venerandam! ſuper omnes fœminas admirabilem! Parentum reparatricem! poſterorum vivificatricem!* Homil. ſuper. Miſſus. *Scit* inquam, *omnis populus*, quòd, ſicut Solares radij ſuper lutum deſcendentes, ab illo deturpari non poſſunt, ſed ipſum potius illuminare cernuntur, ſic Tua, ô Virgo! anima, ſuper lutum humanæ naturæ deſcendens, à fæce originalis culpæ ſordidata non fuerit, ſed tota potiùs humana Natura inde illuſtrata. *Scit omnis populus*, quod, ſicut Aurum in viſceribus terræ non corrumpitur, ſed magìs perficitur, ſic in uteri Materni viſceribus, Tu nullâ corrupta fueris maculâ, ſed potiùs à Spiritu Sancto perfectè Sanctificata. *Scit omnis populus*, quòd ſicut ramus à bonâ arbore proveniens, licèt in malam arborem inſertus, non tamen ab eâ inficitur, imò potiùs tribuit perfectionem, ſic Anima Tua à DEO proveniens, inſerta in corpus, etiam de ſemine infecto propagatum, maculata non fuerit, ſed ipſum potiùs multimodâ perfectione repletum. *Scit omnis populus*, quod ſicut aer genitus, in inſtanti, quo gignitur, à Sole illuminatur, ita Anima tua à Divino juſtitiæ Sole, in inſtanti Conceptionis, fuerit perfectiſſimè illuminata. Verbo, *ſcit*

*omnis*

*omnis populus*, quod quidquid Sacra recitat Hiſtoria, de magni, ſanctique Nominis heroibus, ac heroinis, id omne Tuum ſit, ô puriſſima Virgo! encomium, quam ornat innocentia Abelis, Juſtitia Noëmi, venuſtas Rachelis, fortitudo Jahelis, Majeſtas Eſtheris, victoria Judithæ, ſedulitas Angelorum, ſcientia Arch-Angelorum, dominium Principatuum, poteſtas Virtutum, Dominationum authoritas, quies Thronorum, Cherubinorum lumen, incendium Seraphinorum, & tandem, ut Paulus ait: *Quæcunq; ſunt Vera, quæcunque pudica, quæcunque juſta, quæcunque Sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſiqua Virtus, ſiqua laus diſciplinæ*, hæc Tua ſint omnia in cujus dilaudandis virtutibus, tot ſudant devotorum ingenia, laborant manus, fluunt calami, teruntur Typi, ut verificetur omninò, quod de Teipſa jam pridem confitebaris: *Beatam me dicent omnes generationes.* Tu ergò, *Benedicta à Domino Filia!* impetra, ut & nos à Domino benedicti, filij DEI nominemur, & ſimus: Tu, quæ non ſecuta es reliquos Adæ filios, omnes in Adamo peccatores, effice, ut & nos non ſequamur impios, cæcos ad Cœlum duces, ſed viam curramus mandatorum DEI, Tu Mulier Virtutis! fac, ut progrediamur & nos de virtute, in virtutem, utque immaculati in viâ, immaculati tandem Agni conſpectu perfruamur in Patriâ.

Philipp. c. 4. v. 8.

Luc. 1. v. 48.

## §. 2. *Authoritas.*

205. S. CIJprIanVs ILLIbatæ DeIparentIs DefenDens.

1. *Spiritu S. obumbrante, incendium originale extinctum eſt; nec ſuſtinebat juſtitia, ut Vas illud electionis communibus laſſaretur injurijs, quoniam plurimùm à cæteris differens, naturâ communicabat, non culpâ.* Lib. de Cardin. Chriſti oper. Orat. de Nativ. Chriſti.

2. *Unde & Matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantior gloria, quæ mentis, & carnis integritate inſignis, ſpirituali & corporali, intùs & extrà, Chriſti fruebatur præſentiâ.* Orat. de Nativ. Chriſti.

3. *Mater Domini noſtri JESU Chriſti, in illâ muliere promiſſa eſt, hæc inimicitijs oppoſita ſerpentis: Ponam inimicitias inter te, & mulierem, &c. non certè dicit: Pono; ne ad Evam pertinere videretur: verbum promiſſionis eſt, quod transmittitur in futuram.* Lib. 2. in Judæos.

## §. 3. *Ratio.* 206.

Mater, CVr non æqVaLIs AngeLIs habenDa?

DEUS ab æterno, ſive in æternitate Conſilij ſui Beatam Virginem MARIAM in ſui Matrem, & Reginam elegit Angelorum, uti Beata Virgo de ſeipſâ in Scripturâ teſtatur: *Ab æterno ordinata ſum.* Ergo ratio non eſt, cur non æqualis Angelis habenda? Conſeq. Prob. Omnis ratio dictat, Matrem, & Reginam, æqualem eſſe, imò multò ſuperiorem ſubditis ſuis: Atqui juxta S. Scripturam, ab æterno Angeli fuerant ſubditi MARIÆ, ut ſuæ Reginæ. Ergò ratio non eſt, cur non ijs æqualis habenda? Subſumo. Atqui DEUS Angelos bonos, malis peccantibus, à peccato præſervavit, & in gratiâ confirmavit, & Beata Virgo, tanquam Regina, Angelis in gratiâ, & Sanctitate ad minimùm æqualis erat. Ergo etiam eam, cæteris hominibus peccantibus, ab æterno à peccato præſervavit, & in gratiâ confirmavit. Quòd optimè confirmatur ex illo D. Anſelmi dicentis: *Nihil Tibi, Domina! æquale, nihil comparabile eſt; omne enim quod eſt, aut ſuper te eſt, aut ſubtùs te eſt: quod ſuper te eſt, ſolus DEUS eſt, quod infra te eſt, omne, quod DEUS non eſt, &c.*

L. de exord. hum. c. 7.

## §. 4. *Hiſtoria.*

207. TeLa pretIosIſsIMa , DeIparæ sIne Labe ab HIſpaLensIbVs obLata.

SUmmis certè laudibus extollendus, ac ſeræ poſteritati, ad imitationem, transſcribendus eſt, devotus Hiſpalenſium Zelus, pro tuendâ digniſſimæ DEI Genitricis, in ſuâ Conceptione, innocentiâ; cùm enim, in eâdem Civitate, Concionator quidam improvidâ linguâ, Conceptionem Deiparæ, communî cum reliquis labe maculatam pronunciâſſet, omnes Urbis incolæ adeò indoluerunt, ut, quamvìs à graviſſimo Viro, P. Pinedâ, Soc. JEſu Sacerdote, alia priori penitùs contraria Concio haberetur, & detractus per illum honor, per hunc, in integrum, Virgini reſtitueretur: hoc tamen minimè contenti, in devotam inſuper compenſationem, illatæ à prædicatore illo injuriæ, donum ingentis valoris Deiparæ ſine labe conceptæ obtulerint. Erat hoc Tela quædam pretioſiſſima, ex communî Hiſpalenſium ærario perſoluta, in qua maximis characteribus, ex gemmis, & adamantibus ſtudiosè intexta videbatur ſequens inſcriptio: *Beatiſſima Virgo MARIA concepta eſt, ſine peccato.* Et quantum creditis pro tanto opere pretium exſolutum fuiſſe? Stetit certè donum hoc octoginta millibus ducatorum. Sed nonnè & nos tale donum MARIÆ ſine labe conceptæ offerre poterimus? offeremus certè, ſi quod unicè exigit, Cor donaverimus, juxta illud: *Fili, præbe mihi cor tuum,* Prov. 23. v. 26. Refert munus hoc ab Hiſpalenſibus oblatum Joannes Bourgheſius, *Lib. de Societ. MARIÆ Sacrâ, c. 21.*

* * *

## §. 5. *Symbolum.*

SaLaManDra, In IgnItIs CarbonIbVs, sIne LæsIone. 208.




In medijs Salamandra ſalit, nil territa, flammis,
Non nocet huic ignis, non timet illa rogum.
In medijs, ſine labe, ſalit puriſſima flammis
Virgo Parens: maculæ non timet illa rogum.

*Cùm ambulaveris in igne, non combureris, & flamma non ardebit in te.* Iſaiæ. c. 43. v. 2.

## §. 6. *Antiquitas.*

MVLIer AsDrVbaLe ConſtantIor. 209.

ASdrubalem, valoroſiſſimum aliàs Carthaginenſium Ducem, plures hinc inde Victoriæ celebrem reddiderunt, qui tamen glorioſis Scipionis, Romanorum Anteſignani, progreſſibus nimiùm perterrefactus, ſeſe turpiter dedidit, adeò quidem, ut major fuerit mulieris, ejus conjugis, quàm tanti Ducis conſtantia, ut paucis narrabimus: Submittebatur à Romanis, contra Carthaginenſes, generoſus Juvenis, Scipio Æmilianus, qui tantâ munus ſuum dexteritate, ac fortitudine peregit, ut iteratis aggreſſibus totam ſucceſſivè Carthaginem, licèt immenſæ amplitudinis, occupârit, Unicum adhuc victricibus

bus palmis deerat Præſidium, Byrſa nuncupatum, quo valoroſiores ſeſe milites, ac incolæ, in magnâ quantitate receperant, extrema ibidem, pro ſui conſervatione, tentaturi. Verùm, vix primam Arci manum Scipio admoverat, ignemque ſubijcere cœperat, cùm ecce! ad unum omnes (quadraginta hominum millia numerabantur) Victori ſe protinùs ſubmiſerunt, quos inter ipſe etiam Asdrubal, Carthaginenſim Primipilus, ut mortem evaderet, captivum ſe tradidit. Unica híc, in confuſionem tantorum virorum, contradicebat deditioni mulier, ipſiſſima nimirùm Asdrubalis conjux, quæ non tantùm marito probroſum inconſtantiæ ſuæ facinus ſummè exprobravit, quòd nimirùm, præ timore, ac vitæ deſiderio, adeò indignam tanto Duce ſervitutem in ſe ſuſceperit, verùm etiam, ut ſuam ipſa magnanimitatem, ac validiorem animi conſtantiam exhiberet, ne captiva & ipſa abduceretur, è ſuperiorî Arcis feneſtrâ, ſemet in ignem præcipitare maluit, ac viva comburi. *Velleus lib. 5. c. 12.*

*Mulierem fortem quis inveniet?* Inveniet ille, qui Heroicos MARIÆ auſus attentiùs examinaverit. Irrepſerat, non in unam tantùm Carthaginem, ſed in Orbem univerſum, Tartareus inimicus, vixque ſerpens callidus pauculis verbis, Arcis animæ deditionem, ab Adamo Præfecto exegerat, cùm ecce! ſubmittente ſe per peccatum illo, non quadraginta tantùm millia, verùm, quotquot futura erant in poſteritate capita, unâ ſeſe voce miſerè ſubmittunt, diræque captivitati tradunt. Unica tamen hìc contradicebat mulier, omnî Heroe fortior: MARIA, vel ideò *benedicta in mulieribus*, quia indignam rata, tanto Principe, qualis Adam erat, dæmonis ſervitutem. Ipſa ergo, nullo momento conſentiens, maluit ſeſe in ignem maturè præcipitare, quàm dictæ ſervituti ſe, vel ad momentum, committere. Sed qualis ille ignis, in quem MARIA proſilijt? certè non alius, quàm ignis Divini amoris, quo in primo jam Conceptionis inſtantî, tota conflagrabat, ut nullus patuerit inimico acceſſus, ad eam, aliorum inſtar, per originale, in ſuam captivitatem abducendam.

### §. 7. *Anagramma.*

VIrgo, à MaCVLâ ADæ LIbera. 210.

*Virgo à maculâ Adae patenter immunis!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XXXI.

### §. I. *Scriptura.*

211. ArCa VIrgInea, SathanaM ConfVnDens.

1. Reg. c. 5. v. 3. *Ecce Dagon jacebat pronus in terrâ, ante Arcam Domini.*

MEmorandam de falſo Philiſthæorum Numine hiſtoriam Sacræ nobis paginæ exhibent quam ipſiſſimis ibi contentam verbis referre conſultiſſimum erit; ſic enim ſe habet: *Philiſthijm autem tulerunt Arcam DEI, & aſportaverunt eam à lapide adjutorij in Azotum, Tuleruntque Philiſthijm Arcam DEI, & intulerunt eam in Templum Dagon, & ſtatuerunt eam juxta Dagon: Cumque ſurrexiſſent diluculò Azotij, alterâ die, ecce! Dagon jacebat pronus* 3. Reg. c. 5. v. 1 & ſeq.



*nus*

*nus in terrâ, ante Arcam Domini: & tulerunt Dagon, & reſtituerunt in locum ſuum, rurſumque manè die alterâ conſurgentes, invenerunt Dagon jacentem ſuper faciem ſuam in terrâ, coram arcâ Domini: caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum ejus abſciſſæ erant ſuper limen, &c.*

Si enarratum hunc rei eventum attentiùs perpendens, Arcam illam DEI MARIAM dixero, quis ibit inficias? utpote, quæ non figuram tantùm, ſed ipſum figuratum, non Manna ſolummodò, Iſraëlitis de Cœlo depluum, ſed *panem vivum de Cœlo deſcendentem, omne delectamentum in ſe habentem*, dulcem JESUM, per novem Menſes, intra ſe continuit, prout Sacra canit Eccleſia: (Sap. c. 6, v. 20.)

*Cujus ſupernus artifex,*
*Mundum pugillo continens,*
*Ventris ſub Arcâ clauſus eſt.*

Si præterea Dagonem Sathanam nuncupavero, ipſam rei veritatem acu tetigiſſe non dubito; quemadmodùm ergò Dagonis idolum cedere omninò oportuit, ac in fruſta colliſum corruere, ad myſterioſam Arcæ DEI præſentiam, ſic cedere omninò, ac turpiter confuſus, corruere penitùs debebat Sathanicus Adami ſeductor, ad præſentiam auſpicatiſſimam Conceptæ puriſſimæ DEI Arcæ, Virginis MARIÆ, in digniſſimam DEI Matrem deſtinatæ, nec per minimum temporis momentum ſubſiſtere peccatum poterat, ubi gratia, à primo ſtatim initio, ſedem fixit. *Quæ enim participatio juſtitiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conventio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? quis autem conſenſus templo Dei cum idolis?* Non erravit ergo Divus noſter Damaſcenus, vocando ventrem Annæ *locum, in quo DEUS Sanctificationis Arcam condidit*, de qua Arcâ, MARIA nimirùm, cum veritate dici poteſt, quòd ſicut à facie Arcæ illius ſtetit Jordanis, ſic à facie hujus Arcæ Virgineæ fugerit peccatum: ſicut à facie Arcæ illius muros novimus corruiſſe Jerichuntinos, ſic à facie hujus ſuperbus corruerit Protoparentum auſus: Sicut denique à facie Arcæ illius Dagon, caput, manuſque truncus jacebat ſuper limen, coram Arcâ Domini, ſic originale peccatum, quod eſt verùm caput dæmonis, & fomes, qui manuum ſubit vices, coram Virgine purâ, truncus jaceat, ac confuſus. Pulchrè de hac Arcâ diſcurrit Richardus à S. Laurentio: *Arca*, inquit, *dicitur ab arcendo, eò quòd arceat viſum circumſtantium, ab ijs, quæ continet in ſe.* Inſignis certè interpretatio! quis enim ignorat, talem prorſus Arcam fuiſſe glorioſiſſimam Virginem? cujus Sacratiſſimum corpus, cùm à DEO formaretur, tanto ſtudio, & diligentiâ cuſtodivit, ut nec ipſis ſtellis ejus intuitum permiſerit, ut clarè inſinuat Joannes Gerſon his verbis: *Neque malevolus aſpectus cujuslibet ex Planetis ei nocuiſſe credendum eſt, in ipſo Conceptionis, aut Nativitatis exordio.* Si igitur DEUS noluit, Matrem ſuam Sanctiſſimam, dum generabatur, etiam ſolo intuitu ſubjectum eſſe ſtellis Cœli, quomodò credendum, quòd permiſerit eam intueri ab infernalî Dagone? quomodo credendum, habitâſſe MARIAM, ubi peccatis aliquando habitatio concedebatur? dicendum potiùs, cum Prophetâ Regio: *Non habitabit juxtà te malignus neque permanebunt injuſti ante oculos tuos.* Sicut enim pijſſimus Redemptor noſter ſedere voluit ſuper pullum Aſinæ, in quo nemo anteà ſederat, & jacere, ac requieſcere voluit in ſepulchro, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat, ſic & carnem ſumere de tali voluit Matre, in qua nullus Dagon infernalis per peccatum aliquando ſederat, & cujus anima nunquam fuerat corrupta, vel ab aliquo peccato inhabitata. Qua ſimilitudine uti voluit Auguſtinus, dum ait: *Sicut in ſepulchro, in quo Corpus JESU poſitum fuit, nec ante, nec poſt, mortuus jacuit, ſic ipſa Virgo nunquam aliquod mortale commiſit*, quod idem de originali dicere poſſumus. Finio diſcurſum, unicum tantùm Scripturæ locum

Marginal notes: 2. Corinth. c. 6. v. 14. — Orat. 2. de Nativ. — Lib. 10. — Serm. de Nativ. B. V. — Pſal. 5. v. 6. — Math. 21. Luc. 23. — Super Joſ.

cum, ex Regum hiſtoriâ, pro coronide adjungendo. Legitur enim, Salomonem peperciſſe Sacerdoti Abiathar defectori, ob rationem, quam ipſemet Regum Sapientiſſimus aſſignat,
3. Reg. 2. v. 26. ſequentem in modum: *Equidem* ait, *Vir mortis es tu, ſed hodie te non interficiam, quia portaſti Arcam DEI coram Patre meo.* Parem quoque gratiam in nos transferamus peccatores, millies mortis rei, & flammis digni ſempiternis! portemus Arcam DEI viventis in cordibus noſtris! hanc Matrem puriſſimam devotè adamemus, Dagonem econtrà, id eſt, peccatum ex animâ proſcribamus! & Cœleſtem habebimus Salomonem propitium.

## §. 2. *Authoritas.*

212. S. CIJrILLVs aLeXanDrInVs, gLorIoſæ VIrgInIs DeIparæ, absqVe VLLâ noXâ orIgInaLI ConCeptæ propVgnator.

1. *Omnes homines, excepto illo, qui de Virgine natus eſt, & Sacratiſſimâ etiam Virgine, ex qua DEUS homo prodijt in mundum, exceptâ, cum peccato originali naſcuntur.* Lib. 6. in Joan. c. 15.

2. *Temerarium eſt, ponere in MARIA Virgine, propter Filium, culpam, aut peccatum aliquod.* Serm. contra Neſtorium.

3. *Salve Sancta Deipara! pretioſum totius orbis theſaurum recondens, lampas inextinguibilis! per quam diabolus Cœlo decidit, & prolapſum plaſma in Cœlum recipitur.* Et poſt pauca: *Quis unquam de Architecto audivit, quod ſuum ipſius Templum conſtruxerit, & in eo habitare prohibitus ſit?* Homil. 6. habitâ in Concil. Epheſin. Tom. 6. Concil. c. 6.

## §. 3. *Ratio.*

213. CVr RegIna ſerVIs CoMparanDa?

REgina non eſt ſervis comparanda: ſive ut habetur in Inſtit. de publ. Judic. §. *Item Lex Cornelia: Melior debet eſſe conditio Reginæ, quàm ſervi.* Atqui Beatiſſima Virgo fuit Regina omnium creaturarum, ut de ſeipsâ aſſerit Eccli. 24. *Et in omni populo, & gente primatum tenui.* Ergo MARIA nulli creaturæ comparanda eſt. Sed ſi Beata Virgo contraxiſſet peccatum originale, non tantùm aliquibus compararetur, verùm etiam aliquibus deterior fieret, quod prorſus nequit admitti. Ergo &c. Sequela prob. Compararetur enim cum hominibus, utpote quæ cum peccato originalî æqualem mortis, & ærumnarum conditionem ſubiret: Angelis autem deterior evaderet, qui, utpote carentes peccato originalî, nunquam ſtatum juſtitiæ amiſerunt.

## §. 4. *Hiſtoria.*


DæMonIs ConfeſsIo: absqVe Labe: absqVe Labe. 214.

DÆmonem communiter mendacem eſſe, imò patrem omnium mendaciorum nuncupari, nemo eſt, qui vocet in dubium. Experti enimverò ſunt hoc ipſum, ſuo, & noſtro omnium damno, protoparentes, qui fallacibus ejusdem callidi hoſtîs promiſſis nimiam ſtatim ab initio fidem adhibentes, ſeſe miſerè deceptos ſerò quidem deploraverunt. Ex quo tamen minimè convincitur, nullam unquam veritatem ex ore diaboli procedere; cùm complura habeantur exempla, quibus urgente Sacerdotis, poteſtatem habentis, adjuratione, in Nomine Sacro-ſanctæ Trinitatis adhibitâ, volens nolens, veritati teſtimonium perhibuit, præſertim, cùm id ad ipſius Divini Nominis gloriam, aut certè ad defendendum Digniſſimæ DEI Genitricis honorem, neceſſarium quandoque videretur. Hujusmodì à dæmone extorta veritatis confeſſio erat illa, quando compluribus doctiſſimis viris, circà myſterium Conceptionis diſcrepantibus, diabolum, perſonam aliquam obſidentem, ac dirè excruci-

antem, quidam magnæ Sanctimoniæ Sacerdos, in tremendo Sanctiſſimæ Trinitatis nomine adjuravit, ut quid de Marianâ Conceptione ſentiendum? ſine morâ, veraciter ediceret, ubi diabolus mox altùm exclamavit: *Sine maculâ: ſine maculâ: ſine maculâ. Raynaudus Tom. 8. pag. 277. Cantipratanus, & alij.* Quis ergo negare audeat, quod dæmones etiam, licèt inviti, confiteri adiguntur?

## §. 5. *Symbolum.*

215. NavIs ILLIbata, ad repeLLen-Dos InfernI pIratas, or-DInata.




Inſidias ſine fine ſtruit Piratica Claſſis
Navibus: Hinc meritò *pellitur illa* Mari.
Innumeras Pirata Animas mox cœperat unus,
*Maria Anag. à Mari.* Lucifer: *A* puro pellitur ille *MARI.*

*Ipſi de manu tuâ repulſi ſunt.* Pſal. 87. v. 6.

## §. 6. *Antiquitas.*

216. ApoLLInIs De InterfeCto PIJthone TrIVMphI.

Refert fabuloſa Antiquitas, Serpentem quendam voraciſſimum ſimul, ac maximè venenoſum, cui Pythoni nomen, in Theſſaliâ, Regione Græciæ, è terrâ, ob Deucalioneos imbres corruptâ, ab Apolline adhuc puero glorioſiſſimè interfectum, ac jaculo transfoſſum fuiſſe: In cujus etiam Victoriæ perennem memoriam, Apollinisque triumphantis honorem, ludos Apollinares quotannis ſolenniſſimè inſtitutos fuiſſe teſtantur, ob cædem nimirùm dicti Pythonis, nocentiſſimi Serpentis, vel (ut Strabo exiſtimat l. 8.) hominis cujusdam ſceleratiſſimi, cognomento Draconis. Quâ de re Ovid. l. 1. Meta:

*Inſtituit Sacros celebrì certamine ludos*
*Pythia, perdomitæ Serpentis nomine dictos.*

Addit præterea Lucianus, Victores hujus certaminis lauro coronari ſolitos, additis pomis ex Apollinis Templo deſumptis.

Quòd ſi ob fictam hanc de ſerpente, ſive Dracone, victoriam, tanta quotannis celebrabatur ludorum ſolennitas, ac triumphi iterata recordatio: cur non dignum erit, ac juſtiſſimum, celebrare quot Annis per Solenne Feſtum, ac integram Octavam, glorioſam Victoriæ illius memoriam, quam non Jupiter, falſum illud Numen, ſed veri Numinis Sanctiſſima Mater, de Serpente infernalî, ſeu Dracone illo nocentiſſimo, ac veneno ſuo originalî totum mundum inficiente reportavit? idque non in puerili ætate, ſed in ipſo Matris utero, imò in ipſo Conceptionis ſuæ inſtanti, dum confracto jam ibi Serpentis capite, à labe omninò inoxia evaſit. Certè, ſi victoribus illis, in annuis Apollinaribus ludis, corona ex Lauro, unà cum pomo ex Apollinis Templo deſumpto offerri ſolebat, Celebratoribus quoque Feſti immaculatæ Conceptionis longè plura offeruntur; *Datur* enim talibus, juxta Divum noſtrum Anſelmum, *Homil. de Concept. à Filio Virginis, Domino noſtro JESU Chriſto, pax, & longa Salus, & poſt tranſitum hujus vitæ, requies æterna.*

* *
*

§. 7.

§. 7. *Anagramma.*

217. MIra, ILLIbata, gaVDe, sIne Labe orIgInaLI!

*Mira tota! en gaude, ſine impurâ maculâ!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XXXII.

§. I. *Scriptura.*

218. Per AsCensVs petrarVM, In DEo ConfIsa.

1. Reg. c. 14. v. 6. *Tranſeamus ad ſtationem incircumciſorum horum, ſi fortè faciat Dominus pro nobis, quia non eſt Domino difficile, ſalvare vel in multis, vel in paucis.*

TRanſiturus audacter, per arduos petrarum aſcenſus, ad ſtationem Philiſthinorum Jonathas, eorumque caſtra ſolus, & unicus auſu generoſiſſimo aggreſſurus, ſic ſuum Armigerum eſt allocutus: *Veni, tranſeamus ad ſtationem incircumciſorum horum, ſi fortè faciat Dominus pro nobis, quia non eſt Domino difficile, ſalvare vel in multis, vel in paucis.* Et ſanè ſecundavit Heroinos Juvenilis ardoris auſus Numen; Vix enim petroſos aſcenſus, indefeſſo conamine, cum dicto ſuo armigero, Jonathas ſuperârat, viginti confeſtim Philiſthæos ad internecionem percutiens, tanti in caſtris Philiſthinorum exorti tumultûs cauſa fuit, ut DEO, in quem firmiſſimè ſperaverat, adjutorium præbente, mox verſis miraculosè uniuscujusque ad proximum ſuum gladijs, cædes hoſtium ſecuta fuerit magna nimìs. Sic nimirùm de Victoriâ ſecurus, ad certamen progreditur, qui in Domino ſpem ſuam collocans, hoſtes perſequitur. Hæc ſpes non fefellit Jonatham, dicentem: *Si fortè faciat Dominus pro nobis, quia non eſt Domino difficile, &c.*

Sed multò minùs fallere poterat concepta ſpes MARIAM Conceptam, quæ in primo ſtatim Conceptionis inſtantî ſibi applicare poterat illud Pſalmiſtæ: *Quoniam tu Domine ſingulariter in Spe conſtituiſti me.* Per aſcenſus nimirùm Petrarum, Filium ſcilicet ex ipsâ naſciturum, quem Paulus Petram intitulat, dicens: *Petra autem erat Chriſtus*, in DEO penitùs confiſa, hoſtem humani generis infenſiſſimum ſola, non niſi gratiâ armigerâ comitante, tam fortiter eſt inſecuta, ut peccati neſcia, ſceleris authorem gloriosè devicerit, turpiſſimum orci monſtrum ſine labe confuderit, rabidiſſimam tartari Tigridem immaculata proſtraverit, verbo, ut nullo ſive originalìs, ſive actualìs culpæ vulnere unquam ſauciata, Domino pro illâ faciente, Matremque ſibi deſtinatam præſervante, feliciſſimum de infernalibus Philiſthæis triumphum reportârit. Tam ſingularî igitur cæde ſuperbo humani generis hoſti inflictâ, gloriari Virgo Beatiſſima, ſuâ in Conceptione, ijs verbis poterat, quibus Rex quondam David ſuam Divino adjutorio victoriam attribuit, dicens: *In petrâ exaltavit me, & nunc exaltavit caput meum ſuper inimicos meos*, optimè in ſe experta, veriſſimum illud Sacrarum paginarum, ſeu potiùs confidentis Jonathæ teſtimonium: *Quia non eſt Domino difficile ſalvare, vel in multis, vel in paucis*; Sic enim difficile nullo modo fuerat Divinæ Omnipotentiæ, ſalvare MARIAM in Conceptione ſuâ ab incurſu

Pſal. 4. v. 9.

1. Corinth. 10. v. 1.

Pſal. 26. v. 6.

O pec-

peccati, alijs per hæreditarium Adami ſcelus infallibiliter incurrendi, præſertim eam ob rationem, quòd potentiæ infinitæ, Divina quoque acceſſerit voluntas, & ſumma, ex parte Divinæ Matris, convenientia: hoc ipſum præclarè atteſtante Divo noſtro Anſelmo, ut digniſſimo quondam Angliæ Primate, ita Conceptionis Virgineæ propugnatore vix non primario, cujus hæc ſunt verba: *Planè potuit DEUS, & voluit, quod ſi voluit, & fecit.* Quod ipſum paulò poſt hiſcé verbis confirmat: *Decuit, ut ea Virgo tantâ puritate niteret, quâ major ſub DEO nequit intelligi.* Atque utinam quilibet noſtrûm eâ etiam animæ puritate niteat, quæ Chriſtianum condecet, quâ etiam deficiente, tanto dignus nomine nequit intelligi: Tranſire enim oportet unumquemque noſtrûm, Jonathæ inſtar, per aſcenſus petrarum, id eſt, tranſire habemus de mortalî hac vitâ, ad alteram, non niſi per dura & aſpera; cùm ardua ſit ad Cœlum via; hinc ſummâ nobis opus eſt fiduciâ, in adjutorium primariò Divinum, *ſi fortè* (ut Jonathas ſperabat) *faciat Dominus pro nobis*, deinde in potentiſſimam immaculatæ DEI Genitricis protectionem, ſub cujus vexillo candidiſſimo, difficile non erit, infernales Philiſthæos, in animarum noſtrarum perniciem pertinacî conamine intentos, generosè aggredi, ac ſuperatis frequentium tentationum difficultatibus gloriosè proſternere, & debellare. Quæ victoria, ut tantò nobis contingat ſecuriùs, pijſſimè de Virginis Conceptione ſentiamus; ſic enim & ipſa piam de nobis geret ſollicitudinem, delictorum noſtrorum, *vel in multis, vel in paucis*, veniam à Filio impetrans, Cœleſtiſque gloriæ cohæredes efficiens.

de Concept. Virg c. 4.

* * *

## §. 2. *Authoritas.*

S. DIonIJsIVs aLeXanDrInVs, VIrgInIs, absqVe peCCatI orIgInaLIs VVLnere ConCeptæ ſtrenVVs proteCtor. 219.

1. *Nec tabernaculum ejus verum alius introivit, nec exijt, niſi ſolus Dominus, & ſignata porta Tabernaculi, & digito ejus ſignata eſt, & protegitur virtute Altiſſimi illud ſemper laudatiſſimum DEI Tabernaculum, MARIA DEI Virgo.* In Solat. 45.
2. *DEUS Matrem incorruptam à pedibus, uſque ad caput, benedictam ſervavit.* Epiſt. contra Paul. Samoſaten. Tom. 2. Auct. Bibl.

## §. 3. *Ratio.*

ConsILIVM à Deo, Ergo pVra à Labe. 220.

GAmaliel, Divi Pauli Magiſter, cùm in publico conſilio, de Apoſtolorum doctrinâ altercaretur, & mille Sophiſmata in eum conijcerentur, altâ voce dixit: *Sinite illos, quoniam, ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, opus diſſolvetur, ſi verò ex DEO eſt, non poteritis diſſolvere illud, ne fortè & DEO repugnare inveniamini.* Act. 5. v. 38. Similiter & nobis argumentari licebit: Si Sententia, aſſerens immaculatam Beatæ Virginis Conceptionem, falſa eſſet aſſertio, aut humanum conſilium, firmiſque rationibus & fundamentis deſtitutum, procul dubiò jam à tot fortiſſimis oppugnatoribus acriter illam impugnare, & expugnare, totis viribus conantibus, pridem devicta, ac ſuperata corruiſſet. Quia verò econtrà videmus, & experimur, hanc piam ſententiam, de die in diem, nova ſemper incrementa ſuſcipere, tenaciùs quotidiè fidelium, etiam doctiſſimorum, mentibus inhærere, ipſamque Eccleſiam Catholicam magìs, & magìs in illam propendere, non leve utique fundamentum erit, hanc non ab humano conſilio, aut ingenio aliquod ex-

excogitatum eſſe, ſed à DEO ipſo doctam fuiſſe.


## §. 4. *Hiſtoria.*

221. VXorIs, In AqVæ, & partVs DVpLICI angVſtIâ, pVra VIrgo refVgIVM.

VIr erat Cantuariæ in Angliâ, Virgini Beatiſſimæ ſingulariter devotus: hic Romam petiturus, ac Sacra Apoſtolorum Limina, cum alijs, quæ eâ in Urbe ob Sanctitatem conſpicua intellexerat, devotè viſitaturus, conjugem ſuam ſecum deducebat, partui proximam, & erga immaculatam Virginis Conceptionem ſpecialiter affectam. Jamque iter non modicum exegerant, cùm adveniente partûs tempore, ingens exorta Maris intemperies, omnibus extremum minabatur exitium. Hoc in periculo, ne omnia pariter ſubverterentur, ac in profundum miſerè demergerentur, conſilium nautæ inierunt, Matronam partui proximam, ſicque duplici jam periculo obnoxiam, modicæ extra Navigium tabulæ imponendi, ac fluctibus committendi. Quo facto, cùm ab omnibus ſe deſertam, atque evidenti vitæ periculo expoſitam mulier conſpiceret, in hac duplicî, aquæ nimirùm & partûs anguſtiâ, animum ad Deiparam erigit, refugiumque purâ in Virgine ponens, voto ſe obſtringit, Feſtum Conceptionis immaculatæ, ſi periculum hoc præſens evaderet, devotiùs longè, ac ferventiùs celebrandi, quàm unquam antehàc aſſueviſſet. Vix votum fecerat genitrix ab omnibus derelicta, cùm ecce! ad Conceptionis ſuæ immaculatæ recordationem, mox Virgo Beatiſſima viſibiliter præſens aſtitit, ac miſellam, inter procelloſas Maris undas periclitantem, miſericorditer ad littus deducens, è præſentiſſimo mortis horrore, & anguſtiâ adeò liberavit, ut nè quidem infans vitâ privaretur, ſed ſanus in lucem prodiret: quo etiam in actu, mirandâ prorsùs charitate, tamdiu obſtetricis munera ſupplere MARIA voluit, quouſque deſtituta omni humano auxilio puerpera, tandem ab alijs hominibus ad Maris littus adventantibus, quantum neceſſe fuerat, adjuvaretur. *Bernardin. de Buſti. ſerm. 8. de Concept.* Ex qua Hiſtoria verè confirmatur illud Oroſij, conteſtantis: *Coram DEO cognovi, & in veritate expertus ſum, nullam mulierem partûs ſubire periculum, ſuper quam MARIÆ gratia invocetur, & dies Conceptionis devotè celebretur.* In Epiſt. ad Heliod.

## §. 5. *Symbolum.*

ConCepta VnDIqVe fIrMa. 222.




Hæc licèt horriſonis ſtet Pyramis undique ventis
Obvia, non tamen hinc *undique firma* cadet.
Sic concepta quidem maculæ ſtetit obvia Virgo,
Non tamen inde cadens, *undique firma* ſtetit.

*Firmabitur in illo, & non flectetur.* Eccli. c. 15. v. 3.

## §. 6. *Antiquitas.*

223. Iaſon VInCens TaVros, & DraConeM.

JAſon, Peliæ, Theſſaliæ Regis, ex fratre nepos, ab eodem in Colchidem, Aſiæ Regionem, eâ delegatus fuit conditione, ut ſi Vellere potiretur aureo (cujus cuſtodiæ vigiles adſtabant, tum Draco horrificus, tum Tauri, fulmineos efflantes ignes) par ſibi in Regno futurus eſſet. Eapropter, ſtudio tantæ adipiſcendæ gloriæ, non abſterrentibus quibuscunque difficultatibus, ab amicis objectis, ingentem Navim, cum optimo ſtrenuorum juvenum delectu, conſcendit, atque incerto, periculisque pleno itinere, ignota diu maria pervagatus, tandem, cum ſuis, ad concupita Colchorum littora, ingenti cum gaudio, appulit. Porrò, quàm arduum ſuſcipere negotium tentaret, & quanta in eo tentamine ſubeunda pericula? abundè ipſi à Regionis illius incolis exponebatur; nec tamen hæc Jaſonem terruêre, nec hilum ab ineundo cum Dracone, & Tauris certamine abſtraxêre: præſertim, cùm filia Aetæ Regis ibidem, capta generoſiſſimi hujus Juvenis amore, opportunum eidem ſpoponderit auxilium, quo citrà omnem noxam, Phrixæo potiretur Vellere, & optatam reportaret de Monſtris Victoriam: Herbarum nempe quarundam faſciculum, quas incantamento affecerat, Jaſoni porrexit, ſecuriſſimum adversùs obvia quæque pericula remedium. Hoc fultus Regiæ Virginis amuleto, adventantibus, ac ignem undique ſpirantibus Tauris, easdem objiciens herbas, adeò eos demulcebat, ac edomabat, ut jugo etiam ſeſe adjungi permiſerint. Jam verò vincendus etiamnùm Draco ſupererat, criſtâ horribilî, linguâque triſulcâ, cuſtos Phrixæi Velleris, ex arbore pendentis; hunc tamen Jaſon ſucco ab ijsdem incantatis herbis expreſſo abluit, ſicque ad ſomnum adegit, ac citrà ullam noxam, aureo potitus Vellere, domum illud Victor reportavit. *Apollon. Rhod. & Valer. flaccus.*

Glorioſa hæc Jaſonis, de Tauris & Dracone, victoria in memoriam revocat Victoriam illam glorioſiſſimæ Virginis Deiparæ, in ſuâ puriſſimâ Conceptione; quamvis enim horrificus Draco infernalis, & Tauri tartarei cuſtodirent omnî modo aureum Vellus, primæ incentiæ, ad arborem ſcientiæ boni, & mali, ab Adamo, & poſteris deperditæ; obtulit tamen, ſicut Jaſoni Regia illa Virgo, ſic Regiæ Virgini, Virginumque Reginæ MARIÆ, dulciſſimus JESUS, ex illâ naſciturus, opportunum auxiliũ, non herbarum quidem quarumcunque faſciculum, ſed faſciculũ myrrhæ, prævisæ nimirùm Paſſionis, ac Crucis, quem tartareis iſtis monſtris in primo ſtatim inſtanti objiciens, glorioſè victrix extitit, aureumque Divinæ gratiæ, ac charitatis Vellus, ab Adamo & Eva ad Paradiſi arborem derelictum, citrà ullam maculæ noxam, unica reportavit, ſicque, ſuo modo, par illi in Regno, à quo miſſa fuerat, Regi nimirùm Cœleſti, tanquam deſtinata Cœlorum Regina, aliquandò in Aſſumptione effecta eſt.

## §. 7. *Anagramma.*

aLMa DeIpara, effVgIens ContagIa Iræ orIgInaLIs. 224.

*Alma, evadis contagium irae parentum!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

De

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS XXXIII.

### §. I. *Scriptura.*

225. InfernaLIs GoLIæ sVperbIaM DeIJCIens.

1. Reg. c. 17. v. 49. *Percuſſitque eum in fronte, & infixus eſt lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem ſuam ſuper terram.*

PRogreſſus de caſtris Philiſthinorum ſuperbiſſimus Goliath, ſtansque adversùs Phalangas
v. 9. Iſrael, terrificâ voce ait: *Eligite ex vobis virum, & aſcendat ad ſingulare certamen, ſi quiverit pugnare mecum.* Quâ provocatione iteratis vicibus repetitâ, propoſita fuit magna merces illi, qui con-
v. 25. gredi auderet: *Virum, qui percuſſerit eum, ditabit Rex divitijs magnis, & filiam ſuam dabit ei.* Et ecce! obtulit ſe imbellis cæteroquin David, malè tectus paſtorculus, ac licentiâ à Saule Rege
v. 37. acceptâ, per ea verba: *Vade, & Dominus tecum ſit: elegit ſibi quinque limpidiſſi-*
v. 40. *mos lapides de torrente, & miſit eos in peram paſtoralem, quam habebat ſecum, & fundam manu tulit, & proceſſit adversùs Philiſthæum,*
v. 45. ſic illum placidè allocutus: *Tu venis ad me cum gladio, & haſtâ, & clypeo, Ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum.* Progrediuntur ergò in mutuum occurſum Goliath armatus, & David inermis, ille exercitatus in prælijs, verſatus in duellis, dexter in conflictibus, inter arma enutritus; hic rudis, imperitus, ignarus: illi arma erant ejusmodi, quæ vel ſolùm eminùs viſa terrorem Heroi cuicunque incuterent, Davidi præter fundam paſtoritiam, & pauculos lapides, nihil. Goliath ſtaturâ grandis, turris carnea, puſillus econtrà David. Verbo, nulla hujus erat ad illum comparatio, ut mirum adeò videri nemini potuiſſet, ſi David à Goliatho læſus fuiſſet. Verùm longè aliter res accidit; *miſit enim David* v. 49.
*manum ſuam in peram, tulitque unum lapidem, & fundâ jecit, percuſſitque eum in fronte, & infixus eſt lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem ſuam ſuper terram.* Sic uno in Goliathi frontem lapide impreſſo, tantam molem puer unus imbellis dejecit, confecitque, ut factum hoc jure meritò conſecutæ fuerint ab univerſo populo effuſæ in DEUM laudes, præconia in Davidem, debellatio in hoſtem, admiratio in lapidem.

Davidem vidimus, MARIAM inſpiciamus. *Elegit eam DEUS, & prælegit eam*, ut aſcenderet cum infernali Goliâ, ſuperbiſſimo tenebrarum Principe, ad ſingulare certamen; nec defuit merces Victrici Heroinæ propoſita, incomparabiles nimirùm divitiæ, juxta illud: *Multæ filiæ congregaverunt divi-* Prov. c. 31. v. 29.
*tias, tu ſupergreſſa es univerſas.* Ipſo quoque Unigenito DEI Filio MARIÆ poſtmodùm in filium dato. *Vade* ergò invicta Virago! & *Dominus tecum ſit.* & ſanè *elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides* de torrente, imò de Mari proprij Nominis deſumptas quinque litteras M. A. R. I. A. ſeu potiùs alios quinque lapides limpidiſſimos, è dulciſſimo illo futuri ſui Filij Nomine mutuatos J. E. S. V. S. ut dicere omninò cum Davide poſſet: Ego locò gladij, haſtæ, aut clypei, venio ad te, in Nomine Domini exercituum. Sicut ergo quinque lapidibus Davidicis, teſte Philone, erant inſcripta quinque de Antiq. Bibl.
Nomina: *Abraham, Iſaac, Jacob, Moyſes, Joſue*, quo ultimo Nomine, anagrammaticè: *O JESU!* myſticè: *Salvator*, interpretetato, lapidique quinto inſcripto, venientem in occurſum Philiſthæum in fronte percuſſit, adque terram glorioſè proſtravit, ſic MARIA, Genalogiæ Abrahamicæ complementum, *de quâ natus eſt JESUS*, hoc ulti- Matt. c. 1. v. 16.
mo,

mo, ſed adverſùs quemcunque hoſtem validiſſimo, ac efficaciſſimo Nomine mediante, diabolum in ipsâ Conceptionis ſuæ immaculatæ primâ fronte percuſſit, caputque impium, de tot victorijs, à reliquo humano genere in Paradiſi arenâ obtentis inſolenter ſuperbum præſcidit. Hìc ſilentio involvere non poſſum devotiſſimas laudes, quas ob ſuam David Victoriam Domino decantavit; ait enim: *Benedictus DEUS meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum, miſericordia mea & refugium meum, ſuſceptor meus & liberator meus: qui redemiſti ſervum tuum de gladio maligno, &c.* Porrò dubium non eſt, locutum hìc fuiſſe Davidem de gladio Goliath, maligno utique, quem adeò maligna ſuſtinuit dextera, maligno, qui innocentis paſtorculi ſanguinem ſitiebat. Verùm non exiguum hìc oritur dubium, nempe, cùm David nunquam fuerit læſus ab illo gladio, cùm à Goliatho vulneratus non fuerit, multò minus lethale vulnus illi inflictum; cur gratias agit, quòd redemptus à Domino fuerit: *Redemiſti ſervum tuum de gladio maligno?* Verùm David agnovit, longè majus ſibi beneficium præſtitum fuiſſe, quòd planè à periculo mortis fuerit præſervatus, nullumque à maligno Goliathi gladio vulnus acceperit, quàm ſi accepto vulnere reſanatus, & periculo mortis fuiſſet ereptus; & hanc gratiam vocat *redemptionem*: *Redemiſti ſervum tuum, &c.* ſuper quæ verba Caſſidorus: *Non quòd vulneraverit illum priùs gladio ſuo Goliath, ſed quia præſervavit eum Dominus de talî gladio, ait: Redemiſti ſervum tuum.* En præclaram hiſtoriam! ex qua cognoſcere licet, qua ratione etiam Virgo Beatiſſima ab omnî peccato, etiam originalî, fuerit redempta. Malignus certè gladius eſt peccatum originale, hoc gladio infernalis Goliath aggreditur, & ferit omnes, qui de Adamo deſcendunt, ſola MARIA, per eximiam prærogativam, ita fuit, Davidis inſtar, ante omne vulnus redempta, ut à peccato originalî, prorſus & ſemper, etiam primo Conceptionis momento, fuerit illæſa. Tantæ Virginis glorioſo exemplo animati, deſcendamus & nos, ceu novelli Davides, in paleſtram contra Goliam, peccatum ſcilicèt, & infernalem hoſtem: immittamus frequenter in fundam orationum noſtrarum dulciſſimum Nomen *JESU*, myſticum lapidem; ſic enimverò, ductu fortunato, peccatum omne feliciter proſternemus, & mercedem Victoriæ in Cœlis obtinebimus magnam nimìs.

Pſal. 143. v. 1.

v. 10.

## §. 2. *Authoritas.*

### S. DIonIJsIVs AreopagIta Cernens ILLIbataM. 226.

1. *Perſpexi, atque proprijs oculis intuitus ſum Deiformem, atque ſupra omnes Cœlicos ſpiritus Sanctiſſimam Matrem Chriſti JESU, Domini noſtri.* Epiſt. ad Paulum præceptorem ſuum.
2. *Ductus fui ad Deiformem præſentiam altiſſimæ Virginis, & tantus me, tamq; immenſus Divinus ſplendor circumfulſit, ut nec corpus infelix, nec ſpiritus poſſet totius, ac tam æternæ felicitatis inſignia ſuſtinere.* Ibid.
3. *Teſtor, qui aderat in Virgine DEUM, ſi tua Divina præcepta non me docuiſſent, hanc ego verum DEUM eſſe credidiſſem.* Ibid.

Quomodo autem hic Author MARIAM dicere *Deiformem* potuiſſet, ſi deformem aliquandò maculam contraxiſſet, cum nullum in DEO peccatum, aut tenebræ eſſe poſſint?

## §. 3. *Ratio.*

### FILIVs genItrICeM sIne Labe Integrè poſsIDet. 227.

JUxta L. *Poſſidet: Plures eandem rem in ſolidum poſſidere non poſſunt: Contra naturam quippe eſt, ut cùm aliquid ego teneam, tu quoque id tenere videaris.* Ergo Beatiſſima Virgo MARIA, in primo inſtantî ſuæ Conceptionis, peccatum originale contrahere non potuit. Conſeq. prob. Beata Virgo MARIA Prov. c. 8. de ſeipsâ teſtatur: *Dominus poſſedit me, in initio viarum ſuarum.* Sed quicunque con-

trahit peccatum originale, vel actuale, dicitur eſſe ſervus diaboli, vel ab eo poſſideri: Ergo Beata V. MARIA, in primo inſtanti ſuæ Conceptionis, peccatum originale contrahere non potuit; cùm tunc plures, nempe DEUS, & diabolus MARIAM poſſiderent, quod implicat.

## §. 4. *Hiſtoria.*

228. EpIsCopI CarthagInensIs, hoſtIs DeIparæ, sVbItanea Mors.

EPiſcopum quendam Carthaginenſem, apud Indos occiduos, cui Petro de la Vega Nomen, in medium producimus: hic, cùm infenſiſſimum ſe hoſtem ſententiæ illius, quæ MARIAM, in ſuâ Conceptione, immaculatam aſſerit, in pluribus occaſionibus, demonſtrâſſet, tandem inaudijt, Religioſam quandam Proceſſionem à devotis quibusdam Chriſtianis, MARIÆ cultoribus, in honorem dictæ Conceptionis immaculatæ inſtituendam; Hinc indignè ferens tantum, qui Virgini exhibendus eſſet, honorem, complures conſtituit nebulones, qui devotè incedentes invaderent, ac inſolentî lapidatione diſpergerent. His ergò juſſa improbè exequentibus, Cœlum non diù tulit injuriam, Reginæ in devotis ſuis illatam; ipſe enim Epiſcopus, ſceleris auctor, mox Divinam ſenſit ultionem; nam, cùm nocte, proximè factum ſubſequentî, valens, ac vegetus dormitùm conceſſiſſet, dormijt, nec reſurrexit; morte namque ſubitaneâ, eâdem nocte, extinctus, pœnas dedit, utinam non etiam æternas! Sic hoſtes ſuos, ulciſcente Filio, immaculata Genitrix proſternit. Hoc porrò Miraculum, in Congregatione Sacri Officij, recenſitum fuit, à Purpurato Patre Bellarmino, tertio loco, coram ipſo Summo Pontifice, Paulo V. Anno Milleſimo Sexcenteſimo, Decimo Septimo.

* * *

## §. 5. *Symbolum.*

SerpenteM ConfVnDIt PsIttaCVs. 229.




Quid nidum affectat Serpens, quem Pſittacus altæ
Impoſuit frondi? Fallitur: ipſe ruet.
Quid Serpens Matrem affectat, quam Gratia Prolis
Prima Cruci impoſuit? Fallitur: ipſe ruit.

*Decipies, & prævalebis.* 3. Reg. c. 22. v. 22.

## §. 6. *Antiquitas.*

NIJMphæa HerCVLea, è PaLVDe. 230.

NYmphæam, florem perpulchrum, candidis conſpicuæ magnitudinis folijs præditum, Lilio cæteroquin non multùm diſſimilem, è paludibus plerumque progigni, experientia teſtatur. Florem hunc, Heraclion, ſive Herculeum, ideò jam pridem nominavit Antiquitas, eò quòd illius radicem, Herculis clavam diſtinctè repræſentantem obſervaverit. Unde etiam ſuam fabula ducit originem, Nympham ſcilicet, ejus amore captam, poſtmodùm in hunc ipſum florem, admirabilî metamorphosî, transmutatam fuiſſe.

Verùm faceſſat fabula, ubi MARIA cum veritate laudanda eſt! Hanc nimi-

mirùm, cùm ex Adamo conceptam legimus, Nymphæam quidem, ex lutoſâ palude conſurgentem negare non poſſumus; Quemadmodùm enim hæc ex ſordibus, ſic illa ex peccatoribus nata eſt, candore tamen, ut ſemper intacto, ita primum decorem undequaque ſervante. Quòd ſi clavam in radice quærimus; Ecce! in radice MARIÆ, hoc eſt, in puriſſimo Ejus Conceptu, clavam plusquam Herculeam, Gratiam Divinam, quâ nimirùm Hydram, & peccatum glorioſiſſimè eliſit: ut hanc ipſam ob cauſam, immaculatam Verbi Genitricem, Numinis Florem non immeritò appellemus, ad eum prorſus modum, quo Nymphæa Flos Herculis dictus; quia MARIÆ amore captus ipſe unigenitus DEI Filius, poſtmodùm in hunc florem, florentem ſcilicèt Virginis uterum, ſe demittere non dubitavit.

### §. 7. *Anagramma.*

VIrgo ConCepta, AnIMa prVDens. 231.

*Virgo, et anima prudens, et immaculata!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS XXXIV.

### §. 1. *Scriptura.*

232. Magna ſoCIetas! pVLChrè ConCepta, pVLChro ſoCIata.

1. Reg. c. 18. v. 1. *Anima Jonathæ conglutinata eſt Animæ David.*

SUmmam Davidem inter, & Jonatham dilectionem paucis expreſſurus Sacer Hiſtoricus, *Anima*, inquit, *Jonathæ conglutinata eſt animæ David.* Quam amiciſſimam formoſiſſimorum Juvenum ſocietatem paulò ampliùs explicaturus, poſt pauca, hæc recenſet: *Inierunt autem David, & Jonathas fœdus, diligebat enim eum, quaſi animam ſuam. Nam exſpoliavit ſe Jonathas tunicâ, qua erat indutus, & dedit eam David, &c.* Ut verè hìc adimpletum
v. 3 & 4 videatur ſub voculis iſtis: *David et Jonathas*, Myſteriosè recluſum Anagramma: *Hodie data unitas.*

Sed quid hæc, Jonatham inter, & Davidem ſocietas, conglutinatio, dilectio, unitas, reſpectu magnæ ſocietatis, pulchrè Conceptæ, pulchro ſociatæ? reſpectu, inquam, conglutinationis, ſummæque dilectionis Filium inter, & Matrem, *JESUM, & MARIAM?* de qua Sacris in Canticis dicitur: *Anima mea liquefacta eſt, ut dilectus locutus eſt.* c. 5. v. 6. Et ipſa de ſe teſtatur: *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Cant. 2. v. 16. Felix profectò futuræ DEI Genitricis, cum Filio naſcituro conglutinatio! inierunt certè fœdus ſummæ dilectionis. Sed quale? Audiatur Guarricus Abbas, DEUM ſic diſcurrentem in medium producens: *Nullus mihi plus miniſtravit in humilitate meâ, nulli abundantiùs miniſtrare volo in gloriâ meâ, communicâſti mihi, quòd homo ſum, communicabo tibi, quòd DEUS ſum, &c.* Serm. 1. de Aſſumpt. Sicque propemodùm exſpoliavit ſe Divinus Jonathas tunicâ, quâ erat indutus, exinaniendo ſemetipſum, formamque ſervi ex MARIA accipiendo. *O qualis Societas!* Serm. de Aſſumpt. exclamat Hugo Victorinus, *Totus pulcher totam pulchram ſibi ſociat. Ego totus pulcher, & tu tota pulchra, Ego per naturam, & tu per gratiam. Ego totus pulcher, quia totum quod pulchrum eſt, in me eſt: tu*

*tu tota pulchra, quia nihil, quod turpe eſt, in te eſt,&c.* Et ſanè, quid Virgine ſpecioſius excogitari potuiſſet, cujus indumentum non tam frontis rubor, quàm mentis robur? Hæc, hæc erat illa forma, quam adeò Cœleſtis Jonathas
Pſal. 44. v. 12. concupivit: *Concupiſcet Rex decorem tuum.* Hæc nuptias DEUM inter, & hominem conciliavit: Hæc innocenti faſcino ligavit Patris æterni Filium, & de ſinu illius, in Virgineum traxit uterum. Verbo, hæc forma *Specioſæ inter filias Jeruſalem*, traxit in amorem *Specioſum formâ præ filijs hominum.* Quid autem inde ſecutum? idipſum certè, quod in Davide, & Jonathâ, nimirùm: *Hodie data unitas. O Hodie* ter beatùm! illud ſcilicet ante omnia ſecula,
Pſal. 2. v. 7. de quo dicit Omnipotens: *Ego hodie genui te.* Bina nimirùm illa, tum Filij, tum Matris, incomparabilis ſpecies, ita jam tum Animam Mariæ cum Animâ Filij conglutinabat, ut aſſerere D. Fulbertus Carnotenſis minimè dubitârit:
Serm. de Nativ. B. M. *Una eſt MARIÆ, & CHRISTI caro, & Filij gloriam cum Matre non tam communem judico, quàm eandem.* Quod Divus quoque Petrus Damianus hiſcè verbis
Serm. 2. de Nativ. confirmat: *Ineſt enim MARIÆ Virgini DEUS identitate, quia idem eſt cum illâ.* quod priorî etiam Sermone idem Sanctus Pater inſinuare voluit, cùm
Pet. Dam. Serm. 1. de Nat. dixit: *Habitat DEUS in Virgine, habitat cum illâ, cum qua unius naturæ habet identitatem*: non quia perſona Chriſti ſit perſona Mariæ, abſit! ſed quia Maria carnem, & ſanguinem dedit Chriſto. Ex hac proinde tantâ inter Matrem, & Filium connexione, imò identitate, facilè deduci poteſt, quàm aliena ſit à Maria culpa originalis, quámque indecens eſſet Matrem DEI maculatam fuiſſe infauſtâ illâ primi Parentis labe? Enimverò, ſi Maria à primâ illâ prævaricatione non eſſet immunis, ſed veneno ſerpentis aliquandò infecta fuiſſet, ſuperbè præſumere poſſet culpa, ipſum Chriſtum tantæ Matris Filium, adeò illi unitum, adeò ſociatum, conglutinatum, & vix non identificatum, eâdem turpî maculâ infeciſſe, quem tamen omnîs peccati prorſus incapacem novimus. Huic ergo Virgini puriſſimæ, immaculatæ, pulchrè conceptæ, pulchro ſociatæ, Filio per omnia conglutinatæ, & nos conjungi ſtudeamus! ſociemur per puritatem corporis, conglutinemur per candorem mentis, ut Mariæ, ejúsque Filio æternùm quoque ſociari in Cœlis mereamur.

## §. 2. *Authoritas.*

DIonIJ sIVs CarthVsIanVs, VIrgIneM eXtra tVrpe VVLnVs propVgnans. 233.

1. *Etenim neque fœminarum aliqua, neque virorum aliquis, qui ex naturalî concubitu in lucem hanc prodierunt, immunem habuerunt ab hac labe originalî Conceptionem: Beata autem hæc Virgo à retiaculo hoc criminum tam longè ſublata eſt, ut verè dixerit, ſingularem eſſe in toto terrarum orbe.* Serm. de Concept. B. Virg.
2. *MARIA columba eſt, in qua nunquam fuit radix amaritudinis, fellea auſteritas, ſed ſimplicitas ſapientialis, inviolata.* In Cant. 2.

## §. 3. *Ratio.*

PotentIa, & VoLVntate, DEI Mater Labe Caret. 234.

CHriſtus, ut DEUS, potuit, & voluit ſuam Sanctiſſimam Matrem eximere à peccato originalî, in primo inſtantî ſuæ Conceptionis. Ergo eam exemit; cùm velle DEI ſit ipſum operari, juxta teſtimonium Scripturæ: *Fiat* Gen. c. 1. v. 3.
*lux, & facta eſt lux: Omnia quæcunque* Pſal. 113.
*voluit fecit: Omnis voluntas mea fiet, &c.* v. 3.
Conſeq. patet. 1.ª etiam antecedentis Iſaiæ c. 46. v. 10.
pars certa eſt; cùm nulla oſtendi poſſit rei hujus implicantia. 2.da pars probatur: Omne illud Chriſtus voluit, quod non cadit in opprobrium ſuæ Sanctiſſimæ Matris: Atqui eſſe conceptam in peccato originalî, omninò caderet in opprobrium. Ergò cùm Chriſtus potuit, etiam voluit, ſuam San-

Sanctiſſimam Matrem eximere à peccato originalî, in primo inſtantî ſuæ Conceptionis. Et hæc eſt ipſa ratio *Richelij in 3. Diſp. 3. qu. 1. ſub finem.*

## §. 4. *Hiſtoria.*

235. pICtorIs à LapsV LIberatIo, per effIgIeM DeIparæ.

Specialis erga puriſſimam, ac prorſus immaculatam Deiparæ Conceptionem devotio, quam Pictor quidam in Flandriâ, artis ſuæ cæteroquin peritiſſimus, gerebat, & in dæmonem econtrà, à quo graviſſimis, ſpurciſſimisque tentationibus frequenter infeſtari ſe ſenſerat, odium, ſatis ex eo colligi poterat, quòd dum, quotiescunque effigies quædam Virginis DEI Genitricis efformanda erat, omnem ipſe artem, ac induſtriam, pro viribus exercuit, ut quàm præſtantiſſimè eximiam Virginis pulchritudinem, ac decorem penitus incomparabilem, vivis adumbrare coloribus: dæmonem econtrà, ſi & ille pingendus eſſet, omnî deformitate poſſibilî abominabilem exhibere poſſet. Contigit, ut in publicâ quondam Urbis plateâ, immaculatæ Deiparentis Imaginem, ad recens dealbatum Domûs cujusdam parietem appingere deberet; qua occaſione dæmonem, in ſpecie formidabilîs cujusdam Draconis, contrito capite, Virgineis ſubjectum pedibus exhibiturus, id, more ſolito, omnî poſſibili diligentiâ præſtitit. Ægrè ferebat ſuperbus Lucifer tam deſpicabilem deformitatem; hinc, ut vindictam tam de MARIA, quàm de pictore ſumeret, cùm cuncta jam eſſent feliciter perſoluta, ligna illa omnia, quibus Pictor ad murum ſuſtentabatur, uno momento ſubvertit, ac in plateam, magno cum fragore, dejecit. Hìc collum ſine dubio, ac crura omnia, Pictor confregiſſet, niſi miraculo planè inaudito, per ipſam recens abſolutam Immaculatæ effigiem, à fatalì lapſu fuiſſet liberatus. Enimverò, cùm ultrà non haberet, lignis omnibus decidentibus, cui inhærens ſuſtentaretur, plenus fiduciâ, appictum muro Virginis veſtimentum, ac ſi propriè tale eſſet, manu arripuit, tantoque illi tempore firmus adhæſit, ac in aere pendulus remanſit, donec ab accurrente hominum multitudine, miraculum obſtupeſcente, ſcalæ admoverentur, queîs illæſus deſcendere poſſet, quod & feliciter factum eſt. *Leo VVolf in Feſtiv. Con. 2. de Concept.*

## §. 5. *Symbolum.*

CIJgnVs non MaDefaCtVs. 236.




Quantumvis medijs, plumis candentibus, undis
Inſideat Cygnus: plumula nulla madet.
Sic vicina licet maculæ, concepta MARIA,
Peccati in medijs Sicca remanſit aquis.

*Cùm tranſieris per Aquas, tecum ero, & Flumina non operient te.* Iſaiæ c. 43. v. 2.

## §. 6. *Antiquitas.*

artIfICIoſæ ProtogenIs pICtVræ Deeſt gratIa, non MarIæ. 237.

Septem propemodùm conſumpſiſſe annos Protogenem, celeberrimum illum Artis pictoriæ Phœnicem, in depingendâ talî quadam Imagine, cujus raro, ac vix imitando artificio, immortale ſibi nomen apud poſteros compararet, antiqui memorant Scriptores

tores, præſertim Plinius *Lib. 35. c. 10.* Hæc porrò imago, cùm ſuam jamjam perfectionem, poſt ſummam tanti temporis diligentiam, obtinuiſſet, paulò poſt, ex Inſulâ Rhodo, Romam translata, ibidem in Templo pacis, in loco præ reliquis conſpicuo, collocari meruit. Cùm autem, die quâdam, Apelles Templum ingreſſus, eandem fuiſſet intuitus, in hæc verba prorupiſſe fertur: *O eximium Opus! ô rara res! Summus labor! artificium maximum!* ne autem laudatorem tantùm, ſed & momum ageret, ſequentia ſubjunxit: *Una Imagini huic deeſt gratia, ſive vita, quam ſi habuiſſet, procul dubio immortalis fuiſſet.*

Longè aliter de MARIA, Imagine illâ elegantiſſimâ, quam tota Sacroſancta Trinitas, veluti perfectiſſimum Omnipotentiæ opus, maximo artificio, ab æterno elaboravit, diſcurrere poſſumus, pro quâ Spiritus Sanctus, majorî longè ſtudio, fuit ſollicitus, ita eam in primo illo Conceptionis inſtantî, à turpiſſimâ peccati originalîs maculâ præſervando, ut momum minimè admittat, dicentem, Sacratiſſimæ huic, ac vivæ Numinis Imagini gratiam aliquando defuiſſe, quam, non absque myſterio, Arch-Angelus, DEI nuntius, *gratiâ plenam* concelebrat, ſine ullâ temporis præteriti, præſentis, aut futuri additione, ut nimirùm intelligeretur, nullum omninò tempus fuiſſe, imò nec momentum extitiſſe, quo MARIÆ gratiam defuiſſe, dici poſſet.

### §. 7. *Anagramma.*

VoCata sIne oMnI Labe, 238.
aLta graDV!

*En minimè vocata es impura: alta gradu!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS XXXV.

### §. I. *Scriptura.*

239. MarIa VIrgo, ArCa pVra,
non attreCtanDa.

2. Reg. c. 6. v. 6. *Extendit Oza manum ad Arcam DEI, & tenuit eam.*

CUm Arca DEI novo fuiſſet plauſtro impoſita, ac præcedente, Citharamque ſuam pulſante Davide, omnique Iſraël varijs inſtrumentis colludente, de domo Aminadab abduceretur, triſtis in itinere caſus accidit; vix enim incautus Oza manum paulisper ad Arcam DEI extenderat, tenens eam, cùm ecce! *Iratus eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate, qui*
v. 7. *mortuus eſt ibi juxta Arcam DEI.*

Quod hìc Ozæ, incauto Arcæ fœderis, plauſtrique, quo vehebatur, attrectatori contigit, hoc idem timendum ijs, qui puriſſimam Numinis Genitricem, quam felicem DEI Arcam jam ſæpiùs oſtendimus, indignè tractare, & non tantùm pollutis affectuum, aut ſordidis actionum pedibus, Currum hunc aſcendere, verùm inſuper temerarijs manibus, id eſt, opinione in maculam pertinaciter inclinante, improbè contrectare non erubeſcunt; Quemadmodùm enim Neſtorius, hæreticæ pravitatis anteſignanus, à DEO graviter eſt percuſſus, eò quod Marianam hanc Arcam Deiferam, ſive Matrem DEI fuiſſe negârit; adeò, ut impia ejus lingua à vermibus fuerit conſumpta: Quemadmodùm Conſtantinus Copronimus, Græcorum Imperator (referentibus Glicâ, & Cedreno) parem tulit vindictam, eò

quòd MARIAM marſupio, omnî auro, ac pecuniâ ſpoliato, ac vel ideò parùm æſtimato, comparare ſit auſus, ita ut peſtilentî tumore correptus, diræ morti in prædam ceſſerit, ac cognitâ ſui mali causâ, errorem revocârit; Quemadmodùm Cajanus Comicus, in MARIAM impius, ab eâ quidem in ſomnis admonitus, nec tamen reſipiſcens, alterâ die ſine manibus, ac pedibus eſt inventus: ſic iram quoque Domini pertimeſcant illi, qui MARIAM Virginem, Arcam puram, auſint attrectare. Sciant nimirùm, in criminalibus, nulli licitum, *accuſare Imperatricem, vel Reginam gravis cujusdam delicti, niſi probas habeat, luce meridianâ clariores.* Ex quo diſcant, nemini licitum, accuſare MARIAM, digniſſimam Cœli Reginam culpæ originalîs, cùm non tantùm ad hoc defendendum clara proba deficiat, verùm potiùs luce meridianâ clariores convenientiæ, ac probæ, pro im̃aculatâ inveniantur. Hinc timeant calumniatores; ſicut enim, jam in hac vitâ, à ſummo Chriſti in terris Vicario, ſpecialiter à Sixto IV. Excommunicatione, ipſo facto incurrendâ, ſolique Romanæ Sedi reſervatâ, percutiebantur omnes ij, qui publicè auderent dicere, falſam eſſe opinionem, quòd fuerit MARIA ſine labe concepta, Concilio quoque Tridentino, dictum fulmen in refractarios detonandum clarè confirmante: ſic etiam in alterâ vitâ, graviter à Divinâ Nemeſî percutientur; *Maledicti* nimirùm *erunt*, O MARIA! *qui contempſerint Te, & condemnati erunt omnes, qui blaſphemaverint Te. Ecce confundentur, & erubeſcent omnes, qui pugnant adverſum te, erunt quaſi non ſint, & peribunt viri, qui contradicunt Tibi, quæres eos, & non invenies viros rebelles tuos, erunt, quaſi non ſint, & veluti conſumptio, homines bellantes adverſum Te.* Et meritò hæc ſimilibus eveniunt; Currus enim humilitatis eſt MARIA; hinc tales ſuperbos reſpuit: vehiculum eſt, quo ad Cœlos itur, hinc illos non aſſumit, qui mundi ſemitas MARIAM triviſſe defendunt: Currus eſt igneus, hinc tepidos, atque in jugî immaculatæ ſuæ Conceptionis ſervitio torpentes refugit: Recto hic Currus tramite ad aſtra procedit; unde illo vehi non poteſt, qui cum impijs, impiè de MARIA ſentientibus, *in circuitu ambulat.* Aſcenſus ad hunc Currum purpureus eſt, & roſeo Agni immaculati Sanguine tinctus; hinc cavendum à ſiniſtris de illâ cogitationibus, quæ ex prævisis effuſi hujus Sacratiſſimi Sanguinis meritis, à communî labe eſt præſervata. Illis tantummodò Marianum hunc Currum ſecurè attingere, imò omninò inſilire permiſſum, quorum pedibus, hoc eſt, in Immaculatam affectibus, Amor addidit alas, & promovendi Virginei cultûs, honoriſque illibati ſtimulans deſiderium calcar ſubminiſtravit. In corde enim devoti Mariophili, cum Davide Rege, ante Arcam, hilarî devotione procedentis,

*Virginis hæc magnum gloria calcar habet.*

Hinc, pro coronide, dicere omnibus, & ſingulis idipſum audeo, quod in Actibus Apoſtolorum Spiritus dixit Philippo: *Accede, & adjunge te ad currum iſtum!* id eſt, accedamus cum fiduciâ, ad Currum hunc Virgineum, immaculatum, minimè attrectandum, noſque ei jugiter adjungamus! accedamus per devotionem, adjungamus nos per imitationem: ut hoc Curru, & hac Arcâ deducente, ad felicem Cœleſtîs Patriæ terminum pertingere valeamus.

Joann. Moſcus Prat. Spirit. c. 4

L. 5. ff. de pœnis l. ult. cod. de probat. C. litteras de præſumpt.

In Extravag. *grave nimis* de Reliq. & vener. SS. Seſs. 5. decret. de peccato orig.

Job, 13. v. 16.

Iſaiæ. 41. v. 11. & 12.

Pſal. 11. v. 9.

Act. 8. v. 29.

## §. 2. *Authoritas.*

S. DOMInICI opInIo, pro pVra, & ILLIbata. 240.

*Sicut primus Adam fuit ex terrâ Virgine, & nunquam maledictâ formatus, ita decuit, in ſecundo Adam fieri, ſcilicèt Chriſto, cujus Terra, id eſt, Mater Virgo, nunquam fuit maledicta.* Tract. de Corp. Chriſti, contra Albig.

§. 3.

## §. 3. *Ratio.*

VIrgInIs ILLIbatæ perfeCtIor
241. reDeMptIo.

PRæter Redemptionem liberativam, communiter modò Theologi ſtatuunt etiam præſervativam, quam Sacra Scriptura videtur indicare Pſal. 85. v. 13. *Eruiſti animam meam, ex inferno inferiori:* In quem locum S. Auguſtinus ſic commentatur: *Quemadmodùm, ſi Medicus videat tibi imminentem ægritudinem, fortè ex aliquo labore, & dicat tibi: parce tibi, ſic te tracta, requieſce, his cibis utere; nam ſi non feceris, ægrotabis: tu autem, ſi feceris, & ſanus fueris, rectè dices Medico: liberaſti me ab ægritudine, non in qua eram, ſed in qua futurus eram, &c.* Inter duas verò has redemptiones, præſervativam omninò perfectiorem eſſe, videtur poſſe ex eo manifeſtè oſtendi, quia illa magìs cedit in gloriam redimentis, majoremque virtutem requirit in præſervante. Quis enim non magìs celebret Belli-Ducem, qui hoſtes longâ Victoriarum ſerie ita peſſundat, ut ille tamen nullo ſanguinis pretio, aut cladis propriæ periculo triumphum mercari debeat, atque adeò cogatur materiam aliquam hoſtibus relinquere, propter quam adhuc exultent, ſe nempe ſuccubiſſe quidem, at non penitùs inultos? vel quis non præclariorem dicat Archiatrum, qui omnem ſanitatis, & morborum viciſſitudinem avertit? aut Navarchum, qui periculo etiam navigantes eximit? Atqui de ratione perfectiſſimi Artificis eſt, ut in ſubjecto perfectiſſimo Opus perfectiſſimum exerceat. Ergo, cùm Beata Virgo fuerit perfectiſſimum ſubjectum redemptionis, & Chriſtus perfectiſſimus Redemptor, juxta Apoſtolum, de quo etiam Pſalmiſta Pſ. 29. *Copioſa apud eum redemptio,* de ratione erat, ut reſpectu MARIÆ perfectiorem exerceret redemptionem, quæ nempe erat præſervativa.

## §. 4. *Hiſtoria.*

B.Anna, ob partVM pVræ 242.
FILIæ, CoLenDa.

BEatam Annam totam gratioſam; imò ipſam *Gratiam* interpretandam eſſe, facilè ex eo conſtat, quòd dignam fuiſſe ſciamus, concipere, & parere Filiam, *gratiâ plenam.* Quisquis porrò à ſummo bonorum omnium largitore DEO, gratiam obtinere deſiderat, noverit, perutile ſibi fore, non Filiæ tantùm MARIÆ, ſed & Annæ Matris, per ſingularem erga eas devotionem, promereri patrocinium. Hoc cliens aliquis, Divæ Annæ longo jam tempore ſpecialiter addictus, ab ipsâ Beatiſſimâ Virgine fuit edoctus; dum enim in Oratione diutiùs ille aliquandò perſiſteret, apparentem ſibi habuit glorioſiſſimam Cœlorum Reginam, ſpecie, ac pulchritudine incomparabilem, mirâ luce circumfuſam. Quem autem in finem, adeſſe oranti MARIA voluit? cauſa certè alia non fuit, quàm, ut ad ulteriorem, imò in dies majorem cultum, erga Divam Annam, ſervulum animaret, modum inſuper edoceret, Eandem debitè colendi, ac ſummo cum fructu honorandi. Et quisnam ille modus à MARIA edoctus? audite. In memoriam ſcilicèt revocando partum puræ Filiæ, ac ſæpiùs hæc verba, Divæ Annæ acceptiſſima, devotè proferendo: *Benedicta ſit Sancta Anna, Mater MARIÆ, ex qua immaculata proceſſit Caro MARIÆ.* Philippus Kiſelius, *in Appendic. 2. ad Alv. 7. Centur. 7. Decad. 9.* Quis non etiam noſtrûm tam ſuccinctæ aſſueſcat præcatiunculæ, quâ Beatam Annam, ob partum puræ Filiæ, colendo, & Filiam, & Matrem, imò, per eas, DEUM ipſum reddere ſibi propitium poterit.

* * *

## §. 5. *Symbolum.*

243. SteLLa pIsCIs, In aqVIs MarInIs raDIans.




*Stella* datur *Piſcis*, medias qai ſplendidus Undas
Pertranſit: ſpeciem Sideris ille refert.
*Stella* MARIA *Maris* medijs magìs ardet in Undis
Criminis infauſti, dum ſine labe micat.

*Luce ſplendidâ fulgebis.* Tob. c. 13. v. 13.

## §. 6. *Antiquitas.*

244. VIrgo, DenVDato Corpore, InDeCens.

TEmpus erat, quo Civitatis cujusdam Virgines, neſcio, quo furore inſano correptæ, mirùm in ſemetipſas deſævire, ac violentas propriæ vitæ manus inferre, non dubitabant. Tandem, cùm de medijs, reliquas adhuc Virgines à tantâ crudelitate reprimendi, cogitabant omnes, ſequens Gubernatori incidit ſalutare remedium: Sciebat ille, quantùm dictæ Virgines pudicitiæ ſuæ, ac honeſtatis ſemper fuiſſent ſtudioſiſſimæ: proclamari ergo publicè faciebat, ſtatutum eſſe, ut quæ ſe impoſterùm occiſura eſſet, mox corpore in publicam plateam delato, ac turpiter denudato, in commune plebis probrum ſuſpendenda, ac omnium conſpectui exponenda eſſet. At illæ ſummam hanc pudendæ nuditatis indecentiam magìs, quàm ipſam mortẽ, perhorreſcentes, mox à crudelî delirio ceſſârunt, tantumque furorem protinùs coercentes, acquieverunt, adeò quidem, ut à die illâ, quâ lex denudationis promulgata fuit, nulla deinceps violentas ſibi manus inferre auſa fuerit. *Aulus Gellius lib. 15. noct. att.*

Quòd ſi corpus cujuscunque Virginis denudari, adeò inhoneſtum jam tùm cenſebatur, ab infidelibus etiam populis, ut ipſæ Virgines hanc ſtatûs ſui ignominiam, ipsâ etiam morte graviorem exiſtimârint, quantò magìs cenſeri debet, indecorum futurum fuiſſe, ſi Virginum Virgo, *Virgo fidelis*, quæ, ut talis, DEUM genitura erat, gratiæ veſte, vel ad momentum, denudata, in ſuâ Conceptione, mundi immundi conſpectum ſubire debuiſſet. Non ſic ſpolianda candidiſſimis iñocentiæ veſtimentis MARIA: ſed præclariſſimis potiùs Gratiæ ornamentis exornata, velut Reginam Angelorum, & DEI Matrem decebat, ingreſſa, dicenda eſt prout ipſa de ſe teſtari dignata eſt, dicens: *Induit me veſtimentis ſalutis, & indumento juſtitiæ circumdedit me.* Iſaiæ. c. 61. v. 10.

## §. 7. *Anagramma.*

MVnDa, eLeCta VIrgo, sIne Labe 245.

*Munda, amata, electa Virgo, prima venis!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

De

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XXXVI.

## §. I. *Scriptura.*

246. ArCæ DIVInæ, In DeIparâ, BeneDICta habItatIo.

2. Reg. c. 6. v. 11. *Habitavit Arca Domini in Domo Obededom Gethæi, tribus menſibus, & benedixit Dominus Obededom, & omnem Domum ejus.*

SUmmam Obededomi felicitatem, gaudijque Spiritualîs abundantiam quis enarrabit? quando Sacra Domini Arca ad ipſius deducta diverſorium, tribus ibidem Menſibus ſubſtitit, omnîque Supernâ benedictione non ipſum tantùm Patremfamilias, ſed univerſam quoque familiam ejus, ac facultates copioſiſſimè replevit. Hoc enim ſacræ nobis inſinuant Paginæ, ijs verbis: *Habitavit Arca Domini in domo Obededom Gethæi, tribus Menſibus, & benedixit Dominus Obededom, & omnem Domum ejus.* Nec tam inſolita Viri benedictio adeò occulta remanere poterat, quin ad aures ipſius Davidis Regis perveniret; ſic enim pergit Sacer hiſtoricus: *Nuntiatumq; eſt Regi David, quòd benedixit Dominus Obededom, & omnia ejus, propter Arcam DEI.*

Verùm quid hæc Obededomi felicitas, reſpectu ſummæ illius felicitatis, quæ MARIÆ obtigit? tunc nimirùm, quando incarnatum DEI Verbum, in electâ Virginalîs ejusdem uteri Domo divertens, non tribus tantùm, ſed novem omninò completis Menſibus ibidem habitavit: Ut enim Divus ait

Serm. 80. in fine. Ambroſius: *Arca intrinſecùs portabat Teſtamenti tabulas, MARIA autem ipſius Teſtamenti geſtabat hæredem.* Sicut ergo Obededom (*Servus hominis* interpretatus) & omnia ejus, ſpecialiter à Domino fuère benedicta, ut gloriari illis omninò Zachæi verbis potuerit: *Hodie Salus domui huic facta eſt.* propter Luc. 19.

Arcam nimirùm Domini, in illâ per tantillum temporis collocatam: ſic MARIA (humillima DEI-Hominis Ancilla) & omnia ejus, id eſt, ejus Nativitas, ejus Infantia, ejus reliqua in terris Converſatio, ejus in DEI Matrem electio, ejus Obitus, imò & ipſa jam ejus, in utero Matris Annæ Conceptio, ſpecialiſſimè fuère à Domino benedicta, adeoque omnîs peccati tam originalis, quàm actualîs, ac per conſequens, omnîs maledictionis penitùs excluſiva, unicè propter DEUM, à quo *Salus Domui huic facta*, quique *ventris ſub Arcâ clauſus*, in puriſſimo Virginis utero recondi voluit. Et nonnè ea ipſa Marianæ Domûs benedictio jugiter fuit nuntiata, per Cœleſtem illum legatum, Gabrielem Arch-Angelum, quòd nimirùm benedixerit ei Dominus? ait enim: *Benedicta tu in mulieribus*, cauſam ſtatim anteà clarè adjungens: *Dominus tecum.* Verè benedicta, imò ter benedicta Habitatio! Si enim pro tribus, queîs Arca ſubſiſtebat, Menſibus, Domus Obededom ſimpliciter dicitur à Domino *benedicta*, facilè credendum, ob triplicatum trium Menſium numerum, quamdiù nimirùm æternum in Virgine Verbum habitavit, triplicî benedictione donatam fuiſſe MARIAM, ut hanc ipſam ob cauſam, non immeritò Salutatio illa Angelica, ter quâlibet die repetenda, ſicque tribus diſtinctis vicibus, ad commemorationem Verbi, quod *caro factum eſt, & habitavit in nobis*, ipſa Arcæ hujus Divinæ, nempe Verbi, habitatio, *benedicta in mulieribus* ſit deprædicanda. Hìc appoſitè commendandam puto ſingularem quorundam devotionem, ab Eccleſiâ minimè improbatam, ſingulos Hebdoma-

dæ

dæ dies ita dividendi, ut quælibet ſpecialem Patronum obtineat: ſic Dies Dominica communiter Sanctiſſimæ Trinitati dedicata: Dies Lunæ dulciſſimo Nomini JESU, & quæ à Marte denominatur, SS. Angelis recolendis deſtinatur. Sic etiam Mercurius devotioni Sacri Scapularis: Dies Jovis adorando Sanctiſſimo Altaris Sacramento: Dies Veneris recolendæ ſpecialiter Sacratiſſimæ Chriſti Paſſioni aſſignatur: Sabbatum denique Beatiſſimæ Virgini, debito hyperduliæ cultu, venerandæ, devotis per Eccleſias Litanijs, alijsque filialîs erga Matrem reverentiæ ſignificationibus applicatur. Porrò quærere quis poſſet, cur locum hunc ultimum, nempe diem Sabbati MARIA obtineat, cujus tamen dignitas omnium Sanctorum, imò & Angelorum merita longè antecellit? Sed ſciendum: illum Sacræ Scripturæ locum hìc communiter obſervari, quo docemur, univerſi Creatorem, finito
Gen. 2. c. per ſex dies Creationis opere, Septimâ die requieviſſe, adeoque, cùm etiam in Virgine Beatiſſimâ, tanquam benedictâ habitatione, incarnatum DEI Verbum divertiſſe, ac requieviſſe ſciatur; hinc ſeptimam hanc diem, de quâ ait Sacer textus: *Requievit die ſepti-*
v. 3. *mo.* Item: *Et benedixit diei ſeptimo, & ſanctificavit illum*, MARIÆ aſſignari. Addo ego, de Creatione, ad Redemptionis myſterium procedens, ideò $7.^{mam}$ diem MARIÆ honori ſpecialiter convenire, quia primo loco pro Patriarchis, $2.^{do}$ pro Prophetis, $3.^{tio}$ pro Apoſtolis, $4.^{to}$ pro Martyribus, $5.^{to}$ pro Confeſſoribus, $6.^{to}$ pro Virginibus, laboraſſe in opere redemptionis Dominus videtur, Septimo verò loco requieviſſe, quia opus non erat labore, in præſervativâ illâ, ac prorſùs ſpeciali puriſſimæ Virginis redemptione, in qua requieſcere & habitare DEUS ſtatuit, cui proinde haud ſecùs, ac Domui Obededom gtatiosè benedixit, adeò, ut ſine omnî labe, ipsâ etiam originalî maculâ, eam concipi voluerit. Huic Domui benedictæ & nos benedicamus, dicendo eam bene Conceptam, ut per Arcam Divinam inibi habitantem, nobis quoque obveniat benedictio.

## §. 2. *Authoritas.*

### S. ELIgIVs, DoCens pVraM à Labe. 247.

1. *Nequaquam immunda judicatur, quæ Sancto Spiritu obumbrante, totius munditiæ, & Sanctitatis Auctorem genuiſſe probatur.* Homil. 2. de Purif.
2. *Denique Dominus JESUS, plenus & perfectus DEUS, plenum & perfectum hominem de Matre ſine patre ſuſcipiens, plenitudinem, & perfectionem omnium gratiarum ei contulit.* Ibid. Tom. 2. Biblioth. PP.

## §. 3. *Ratio.*

### In DEI MInIſtro reqVIsIta CapaCItas. 248.

SAnctus Doctor 3. p. q. 27. a. 4. in corp. *Illos, quos DEUS ad aliquid eligit, ita præparat, & diſponit, ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei: ſecundùm illud 2, Corinth. 3. Idoneos nos fecit miniſtros novi Teſtamenti. Beata autem Virgo electa Divinitùs, ut eſſet Mater DEI, & ideò non eſt dubitandum, quin DEUS, per ſuam gratiam, eam ad hoc idoneam reddiderit.* Ita in veterî Teſtamento, Moyſen, Eliam, Jeremiam, alioſque Prophetas, quos ad ſpecialia munera, & officia deputaverat, ſingularibus quoque beneficijs, & gratijs communiendo, idoneos reddidit: ſic quoque, in novo teſtamento, Joannem Baptiſtam, ut idoneus *Præcurſor Domini* evaderet, in utero materno Sanctificavit: Apoſtolos, ut utiles Divini Verbi præcones efficeret, Spiritûs Sancti plenitudine, aliiſque gratijs ſupernaturalibus replevit, &c. Atqui eligi in Matrem DEI, infinitè propemodùm iſta omnia enarrata Officia, excellentiâ, & prærogativâ tranſcendit. Ergò Beata Virgo, ad hoc miniſterium electa, ut eſſet idonea Mater, debuit à DEO majoribus, ac perfectioribus donis, præ alijs omnibus,

bus honorari, ut indicat S. Doctor cit. q. a. 6. ad 1.mum quòd B. Virgo, quæ fuit à DEO electa in Matrem, ampliorem Sanctificationis gratiam obtinuit, quàm Joannes Baptiſta, & Jeremias, qui ſunt electi, ut ſpeciales præfiguratores Sanctificationis Chriſti. Atqui alius ſpecialis honor ampliùs non datur, quàm eſſe Sanctificatum in ipſo inſtantî Conceptionis. Ergo, ut Beata Virgo ſit idonea Mater DEI, debuit, in inſtantî Conceptionis, à peccato originalî eſſe immunis.

## §. 4. *Hiſtoria.*

249. AnIMæ In pVrgatorIo, DEI GenItrICI Charæ.

JOannes Ximenius, devotus admodùm, ex Societate JEſu, Laicus, Anno Milleſimo, Quingenteſimo, Septuageſimo nono, pijſſimè in Domino defunctus, cùm Deiparæ Virgini ſingulariter eſſet addictus, coram Sacris ejus Imaginibus, in calidas ſeſe preces frequenter effundere conſueverat, id exoraturus, ut rectiſſimam Salutis ſuæ viam, Virgine edocente, agnoſceret. Audijt porrò, die quâdam, Matrem pijſſimam, dicentem ſibi: *Ximeni! perge, ut cœpiſti, in viâ Sacræ Obedientiæ; hanc enim ſecuriſſimam eſſe ſalutis ſemitam, ne dubites!* Id prætereà ſpecialiter annotandum, quòd, in ipſo omnium Sanctorum Feſto, ac Animarum in flammis purgantium pervigilio contigit: Orabat nimirùm, die illâ, Ximenius, ſolito ferventiùs, coram pulcherrimâ quâdam, atque ad omnem pietatem ſtudioſè elaboratâ immaculatæ Conceptionis Imagine; cumque orationem diutiùs protraheret, timens identidem, non ſatis ſe, pro miſeris illis Animabus, piaculares ignes ſuſtinentibus, deprecari, ſequentem ex Imagine vocem audire promeruit: *Ximeni! nunquam oblivîſcere Animarum harum.* Cui mox ille repoſuit: *Quinimò, Virgo Specioſiſſima! offeram impoſterùm omnia mea, tam interna, quàm externa bona opera, pro illis.* quod per totum reliquæ ſuæ vitæ ſpatium, omnî diligentiâ adimplens, non modicas (ut piè credendum) Animas flammis exſolvit, & Cœli gaudijs tranſcripſit. Ex quo conſtat primò, quàm Animæ in purgatorio DEI Genitrici charæ: ſecundò, quàm grata Superis devota vivorum pro mortuis exoratio, 3.° quàm utilis Sacrarum Imaginum, ac ſingulariter Deiparæ ſine labe Conceptæ, ſuâ in Imagine cultus, ac veneratio; cùm ſibi exinde loquentem Cœli Reginam Ximenius promeruerit. *P. Anton. Balingh. Ex vitâ P. Alvarez. c. 45. & Hortulus Marian. art. 2. c. 2.*

## §. 5. *Symbolum.*

Leo IratVs, frænVM DILaCerans. 250.




Niteris incaſsùm, generoſo fræna Leoni
Injicere: haud patitur talia vincla Leo.
Niteris incaſsùm conceptæ fræna MARIÆ
Injicere infandi criminis: haud patitur.

*Vincula tua diſrumpam.* Nahum, c. 1. v. 13.

## §. 6. *Antiquitas.*

ConſtantInopoLI, NoVatIanI TeMpLI ab Igne DefensIo. 251.

EXorto, Anno Milleſimo, Quingenteſimo, Septuageſimo quinto,

to, Die 17. Auguſti, graviſſimo incendio, quale Urbs Conſtantinopolitana nunquam hactenùs pertulerat, potiſſimam ejus partem adeò vorax flamma pervaſit, ut maxima quæque horrea, & frumentorum receptacula, conſequenter & ipſa ſplendida Ædificia, non pauca numero, conflagrârinr. Ubi illud, præ reliquis, relatu dignum, quòd, cùm in illo incendio, quidam Novatianorum Epiſcopus, Paulus nomine, Chryſanti Succeſſor, ſuam in periculo videret Eccleſiam, atque idcircò in Sanctius Sacrarium ingreſſus, ut hæc ab imminente igne defenderetur, DEUM ſupplex oraret, Deus Optimus Maximus, exauditis, neſcio, quâ ratione, precibus, Delubrum inviolatum ſervavit: Ignis namque per januas, & feneſtras jam omnes involans, ei minimè nocuit, ſed cùm circumcircà Ædificia ſimul plurima conſumpſiſſet, Templum præterijt: cumque (quod maximum eſt) incendium, biduum totum, undique graſſaretur, nè ullum quidem fumi veſtigium in tignis, ac muris Eccleſiæ apparuit. Quo factum, ut Novatiani, ex eo tempore, quotannis 17.â Auguſti Die, ob ſervatum tanto prodigio Templum, ſolennia Sacra celebrârint. *Nicephorus Calliſtus lib. 14. c. 41. Petrus Bungus de num. 17.*

Quòd ſi DEUS quandoque etiam per indignos, quales Novatiani hìc fuerant, ſolita exhibere prodigia voluit, adeò ut Templum etiam illorum à furore ignîs, omnia alia devaſtantis, imò etiam ab omnî fumi veſtigio præſervârit; An non credendum, in digniſſimâ Divini Verbi Genitrice, ſimile multò magìs miraculum à Divinâ Potentiâ perpetratum? ut nimirùm ſolam illam, tanquam Sacratiſſimum veri DEI Templum, in univerſalî peccati originalîs incendio, non per biduum, ſed per tot Sæcula continuato, & uſque in finem mundi continuando, illæſam præterierit, ac nè veſtigium quidem fumi, id eſt, nè minimum quidem inſtans originariæ labis illi adhærere voluerit? Quid ni, ob tantum Mariæ purè Conceptæ beneficium, & nos Chriſtiani Solennia Sacra quotannis celebremus?

### §. 7. *Anagramma.*

AVe ArCa, à Labe Defenſa, 252.
TV repLeta aMorIs Igne!

*Ave Arca munda: tu impleta amoris igne!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

* * *

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS XXXVII.

### §. 1. *Scriptura.*

253. ÆDes DIVIna, à Deo ConſtrVCta.

2. Reg. c. 7. v. 16. *Fidelis erit Domus tua.*

Quod Nathan quondam Propheta, à Domino ſubmiſſus, Davidi inſinuavit, dicens: *Fidelis erit Domus tua*: hoc Cœleſtis Pater, jam ab æterno, ad conſubſtantialem ſibi Filium, humanam aliquando carnem aſſumpturum, dicere poterat: *Fidelis erit Domus tua.* Quis enim erroris me arguet, ſi digniſſimam Divini Verbi Domum, Mariam appellirem? cùm non mea hæc tantùm ſed graviſſimorum Patrum ſit ſententia, quos inter S. Bernardi-

Serm. 51. a. 3. c. 1. nardini Senenſis hæc eſt propoſitio : *Virgo ex omnî parte labis expers, tanquam puriſſimum Templum, in DEI electa eſt domicilium.* Cui magnum confert ſuffragium Magnus Gregorius, In l. 1. Reg. c. 1. *MARIA*, inquiens, *Domus aptè dicitur, quæ dum incomparabilibus eſt illuſtrata meritis, DEI unigenito, in quo recumberet, ſacrum præparavit uterum.* Et quid aliud ipſa increata Veritas B. Margarethæ de Cortona revelavit? Ex vitâ. niſi: *Hanc Matrem, & Dominam, Ego ſumma, & æterna Sapientia creavi, ad habitandum in eâ.* Cui Cithara quoque Davidica perbenè Pſal. 131. v. 13. conſonat, per has voces: *Elegit eam Dominus in habitationem ſibi.* Hæc Domus, MARIA, non tantùm ab ipſo Cœleſtî Patre firmiſſimè ædificata : Pſal. 86. v. 5. *Ipſe fundavit eam Altiſſimus*, à Filio Sapientiſſimè conſtructa : Prov. 9. v. 1. *Sapientia ædificavit ſibi Domum*, à Spiritu Sancto firmiſſimis ſeptem donorum ſuorum co- Ibid. lumnis ſuffulta : *Excidit columnas ſeptem*, ſed & ſpecialiſſimè à totâ Sanctiſſimâ Trinitate ſanctificata fuit : Pſal. 45. v. 5. *Sanctificavit Tabernaculum ſuum Altiſſimus.* Quis ergo Domum hanc ruinæ aliquando dicat obnoxiam? aut ullius, vel momentaneæ etiam infidelitatis, ſeu ſordis arguendam? Abſit hoc de Virginalî hac Æde cogitare! e. 1. v. 4. *In malevolam enim animam*, ait Sapiens, *non introibit ſapientia*, cùm tamen ipſa Divina Sapientia puriſſimam MARIÆ animam non tantùm in Domum ſibi ædificaverit, ſed & actu introierit, perque novem Menſes eam inhabitaverit, quæ vel ideò non niſi Sancta eſſe, & immaculata omnî tempore potuit; Sancta : Pſal. 92. v. 5. nam *Domum tuam decet Sanctitudo Domine.* Immaculata, juxta illud, Pſal. 100. v. 6. *Ambulans in viâ immaculatâ, hic mihi miniſtrabat.* Hinc proſcripta ſtatim abinitio manſit ex hâc Domo Princi- v. 7. pis infernalîs Superbia : *Non habitabit in medio Domus meæ, qui facit ſuperbiam*, & adimpleta Numinis ipſius promiſſio: Iſaiæ. 60. v. 7. *Domum majeſtatis meæ glorificabo.* Quòd ſi David, cùm exſtruere Domum Domini cogitaret, in hæc verba proru- 1 Paral. c. 22. v. 5. pit : *Domus, quam ædificare volo Domino, talis eſſe debet, ut in cunctis Regionibus nominetur! præparabo ergò ei neceſſaria*, hanc alibi cauſam adducens : *Neque enim homini præparatur habitatio,* c. 29. v. 1. *ſed DEO.* Qualis, obſecro, præparatio adhibenda fuit exſtructioni Domûs Marianæ, in corporale ſimul, ac Spirituale Verbi incarnati domicilium eligendæ? Vidiſtis forſitan aliquandò, cùm Regium quoddam ædificium è fundamentis eſſet exſtruendum, primum fundamento lapidem magnâ Solennitate imponi. Nonnè primarius è Clericis ibi præſentibus diverſas exhibuit Ceremonias? nonnè lapidi illi artificioſiſſimè elaborato, atque ab omnî nævo diligentiſſimè expolito, aurea quædam moneta fuit impoſita, præter Regiam effigiem, Annum quoque, & diem cœpti operis continens? hæc & plura communiter fieri, dubium non eſt. Porrò, quis neſcit, in feliciſſimâ Deiparæ Conceptione, ad ſummum mundi Ædificium, poſitum fuiſſe primum lapidem? quem ipſemet Spiritus Sanctus benedixit, propriumque Nomen impreſſit, juxta illud : *Sanctificavi domum* 3. Reg. 6. *hanc, quam ædificavi, ut ponerem nomen* v. 3. *meum ibi, in ſempiternum.* In hoc ergò lapide fortî, ſine labe, ſine vulnere, integrum theſaurum gratiarum incluſit : *Gloria & divitiæ, in Domo ejus.* Pſal. 111. Quòd ſi de illo Davidis ædificio Sa- v. 3. cra narrat Hiſtoria : *Malleus, & Securis,* 3. Reg. 6. *& omne ferramentum non ſunt audita, in* v. 7. *domo Domini, cùm ædificaretur*, dico ego ſimiliter, malleo peccati originalîs, vel ſecurî, aut alio ferramento peccati actualîs, nunquam fuiſſe percuſſam, vel vulneratam puriſſimam MARIÆ Animam, de quâ Fulbertus Carnotenſis ait : *Anima ipſius, & caro,* Serm. 1. in Nat. *quam elegit, & habitaculum ſibi fecit Sapientia DEI Patris, ab omni malitiâ, & immunditiâ puriſſima fuerunt.* Et meritò quidem; ſi enim ab obſeſſâ quondam perſonâ, virtute ſupernaturalî, expulſus immundus ſpiritus, clamare tamen non ceſſavit : *Revertar in domum meam,* Math. c. 12. v. 44. *unde exivi*, poſſet certè etiam MARIAM, in hodiernam adhuc diem, domum ſuam dicere, ſi aliquandò illi, vel per

 mo-

momentum, in eâ habitare obtigiſſet, quo utique nihil abſurdius, Deique Filio probroſius foret. Nos igitur puritatis Virgineæ Zelatores, Domûsque fideliſſimæ, venerabundi ſpectatores, dicamus Domino illud Pſalmiſtæ: *Domine dilexi decorem Domûs tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.* Dicamus etiam, in Marianum confidentes auxilium: *Replebimur in bonis Domûs Tuæ.*

Pſal. 25. v. 8.

Pſal. 64. v. 45.

## §. 2. *Authoritas.*

254. S. EphreM SIJrVs, pVrè ConCeptæ Defenſor.

1. *Immaculata, intemerata, incorrupta, & prorsùs pudica, ab omnî ſorde, & labe peccati alieniſſima Virgo DEI, ac Sponſa, Domina noſtra.* Orat ad B. Virg.
2. *Intemerata, prorſusq; pura Virgo Deipara, Regina omnium, ſpes deſperantium, Domina mea glorioſiſſima, eadémque optima, ſublimior Cælicolis, purior Solis radijs, & ſplendoribus, honoratior Cherubim, ſanctior Seraphim.* Orat. de laud. S.^mæ DEI Matris.

## §. 3. *Ratio.*

255. ReX, aC RegIna VXor, In oMnIbVs prIVILegIIs DIgnItatIbVs, & prærogatIVIs, pares sVnt.

JUxta L. *Princeps* 30. ff. de legibus: *Princeps eadem privilegia Auguſtæ concedit, quæ ipſe habet.* Ergo Dominus DEUS tribuit Beatiſſimæ Virgini privilegium immunitatis à peccato originalî. Conſeq. prob. Si terreſtres Principes, ac Reges, Sponſas, ac Reginas ijsdem privilegijs, ac dignitatibus condecorant, id multò magis præſumendum eſt, de ſummo Cœlorum Principe, ac Rege: ſuam nempe Ipſum chariſſimam Matrem ijsdem, quæ ipſemet habet, privilegijs condecoraſſe. Atqui Ipſe privilegium immunitatis ab omnî prorsùs peccato, tam originalî, quàm actualî habuit. Ergo omnino credendum eſt, quòd hoc etiam privilegio condecoraverit ſuam Sanctiſſimam Matrem. Confirm. Sicut Princeps non tenetur ad vectigalia, ita neque Auguſta. Ergo ſicut Chriſtus nullum ſolvit vectigal, pro proprio peccato originalî, ita nec ejus Auguſta Mater ſolvit vectigal pro peccato originalî.

## §. 4. *Hiſtoria.*

IoannIs ArragonIæ RegIs, In ConCeptIoneM, DeVotIo. 256.

JOannem Secundum, Arragoniæ Regem, non tam Sapientiſſimus, ac per omnia inculpabilis Regnandi modus, quàm ſingularis erga Superos, MARIAM præſertim, Auguſtiſſimam Cælitum Reginam, devotio celeberrimum reddidit; præterquàm enim, quòd omnia Virginis Feſta, ab Eccleſiâ per Annum celebrari ſolita, inſignî devotionis affectu peregerit, ſicque Regis ad Exemplum, tota Aula ad frequentem Deiparæ cultum compoſita fuerit, inter omnia tamen Feſta, nullum tantâ Celebritate à ſuis ſubditis peragi voluit, quàm Sacram immaculatæ Conceptionis memoriam: inſuper (Clericalî poteſtate haud difficulter in id conſentiente) pijſſimum publicavit Decretum, ne quisquam, ſuo in Regno, ſive privatim, ſive publicè, dicere audeat, aut docere, MARIAM in originalî peccato conceptam fuiſſe. Memoranda profectò tanti Regis in illibatam DEI Parentem devotio! Hinc mirum videri non debet, ſi in ejus vitâ legatur, Joannem jamjam cum morte luctantem, atque ad Cœleſtia Regna, terreno relicto, ſuſpirantem, inter devotiſſimos Religionis, aliarumque Virtutum actus, inter ardentiſſimas, modò ad DEUM, modò ad puriſſimam ejus Genitricem, voces, inter tenerrimos Chriſti, è Cruce pendentis amplexus, animam feliciſſimè exhalâſſe, atque ut dubitare nefas, ad Superos transmiſiſſe. *Bzovius in Annalib. Anno 1479. Marianus Siculus, & alij.*

## §. 5. *Symbolum.*

257. à parVâ ſCIntILLâ, non parVa DaMna.




Excitat haud modicam Scintilla vel unica flammam,
Non parva ex parvis ſurgere damna ſolent.
Si Scintilla foret Conceptæ in labe MARIÆ,
Perderet hæc totam Numinis una Domum.

*A Scintillâ unâ, augetur ignis.* Eccli. c. 11. v. 34.

## §. 6. *Antiquitas.*

258. Cæſar AVgVſtVs, eXConſpeCtâ ALeXanDrI InsCrIptIone pLaCatVs, VrbI ALeXanDrInæ parCIt.

INter complura Cæſaris Auguſti geſta, poſterorum memoriâ digna, referunt Scriptores, ac inter illos ſpecialiter Plutarchus, quòd cùm Urbem olim Alexandrinam, ex juſtâ vindictâ, diripi, ac tanquam legitimo Domino obſtinatiſſimè rebellem penitùs vaſtari decreviſſet, illud inſuper Ducibus, & militibus mandatum dederit, ut nè infantibus quidem, in utero, parcerent, ſed quæcunque obvia, omnî ſepoſito reſpectu, parî crudelitate trucidarent. Cupiebat Cæſar tam ſanguinoſo ſpectaculo ipſemet intereſſe; verùm Comediæ, non Tragediæ interfuit: Enimverò, cùm Civitati devaſtandæ, furijs plenus, appropinquâſſet, obſervat fortè ſupra portas Urbis hæc paucula, Aureis litteris, inſcripta verba: *Alexander me fecit.* Hiſcé caſu perlectis, ad unam Alexandri memoriam, totus animo mutatus, mox omnî ceſſante vindictâ, Urbi parcendum ſtatuit, militemque in prædas, necesque paratum, ne juſſa exequeretur, ſeveré cohibuit.

Haud abſimile factum in Virgine Beatiſſimâ, ejusdemque Conceptione, contigiſſe videtur; quis enim neſcit, Divinam Juſtitiam, rebellante, per transgreſſionem mandati, Adamo, ad juſtam iracundiam commotam, omnes prævaricatoris poſteros, ad eandem cum ipſo originalem maculam condemnâſſe? verùm, cùm ad MARIAM deveniſſet, obſervaſſetque, eam non ab Alexandro quodam terreſtrî, verùm ab altiſſimo Cœli Monarchâ, in Matrem ab æterno electam, & formatam, ut ſcriptum in portâ Conceptionis referret: *Ab æterno ordinata ſum.* Mox omnî ſepoſitâ irâ, huic ſoli parcendum ſtatuens, ſic vaſtatricem cohibuit labem, ut nullam ex Adamo maculam illa contraxerit.

## §. 7. *Anagramma.*

Regia ab ADæ Labe pVra! tV aMICta soLe. 259.

*Regia purè munda! tu anima amicta ſole.*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XXXVIII.

## §. I. *Scriptura.*

260. DeI genItrIX VIrgo, thronVs eXCeLsVs, pVrVs, IVgIter fIrMVs.

2. Reg. c. 7. v. 16. *Et Thronus tuus erit jugiter firmus.*

QUiſnam alius DEI eſt Thronus, quàm innocentiſſima Virginis immaculatæ Anima? ut enim ait D. Petrus Damianus, *Ex MARIA, quæ eſt Thronus, laus Angelorum prorumpit, & hominum, quia dum hic reſtituitur, ille reſarcitur.* Hinc Divus noſter Damaſcenus MARIAM ſic alloquitur: *Tu es ſolium illud Regium, cui aſtiterunt Angeli, Dominum, & effectorem in eo conſidentem videntes. Solium verè beatiſſimum, ac ſtabiliſſimum* (ut verba ſonant Doctoris Seraphici) *excelſum in intellectu, elevatum in affectu, excelſum in gratiâ, elevatum in gloriâ, in ſolio mentis MARIÆ Dominus ſedet, & domus corporis MARIÆ plena erat majeſtate ejus.* Hic ergo Thronus eſſe non poterat, niſi *jugiter firmus*, Sacrâ Scripturâ iteratis vicibus id promittente, tum per ea verba: *Firmabitur juſtitiâ Thronus ejus*: tum per illa: *DEUS in medio ejus, non commovebit*; vel per illa alia: *Firmiſſimum ſolium tuum in ſempiternum*, maximè verò juxta illud Regij Vatis effatum: *Thronus ejus, ſicut dies Cœli.* Sed quænam hæc poſterior, de diebus Cœli, obſcura locutio? diſcrimen igitur inter dies attendamus. Quantumvis enim dies terræ à tenebris incipere perſpicuum ſit, uſquedùm, poſt horas tandem aliquas, præviâ Aurorâ, clarus diei ſplendor illuceſcat, juxta illud: *Factum eſt Veſpere, & mane, Dies unus*; longè tamen aliter dies Cœli ſe habent, neſcientes occaſum, omnem etiam momentaneam noctis caliginem excludentes, firmiterque in primo ſuo ſplendore perſeverantes. Sicut dies ergò Cœli, ſic Virgo Beatiſſima, ſplendidiſſimus, ac excelſus ille Divinitatis Thronus, purus permanſit, ac *jugiter firmus.* Verè, ut Jeremias ait: *Solium gloriæ altitudinis, à principio.* De quo Solio Petrus Damianus ſupracitatus hæc habet: *Ipſa eſt Thronus ille mirabilis, de quo in Regum Hiſtoriâ legitur: Fecit Rex Salomon Thronum ex ebore grandem.* Et infrà: *Salomon noſter non ſolùm ſapiens, ſed & Sapientia Patris, fecit Thronum, uterum ſcilicèt intemeratæ Virginis, in quo ſedet illa Majeſtas, quæ nutu concutit Orbem.* Hinc concludit ille: *Felix certè Thronus: in quo ſedet Dominator Dominus, in quo, & per quem non ſolùm omnes, ſed omnia renovantur.* Thronus certè ſplendidiſſimus! de quo apud Pſalmiſtam dicitur: *Thronus ejus, ſicut Sol in conſpectu meo, & ſicut Luna perfecta in æternum.* Quod quàm bene illi conveniat, quæ eſt *pulchra ut Luna, electa ut Sol*, nemo non videt. Thronus certè puriſſimus! de quo ait Richardus à S. Laur. *In nullo alio invenit ſibi Thronum mundum, quia de ipſâ ſolâ dici poteſt: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Ut de hoc Throno Virgineo quilibet noſtrûm illud ipſum, quod mulier quondam Thecuitis ad Davidem Regem, dicere poſſit? *In me, Domine mi Rex, ſit iniquitas, & in domum Patris mei: Rex autem, & Thronus ejus ſit innocens.* Id eſt: In nobis miſeris mortalibus iniquitatem originalem negare non poſſumus, utpote in totam quoque primi Patris noſtri Adami domum, ſeu poſteritatem miſerè transfuſam: *Rex autem, & Thronus ejus*, Chriſtus videlicèt, & MARIA, manſit ſemper, & manebit *innocens* in æter-

Marginalia: Serm. de Nativit. B. V. — Orat. 2. de dormit. V. — In ſpecul. — Prov. 25. v. 5. — Pſal. 45. v. 6. — 3. Reg. 8. v. 13. — Pſal. 88. v. 30. — Gen. 1. v. 5. — c. 17. — Pſal. 88. v. 38. — L. 10. de Laud. Virg. — 2. Reg. 14. v. 9.

æternum. Et nonnè hìc adimpletum jugiter videtur illud, quod jam pridem Iſaias prænuntiavit, dicens: *Præparabitur in miſericordiâ Solium, Agno Dominatori terræ, & ſedebit ſuper illud, &c.* ubi ſpecialiter attendendum, ad verba illa: *Præparabitur in miſericordiâ.* O quàm malè ergo loquuntur, & peſſimè interpretantur, qui hoc Solium, hunc Thronum, priusquàm Rex gloriæ eò conſcenderet, ijs volunt ſordibus à dæmone aliquandò conſpurcatum, quibus nihil fœdius fingi poteſt, ſordibus ſcilicèt peccati originalîs, quaſi Chriſtus initurus terræ noſtræ poſſeſſionem, injecto (ut jura ferunt) pede, *infixus ſit in limo profundi*, & ſederit in Solio, à ſathanâ turpiter contaminato, quod nunquam per omnem potentiam ita expurgari potuiſſet, ut contractum aliquando fœtorem penitus relinqueret. Non ergo opinio adeò indigna, de excelſo noſtro, puro, firmiſſimoque DEI Throno habenda. Accedamus potiùs, cum fiduciâ, ad hunc Thronum DEI, in miſericordiâ præparatum, tanquam, ut Paulus ait, *ad Thronum gratiæ ejus, ut miſericordiam conſequamur* (ſuper maculas commiſſorum peccatorum) *& gratiam inveniamus in auxilio opportuno.*

c. 16. v. 5.

Pſal. 68. v. 3.

Hæbr. 4 v. 16.

## §. 2. *Authoritas.*

261. S. EpIphanIVs, MagnVs ConCeptæ Defenſor.

*Virgo eſt Lilium immaculatum: ſublimior Angelis facta eſt: ſuperior ipſis Cherubin, & Seraphim, placens Chriſto Regi, à DEO in honore habita, tanquam ancilla digna, & mater Sancta, mater immaculata. Solo DEO excepto, cunctis Superior.* Serm. de laud. Virg.

## §. 2. *Authoritas.*

262. DeIparæ ILLIbatæ ConCeptio, reLIqVas ConCeptIones Longè anteCeDIt.

ILlibatæ Deiparæ Conceptio, ut in mente Divinâ decreta, longè antecedit omnia, quæcunque entia creata, conſequenter etiam omne peccatum, juxta illud Proverb. c. 8. v. 24. *Nondum erant abyſſi, & ego jam concepta eram.* Sed conceptio, quæ decreta erat ante peccatum, non poteſt eſſe niſi illibata, & immaculata. Ergo illibatæ Deiparæ Conceptio non fuit aliter decreta, in mente Divinâ, niſi ut illibata. Subſumo: Atqui quæ ſemel decreta eſt, ut illibata, & immaculata, implicat, ut decernatur deinde, ut per peccatum originale maculetur, vel inficiatur. Ergo Deiparæ conceptio, eò quòd anteceſſerit, in mente Divinâ, ipſum peccatum originale, atque adeò fuerit decreta, ut illibata, & immaculata, implicat ut deinde decreta fuerit, ut maculata & infecta peccato. Subſ. prob. DEUS in ſuis decretis eſt abſolutè immutabilis; aliàs enim dici poſſet mutabilis, quod manifeſtè repugnat S. Scripturæ, ipſique æternæ Veritati Malach. 3. de ſe dicenti: *Ego Dominus, & non mutor.* Et Jacob. 1. *Apud quem non eſt mutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Ergò implicat, ſi ſemel ſit decreta illibata Conceptio, quod ex conſequentî, per peccatum, aliter immutetur.

## §. 4. *Hiſtoria.*

S. DaMasCenVs, ab ILLIbatâ ſanatVs. 263.

DIvum noſtrum Joannem Damaſcenum, cui Patria Damaſceno nomen fecit, inter præcipuos Deiparæ, ejusdemque immaculatæ Conceptionis, cultores, ac defenſores numerandum eſſe, nemo eſt, qui dubitet. Confirmant enim hocipſum ejusdem, pro innocente Deiparâ fortiter pugnantis, non præclara tantùm, ſed & frequentia, ſuo loco recenſita teſtimonia. Hic, cùm in Aulâ Ducis Saracenorum, volens, nolens, adhuc conſtitutus, primarijs ibidem Officijs honoratus degeret, ac Proceres inter, vix ulli ſecundus exiſteret, calamum jam tum ferventiſſimè ſtrinxit in Leonem Iſauricum, Conſtantinopolitanum Imperatorem, Sacrarum Imaginum hoſtem infenſiſſimum, cujus imperio non Sacræ tantùm Imagines furi-

furioſè disjectæ, verùm etiam earum cultores, diro exilio, cædibusque mirum in modum divexati fuêre; quo tamen minimè abſterrente, pulchrum omninò, ac condecens exiſtimabat Joannes, pro Matris capite, manum ſuam obijcere. Ex quo magnum adeò Imperatoris Iconomachi erga ſe odium Joannes concitavit, ut cùm ei, in Saracenorum ditione degenti, apertâ vi, nocere neutiquam poſſet, hanc fraudem impius Imperator excogitârit: Ad Saracenorum nimirùm Principem litteras dirigit, velut ab ipſo Joanne exaratas, tamque acuratè per Notarios expreſſas, ac ſi ipſa Joannis ſcripta, ſententiæ, ac verba haberentur, quibus ad invadendam Damaſcum, proditorio modo, Saracenus invitabatur. Miratur acceptis litteris Princeps, Joannemque accerſens, ementitam ei Epiſtolam, indignabundus ob oculos ponit. Quid hìc Joannes? confitetur quidem, litterarum formas ſuis haud abſimiles, quæ tamen in ipſis continerentur, prorsùs ſibi ignota reponit: optimè quidem perſpectum ſe habere, cujus inſidijs hæc adversùm ſe agerentur, veruntamen deſiderare ſe, ac humiliter petere breve quoddam temporis ſpatium, quo impij Leonis fraudem detegere poſſet. Sed nihil effecit oratio, imò dexteram hic illicò amputari jubet innocenti, ac amputatam publico in foro ſuſpendi. Quantus hìc dolor, per diem integrum, Joannem affecerit, quis enarrabit? ad quem tamen leniendum, manum ſibi à Tyranno reſtitui, multis precibus, per nuntios, impetrat: eâque acceptâ, domeſticum mox Oratorium ingreſſus, prono corpore, ante Imaginem Deiparæ provolutus, exciſamque manum priſtinæ admovens commiſſuræ, altùm ingemiſcit, ac quòd ad pugnandum pro ipſius, & Filij honore inermis jam eſſet, multis cum lachrymis conqueritur. Et ecce! pias inter querelas placidè indormiſcens, pulcherrimam Deiparentis Imaginem ejus ſeſe oculis objicientem conſpicit, ſibique dicentem: *Ecce ſanata eſt manus tua! jam ergo, ſine morâ, eam Scribæ velociter ſcribentis calamum effice.* Experrectus deinde, cùm exciſam antehàc manum ex integro ſanatam conſpiceret, reſque ad ipſum Principem paulo poſt delata, in dubium vocaretur, Joanne mox accerſito, dexterâque inſpectâ, mox rubens elucebat linea, veriſſimam ejusdem exciſionem ad oculum commonſtrans. Hìc Barbarus ſuum cognoſcere errorem, precari veniam, priſtinosque Joanni honores offerre, quos tamen ille humiliter recuſans, petitâ, ac tandem ægrè obtentâ dimiſſione, Jeroſolymam petijt, ac Monaſticum S. noſtri Benedicti inſtitutum ſuſcipiens, plurimis adhuc, & egregijs, in defenſionem Deiparæ, ac ſpecialiter illibatæ ejusdem Conceptionis, editis Scriptis, ſanctiſſimè è vivis exceſſit. *Ita Joannes Patriarch. Jeroſol. & Martyrol.*

### §. 5. *Symbolum.*

DeIpara absqVe VMbrâ peCCatI. 264.




Aſpice ſtellatum nocturno tempore Cœlum!
Omnia clareſcunt, Umbra vel ipſa fugit.
Nocturno pariter Conceptûs tempore Virgo
Clara manet: Sceleris non habet umbra locum.
*Non ſunt tenebræ, & non eſt umbra Mortis.*
Job. c. 34. v. 22.

§. 6.

§. 6. *Antiquitas.*

265. ÆDIfICanDæ VrbI LeontopoLItanæ, CaLCIs LoCò, FarIna ILLata.

STatuerat jamjam Alexander Magnus, Urbem ædificare Leontopolitanam, cùm conſtitutis jam omnibus, ad tantum opus neceſſarijs, illud unicum deeſſe obſervabatur, quod præ reliquis videri poterat neceſſarium; copia nimirùm calcis, ad fundamenta jacienda non ſuppetebat, ſine quâ tantam extruere molem, Architecti deſperabant. Unicus in tam arduo novæ Urbis ædificio, non deſperabat Rex, jubens, ex Imperialî Aulâ ſuâ, ſelectiſſimam ac candidiſſimam afferri farinam, quæ proinde, Regis ad imperium, primò fundamentis injecta, calcis vicem adeò ad amiſſim ſupplevit, ut ſolidiſſima omnium permanerent fundamenta.

Quis hìc neget, MARIAM, DEI Genitricem glorioſiſſimam, Civitatem eſſe, & quidem Civitatem DEI? expreſsè id atteſtante Iſaiâ, ac dicente: *Urbs fortitudinis noſtræ Sion, Salvator ponetur in eâ, murus, & antemurale, &c.* Porrò in hoc differunt fundamenta hujus Civitatis Marianæ, à fundamentis reliquorum Sanctorum, quòd hæc, calce peccati originalis, illa econtrà candidiſſimâ Divinæ gratiæ farinâ, fuerint elaborata. Quemadmodùm verò (ut ijdem referunt Hiſtorici) tunc augures pronunciârunt, tantam murorum farinæ impoſitorum firmitatem, feliciſſimum eſſe præſagium, Civitatem illam ſemper fæcundiſſimam, ac omnibus ad victum neceſſarijs fore abundantiſſimam, quod ſubſequens docuit experientia: eundem prorsùs in modum, cùm fundamentum hujus Civitatis Marianæ, fuerit farina candidiſſima, Divinæ gratiæ, ab omnî maculâ illam præſervantis, præſagium certè fuit non obſcurum, Beatiſſimam Virginem fore fæcundiſſimam, ut feliciſſimus poſtmodùm rei eventus docuit, adeò, ut conceperit, mundoque genuerit DEUM pariter, & hominem, ſicque Cœleſtem panem, quo omnes cibantur fideles, in lucem prodiderit.

§. 7. *Anagramma.*

IVre AngVeM perDIs, ConCepta ! 266.

*Jure Anguem perdis, O nata Immaculata!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XXXIX.

§. I. *Scriptura.*

267. DeCora nIMIs, aC prorsVs pVra.

2. Reg. c. 14. v. 25. *Sicut Abſalom, vir non erat pulcher, in omnî Iſraël, & decorus nimis: à veſtigio pedis, uſque ad verticem, non erat in eo ulla macula.*

ELegantem Abſalonis pulchritudinem, corporiſque incomparabilem venuſtatem quis explicare ſufficiat? Abundè idipſum Sacra nobis Scriptura inſinuat, dicens: *Sicut Abſalom, vir non erat pulcher, in omnî Iſrael, &c.* Quid ergò mirum, ſi hunc, licèt immeritum, ac rebellem Filium adeò dilexit David, ut præliatoribus ſuis expreſsè mandaverit: *Servate mihi puerum Abſalom! cuſtodite mihi puerum Abſalom!* Porrò Mandato hoc Regio minimè obſervato, cùm miſerè nihilominùs in prælio ſpecioſus Juvenis occubuiſ- 2. Reg. c. 18. v. 5. & v. 13.

buiſſet, extremè deſuper Rex Parens contriſtatus, inceſſanter clamabat:
v. 33. *Fili mi Abſalom! Abſalom fili mi! quis mihi tribuat, ut ego moriar pro te? Abſalom fili mi! fili mi Abſalom!*

Sicut MARIA (potiorî jure dixerim) creatura aliqua non erat pulchra in Cœlo, nec in terrâ; eminet enim illa hoc titulo, ſuper omnes alias puras creaturas, quas inter nulla *tota pulchra* appellari poteſt. Pulchrum eſt Cælum, ſed ſæpe turbidum, & nubibus obductum: pulcher eſt Sol, pulchra Luna, pulchræ ſunt Stellæ, habent tamen ſuas maculas, umbras, nævos, & frequenter patiuntur Eclypſes: pulchra eſt Iris, ſed in atrâ & aridâ nube: pulchra ſunt Specula, ſed leviſſimo halitu inficiuntur: pulchrum eſt Aurum, ſed habet admixtas fœces, quæ igne debent excoqui: pulchrum eſt Lilium, ſed radix ſordida: pulchra eſt Roſa, ſed non ſine ſpinis: Superbit ſuâ pulchritudine Pavo: pulchri etiam celebrantur oculi Columbarum, quibus tamen ſordidiſſimos natura dedit pedes: Formoſiſſimam quandoque etiam videbimus faciem humanam, quæ tamen communiter, vel in labijs, vel in fronte, vel in oculis aliquem oſtendit defectum: imò *in Angelis* DEUS
Job. c. 4. v. 18. *reperit pravitatem.* Sola ergo MARIA in pulchritudine omnes excellebat creaturas. Sicut nimirùm excellentes pictores antiqua plerumque obſervare ſolent exemplaria, ut ad eorum inſpectionem, quæ pulchriora ſunt, ſeligentes, pulcherrimam ipſi Imaginem efforment: ita DEUS Angelos, ac veteres Patriarchas, qui antiquitate temporis reliquos homines præcellunt, ab æterno contemplatus, pulchriora ex eis ſelegit, ut in Beatam Virginem omnia illa ſimul conferret, & pulcherrimam omnium Imaginem
Cant. 6. v. 3. Illam effingeret. Verè *decora nimis*, juxta illud: *Pulchra es amica mea, ſuavis, & decora. A veſtigio* profectò *pedis, uſque ad verticem, non erat in eâ ulla macula.* ſic atteſtante Divino Sponſo, in ijsdem
c. 4. v. 7. SS. Canticis: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in Te.* Hinc optimè hoc proſequitur MARIÆ encomium doctiſſimus Idiota: *Tu etenim*, ait, *tota pulchra es, Virgo glorioſiſſima! non in parte, ſed in toto, & macula peccati, ſive mortalîs, ſive venialîs non eſt in Te, nec unquam fuit, nec erit.* De contempl. Deip. c. 3. Verè *decora nimis*, quia dupliciter pulchra, juxta illud: *Ecce tu pulchra es amica mea! ecce tu pulchra es!* Cant. 1. v. 14. quod explicans Galatinus: *Duplicat*, ait, *ſermonem: ut oſtenderet, ipſam pulchram, id eſt, puram in Conceptione, & in vitâ futuram eſſe.* L. 1. c. 5. Si ergo Abſalom, quamvìs in proprium amantiſſimum Patrem rebellis, & vel ideò indigniſſimus filius, ob eximiam tamen, ut diximus, pulchritudinem, à Davide adeò fuit dilectus, ut abſolutè ipſum ſervari ab interitu voluerit: *Servate mihi puerum Abſolom! cuſtodite mihi puerum Abſalom!* quis dubitabit, MARIAM, nullo momento Cœleſti Patri rebellem, imò Filiam per omnia obſequentiſſimam, ab Ipſo pariter ſummè fuiſſe dilectam? præſertim cùm hoc de ſeipſo clarè teſtetur dicens: *Amator factus ſum formæ illius.* Sap. 8. v. 2. Quis dubitabit, audiſſe MARIAM quoque felix illud *Servate! Cuſtodite!* ab ori ginalîs peccati interitu? *Servate mihi MARIAM! cuſtodite mihi MARIAM!* Quod ut ſecuriùs executioni mandaretur, Mortem utique DEUS ipſe, quam pro aliorum, ob peccatum commiſſum, redemptione erat ſubiturus, pro MARIÆ, à peccato aliàs certocertiùs committendo, præſervatione libentiſſimè obtulit, ut dicere quodammodò, Davidis inſtar, ab æterno videretur: Filia mea MARIA! MARIA Filia mea! & Filij mei futura Mater! quis mihi tribuat, ut ego pro præſervatione tuâ moriar, meumque ex te aſſumendum Sanguinem fundam? MARIA Filia mea! Filia mea MARIA! Hanc ergo dilectiſſimam DEI Filiam, mille Abſalonibus pulchriorem, quæ, ut ait Taulerus, *æternam Sapientiam ſuâ vulnerabat pulchritudine,* Serm. in Annunc. ſæpiùs admiremur: Hanc caſto amore, conſtantîque devotione proſequamur, ut eâ mediante, audire & nos mereamur felix *Servate! cuſtodi-*

*ſtodite!* à caſu periculoſiſſimo, æternæ damnationis.

## §. 2. *Authoritas.*

268. S. EVCherIVs, sIne peCCato ConCeptaM, Conſtanter agnosCens.

*Quis unquàm tantàm gratiam habuit, quantam Virgo MARIA? &c. hæc ſola inter omnes mulieres benedicitur, quæ adhuc ſub antiquæ prævaricationis maledictione tenebantur, ex quo primæ mulieri à DEO dictum fuerat: multiplicabo ærumnas tuas, & in dolore paries filios. Hâc enim lege non tenetur Virgo MARIA, &c. Meritò igitur in mulieribus benedicitur, per quam mulieribus benedictio datur, & mundus à maledictionibus liberatur.* Ad Evangel. Fer. 4. Hebd. 4.ª Advent.

## §. 3. *Ratio.*

269. nVLLa prorsVs In VIrgIne ConVenIentIa, ConneXIo, aVt parItas, ChrIſtI IEsV saLVatorIs, CVM BeLIaL.

S. Doctor 3. p. q. 27. a. 4. in Corp. hæc habet: *Tum etiam, quia ſingularem affinitatem habuit ad Chriſtum, qui ab eâ carnem accepit: dicitur autem 2.ª ad Corinth. 6. Quæ conventio Chriſti ad Belial?* Ex quibus Angelici Doctoris verbis ſic licet ratiocinari: Si Beata Virgo habuiſſet peccatum originale, tunc illa, ut peccans in Adamo, verè, & propriè fuiſſet Fanum, & ſedes Belial: imò in ipſo inſtantî Conceptionis conveniſſet idem Belial in jure, ac titulo, ad poſſidendam Beatam Virginem, quatenùs nempe contraxerit peccatum originale, tribuens hoc jus, & titulum, & ſimul etiam conveniſſet Chriſtus, quia jam tunc illam elegerat in ſuam Matrem, ſpecialibus idcircò donis eam condecorando, & conſequenter ſingularem cum eâ contraxerat affinitatem. Ergò, cùm juxta Apoſtolum, nulla ſit convenientia Chriſti ad Belial, implicat, ut Beata Virgo, in primo inſtantî ſuæ Conceptionis, habuerit labem peccati originalîs.

## §. 4. *Hiſtoria.*

Contra eaM præDICans, eXspIrat. 270.

PAulus quidam, quem Doctorem fuiſſe Cracovienſem, Authores exiſtimant, cùm Anno Milleſimo, Trecenteſimo, Quinquageſimo, non bono certè animo, ac Zelo prorsùs inutilî, Suggeſtum conſcendens, contra puriſſimam Deiparæ Virginis Conceptionem, multis argumentis, ut quidem ipſe putabat, efficacibus, pro concione è Cathedrâ detonâſſet, Numine diſplicentiam ſuam ſatis efficaciter manifeſtante, ac vindictam de injuſto Matris aggreſſore ſumente, dixit ſimul, ac vixit; cecidit enim ſub finem Concionis, ac protinus exſpiravit, non ſine ingenti, tum auditorum omnium, tum illorum præſertim, qui de eâ materiâ tunc temporis diſceptabant, horrore. Unde factum, quòd longo dein tempore nemo de hac materiâ Concionari, aut immaculatam Divinæ Genitricis Conceptionem in dubium vocare auſus fuerit, cunctis parem à DEO vindictam, ſi ſimiliter fecerint, haud vanè pertimeſcentibus. *Magiſter Henricus de Haſſiâ. Raynaud. tom. 7. pag. 139. & tom. 8. pag. 325. Spondanus ad dictum Annum, n. 24.*

## §. 5. *Symbolum.*

271. DeIparæ ILLIbatæ orIgo,
nIVe CanDIDIor.




Dum video, lapſis Nivibus, candentia rura,
Mox miranda venit candida origo Nivis.
Sed magè quod miror, Conceptæ candida origo
Virginis eſt (fateor candidè) mira magis.

*Super Nivem dealbabor.* Pſal. 50. v. 9.

## §. 6. *Antiquitas.*

272. ADonIDIs Chara effIgIes, In
InCenDIo ſerVata.

Zeuxis, Pictor ille celeberrimus, cùm officinam ſuam, innumeris, ijsque pretioſiſſimis, propriâ manu laborioſiſſimè depictis tabulis inſtructam, exorto incendio, jamjam conflagrantem conſpiceret, ſollicitè fertur exclamâſſe: *Servate mihi Adonidem! Adonidem ſervate!* utpote imaginem mihi ex omnibus chariſſimam, quam ut perfectè abſolverem, tantum pretioſi temporis, omnemque meam artem ſtudioſiſſimè impendi.

Quòd ſi humana Divinis conferre liceat, non inutile indè documentum, de ſupremo omnium artifice, DEO, erui poteſt: Videns nimirùm ille totum Mundum *in maligno* poſitum, ſive (ut exponit Doctor Angelicus) *In malo igne*, exorto nimirùm in Paradiſo omnemque hominem communî illo originalîs peccati incendio depaſcente, clamare & ipſe ſollicitus videbatur: *Servate* mihi, non Adonidem, cæcum illum carnalîs amoris Cupidinem, ſed *Matrem pulchræ dilectionis*, chariſſimum meum, ac pretioſiſſimum opus, *Negotium ſæculorum*, in quo ab æterno quasì laboravi, ipsâmet teſtante: *Ab æterno ordinata ſum.* Prov. 8. v. 23. Servate mihi *primogenitam ante omnem creaturam*, Eccli. 24. quæ ut Seraphicus Bonaventura ait, Tract. de Beatâ Virg. Serm. 1. *Luce Angelicâ prior, dignitate major, ſanitate purior:* Servate mihi *Opus perfectiſſimum, quod ſolus artifex ſupergreditur*, teſte Damaſceno, Serm. 1. in Nativ. Sic nimirùm MARIAM à communî illo prævaricationis incendio eximendam, ſic ſervandam, ab æterno DEUS pronunciavit, ac ſi diceret: Servate, Servate! quòd ſi aqua non ſufficiat, ad abigendam à MARIA, futurâ meâ Matre, communem hanc flammam, Sanguinem meum dabo, præviſamque paſſionem meam lubens applicabo: hæc deleat æſtum, qui adurere poſſet pulcherrimam inter mulieres, tam Sanctam, tam puram Animam, &c. Adducta de Zeuxide Antiquitas refertur ex compluribus alijs, à Plutarcho *in Apophteg.*

## §. 7. *Anagramma.*

DeIpara sIne Labe, aMata, 273.
pIa, IVngIs terrenIs
CœLeſtIa.

*Amata, pia, munda, Coelum terrae jungis!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

De

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XL.

## §. I. *Scriptura.*

274. Mater DEI, & IESVS erVntné peCCatores?

3. Reg. c. 1. v. 22. *Erimus ego, & filius meus Salomon, peccatores.*

DAvide jamjam ſeneſcente, & ideò Regni faſces, unà cum Sceptro, in Salomonem, dilectum ſuum filium devolvere cogitante, Adonias Regnandi cupiditate illectus elevabatur, dicens: *Ego regnabo.* moxque comparatâ ingentî curruum, equitumque multitudine, vendicare ſibi Regnum moliebatur. Quod præſumptuoſum Adoniæ attentatum ægerrimè ferens Bethſabea, Salomonis Mater, mox ad Regem Davidem detulit, graviterque conqueſta, hunc in modum peroravit: *Domine mi! tu juraſti per Dominum DEUM tuum ancillæ tuæ: Salomon filius tuus regnabit poſt me, & ipſe ſedebit in ſolio meo: & ecce! nunc Adonias regnat.* Paucisque interjectis, ſubjunxit? *Eritque, cùm dormierit Dominus meus Rex, erimus ego, & filius meus Salomon, peccatores,* id eſt, ut in hebræâ verſione legitur: *Homines dicent, Salomonem Regno indignum eſſe, propter Matris peccatum.* Hâc ergo benignè auditâ, commotus Rex, talibus eam verbis conſolabatur: *Vivit Dominus, quia ſicut juravi tibi, per Dominum DEUM Iſrael, dicens: Salomon, filius tuus regnabit poſt me, &c. ſic faciam hodie.*

v. 5.

v. 17, & 18.

v. 22.

v. 30.

Jam de Bethſabeâ Salomonis Matre, ad Matrem Verbi Divini, MARIAM convertamur. Conſtituto namque à Cœleſtî Patre, dilectiſſimo ſuo, ac coæterno Filio in Regem, juxta illud Pſalmiſtæ: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo, &c. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, &c.* ſpineâ quondam coronâ à ſubditis coronandum, Crucisque Solio, ſub Titulo: J. N. R. J. imponendum, nefarius tenebrarum Princeps elevabatur, dicens: *Ego regnabo.* Nec mirum; hic enim mos eſt ſuperbientis Luciferi; jam pridem dicentis: *In Cœlum conſcendam, ſuper aſtra DEI exaltabo ſolium meum, ſimilis ero Altiſſimo.* Et ſanè jam plurimam in partes ſuas pertraxerat hominum multitudinem, per originale peccatum, deteſtandum ſibi homagium impiè præſtantem. Verùm, quid ad hæc dulciſſima Divini Salomonis futura Mater MARIA? graviſſimè certè ſuper tot millium hominum defectum contriſtata, ac pro viribus proteſtata, Quid? inquiebat: *Erimus* ergo *ego, & Filius meus* JESUS *peccatores?* Regnabit ergo ſuper nos, vel ad momentum, ille, qui jam pridem Cœlo detruſus, promeritas ſuperbiæ pœnas, infernalibus in flammis, retulit? abſit tam vilis, tam iniqua ſubjectio! *Juravit* enim *Dominus, & non pœnitebit eum,* quia Filius meus JESUS regnabit in Cruce, perque ipſam Crucis prævisam voluntariam paſſionem, me quoque Matrem ſuam à tam indignâ ſubjectione præſervabit. Impeccabilis ergo, (ut Cœleſtis Salomon, æternus Pater decernit) Filius Chriſtus: impeccabilis & mater MARIA: Filius unionis hypoſtaticæ potentiâ, Mater vi, & potentiâ voluntatis Divinæ, gratiarúmque affluentiâ, prævenientium ſcilicet, atque cooperantium; ut benè ſe invicem Sacris in Canticis Filius, & Mater de æqualî pulchritudine collaudent, dicentes: *Ecce tu pulcher es, dilecte mi! Ecce tu pulchra es amica mea & macula non eſt in Te.* Quam utriúſque

Pſal. 2. v. 6. v. 7.

Iſai c. 14 v. 13

c. 1. v. 14, & 15.

que eximiam pulchritudinem, & parem à peccato exemptionem ipſamet Beatiſſima Virgo clarè inſinuaſſe videtur, ijs ad dilectam ſuam Birgittam verbis: *Veritas eſt, quòd Ego concepta fui ſine peccato originalî, & non in peccato; quia ſicut Ego, & Filius meus nunquam peccavimus, ita nullum conjugium fuit, quod honeſtius eſſet, quàm illud, de quo ego proceſſi.* Humilis igitur concedenda eſt Deipara, nullo modo autem peccatrix, imò ideò non peccatrix, quia humilis; cùm enim modeſtiæ, & latendi causâ, ſe aliquoties *Ancillam* dixiſſet, cur nunquam ſe dixit peccatricem, ſi fuit? nam ſi eſſet, non utique celaret; cùm id maximè ad humilitatem, ſuique contemptum pertineret. ideò ergò non dixiſſe credenda eſt, quia non fuit. Affirmandum potiùs de illâ, quòd ſicutì ex domo Saræ ejecta eſt ancilla Agar, cum filio ſuo, ita à MARIA peccatum originale, cum filio ſuo, qui eſt fomes, perpetuò ſit Divinitùs excluſum. Affirmandum potiùs, quòd ſicut in S. Scripturâ, certantibus, coram Salomone Rege, duabus mulieribus, de filio in ſomnis oppreſſo, & adhuc ſuperſtite, mortalium Sapientiſſimus illi negavit, quæ cum dimidio contentam ſe fore ſpopondit, ita negandam eſſe MARIAM diabolo, hanc ipſam ob cauſam, quod dimidio, imò unicâ particulâ ſe contentum ſpondeat, primo nimirùm ejus Conceptionis inſtantî, ſicque MARIAM totam, (haud ſecùs ac Filium ejus JESUM) ſine omnî peccato, DEO attribuendam.

L. 6. Revel. c. 49.

Gen. c. 21. v. 10.

3. Reg. c. 3.

## §. 2. *Authoritas.*

275. EVtIJChIanI, De ILLIbatâ Matre ſententIa.

*Sancta, Venerandaque, & omnibus laudibus celebranda DEI parens, quæ ſola caſta, & pura eſt, ſola Sancta animâ, & corpore, ſola habet fiduciam ad eum, qui eſt natus ex ipſâ.* De Pœnit. Sancti Theophili.

## §. 3. *Ratio.*

SanCtæ proLI DebetVr æqVaLIs Mater. 276.

Juxta S. Auguſtinum Serm. 43. de Nativ. MARIA fuit *omnî Sanctitate in utero Matris repleta, ut nimirùm de mundiſſimâ Matre mundiſſimus naſceretur Filius.* In quo textu, mens Sancti Patris eſſe videtur, quòd Mater in Sanctitate ſit æqualis, ſuo modo, Filio: Sed ſi Beata Virgo contraxiſſet aliquandò peccatum originale, non amplius dici poſſet mundiſſima, nec æqualis mundiſſimo Filio ſuo: Ergo, ex mente S. Auguſtini, B. Virgo, nullo unquam tempore, potuit contrahere peccatum originale. Min. Prob. Quæ ſemel maculata, ac defædata eſt gravî aliquâ maculâ, nequit ampliùs eſſe mundiſſima, vel æqualis mundiſſimo Filio: Sed peccatum originale eſt magna aliqua macula, graviter inficiens, ac defædans animam: Ergo, ſi Beata Virgo contraxiſſet peccatum originale, nec eſſet mundiſſima, nec æqualis Filio. Confirmatur. Juxta S. Paulum, ramus Sanctus ſupponit radicem Sanctam; ait enim: *Si radix Sancta, & rami.* Rom. c. 11. v. 16. Sed ramus radicis Virginalîs, nempe Chriſtus, eſt omninò ramus Sanctus. Ergo MARIA erit radix Sancta. Atqui Sanctitas excludit omne peccatum. Ergo ut MARIA ſit radix Sancta, & æqualis ramo, id eſt, Filio, debuit excludere omne peccatum, atque adeò etiam peccatum originale.

## §. 4. *Hiſtoria.*

DeIpara eLeCta, haVD reLInqVenDa. 277.

Commoratus aliquo tempore in Aulâ Regis Hungariæ Juvenis quidam, Regio Sanguine inclytus (quem Caroli Galliæ Regis fratrem complures opinantur) cùm MARIAM ex intimis præcordijs adamaret, ejusdemque Officium, omnî die, magno devotionis ſenſu perſolveret, gravî tandē in-

infirmitate corripiebatur, quo in periculo, filialî fiduciâ, ad Mariam confugiens, votum emiſit perpetuæ caſtitatis, ſi eâ interveniente ſanitatem eſſet recepturus. Hoc edito promiſſo, ſanitas pro voto reſtituitur. Verùm, defuncto paullò poſt ſine hæredibus Rege, cùm Clericatum interim ille cum gaudio ſuſcepiſſet, urgentiſſimè ſollicitabatur, eum deſerere, atque ad tantæ conſervationem Familiæ, Regniquе gubernationem, felicî connubio, pulcherrimam ſibi ſponſam matrimonio conjungere. Jámque res eò devenit, ut prævalentibus tot ſuorum precibus annuens, in auſpicatas tandem Nuptias conſenſum præbuerit. Enimverò in ipsâ ſolennis Copulationis die, cùm illuſtriſſima compluгium Principum, ac Procerum multitudo, atque ipſa principaliter ornatiſſima Sponſa, unitim conſiſterent, Actum ſolennem precibus DEO commendaturus Sponſus, Sacellum accedit domeſticum, atque, inter alias preces, Nonam ex conſueto Officio perſolvit: jamque ad verba illa: *Pulchra es, & decora*, pervenerat; cùm ecce! ſpectabilem illi ſe exhibet Virgo Beatiſſima, duobus Angelis ex utrâque parte ſtipata, quæ ſic eum alloquitur: Si ergo *pulchra* ſum, & *decora*, cur me derelinquis, Sponſamque aliam ducere intendis? non ergo ego ſum pulchrior, & formoſior illâ? ubi pulchiorem unquam vidiſti? His verbis, haud aliter, ac Saulus quondam, perculſus, atque ad terram proſtratus, Dulciſſima Domina! inquiebat: ſcio equidem, quòd claritas tua omnem excedat mundi pulchritudinem, utpote quæ ſuper omnes Angelorum choros exaltata, & ſuper omnes Cælos es elevata: quid ergo ut faciam jubes? Reſpondet MARIA: ſi ſponſam mihi terrenam non præpoſueris: ſi eam, cui adhærere ſtatuiſti, meâ propter deſerueris, ac me, ſemel per votum electam, haud dereliqueris, ſponſam quoque me habebis in Cœlis: ſi denique Feſtum puriſſimæ meæ Conceptionis quotannis octavâ Decembris Feſtivè celebraveris, ac celebrandum in Regno denunciaveris, unà mecum, in Regno Filij, coronam accipies. Dixit, & evanuit. Hìc ille ſponſam terrenam, quantumvìs ſummè contriſtatam, quantocyùs deſerens, extrà patriam, ad Eremitorium primùm, dein ad Abbatiam quandam profectus, Religioſum Ordinem eſt amplexus, tanto virtutum profectu, ut paullò poſt, intercedente haud dubiè puriſſimâ DEI Genitrice, Aglarienſis in Friuliâ Epiſcopus, ac Patriarcha fuerit conſtitutus: in quem conſecratus, dictum Feſtum quotannis, die aſſignato, ſolenniſſimè cum Octavâ celebrans, etiam ab alijs celebrari pro viribus curavit, largiſſimum utique præmium, & coronam in Cœlis immarceſcibilem, pro tanto in Mariæ Conceptionem affectu, etiamnùm percipiens. *Ex Petro Antonio Spinello, S. Anſelmo, & Joanne Carthagenâ, tom. 3. §. 93.*

## §. 5. *Symbolum.*

DeIpara, sIne ſpInIs orIgInaLIs 278.
MaCVLæ.




Caſtanea, externo quas monſtrat cortice Spinas,
Non habet interiùs, Spina ibi nulla manet.
Sic, quamvis primi Spinosâ è ſtirpe parentis,
Peccati Spinæ neſcia Virgo fuit.

*Omnis gloria ejus Filiæ Regis ab intùs.* Pſal. 44. v. 14.

§. 6.

### §. 6. *Antiquitas.*

279. PherenICa, ob FILII generosItateM, LegI non sVbDIta.

PUlcherrimâ Helenâ, Jovis (ut aiunt) Filiâ, Caſtoris atque Pollucis ſorore, jamjam raptâ à Paride, tam præſtantî ſpecie in ardentiſſimos erga eam amores illecto, refert Ælianus *Lib. 10. c. 1.* univerſalem contra Mulieres Legem emanâſſe, ut nulli earum impoſterùm liceret, ludis publicis, ſpecialiter ijs, quos Olympicos vocabant, intereſſe, quæ Lex, per totam Græciam, mulieribus ſanctè obſervanda proponebatur. Erat autem Pherenicæ, Matronæ cuidam, tam formâ, quàm Sanguinis nobilitate conſpicuæ filius, non generoſitate tan tùm, ſed & ſingularî Olympicorum exercitiorum peritiâ inſignis, fortis artubus, in curſu velox, in congreſſibus præ reliquis animoſus. Cùm igitur Pherenica, Mater ejus, ob allegatam communem Legem, in mulieres latam, ſæpiùs à dictis ſpectaculis repelleretur, tanta ob Filium argumenta, cauſasque coram Magiſtratu Athenienſî adduxit, ut ſingularibus Filij meritis in medium productis, à Lege communî abſoluta, ac privilegiata, Ludis tam Olympicis, quàm alijs, ut antehàc, pro libitu, intereſſe ſit permiſſa.

Raptâ jamjam à diabolo, infernalî Paride, pulcherrimâ Helenâ, primâ nimirùm, ac originalî primi hominis innocentiâ, quantocyùs in Legem tranſijt, omnibus omninò hominibus, ex Adamo deſcenſuris, eandem culpam tanquam propriam imputandam, nullique impoſterùm licere, in hunc mundum ingredi, niſi talî infectum labe, quæ omnem ad Cœlos aditum occludit. Hæc Lex non per unam tantùm Græciam, aliamvè Provinciam, ſed per univerſum Orbem indiſpenſabiliter hodiedùm eſt obſervanda. Sed ecce! oppoſuit ſe Cœleſtis Pherenica, MARIA, Unigeniti DEI Filij electa in terris Mater. Hæc tanta, ob filium ex ſe naſciturum, paſſurumque, argumenta, ac cauſas coram Sacratiſſimo Divinæ Triados Magiſtratu adduxit, ut perpenſis tanti Filij infinitis meritis, tam digna ejus Mater à Lege illâ communi gratioſiſſimè fuerit abſoluta, ac ne in Conceptione communem labem contraheret, ſingulariter privilegiata.

### §. 7. *Anagramma.*

EVa ſeCVnDa, MIrè IntaCta. 280.

*Gaude Eva, ſpinâ malorum mirè intacta!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS XLI.

### §. I. *Scriptura.*

281. A Matre RegIs, CVr aVertenDa faCIes?

3. Reg. c. 2. v. 20. *Pete Mater mea! neque enim fas eſt, ut avertam faciem tuam.*

INtrogreſsâ aliquando ad Regem Salomonem Bethſabeâ, Matre ejus (ut refert S. Scriptura) ſurrexit quantocyùs Rex, in occurſum ejus, taliterque eam eſt allocutus: *Pete Mater mea! neque enim fas eſt, ut aver-*

*avertam faciem tuam, &c.* En! quanto in honore Mortalium ille ſapientiſſimus Matrem habuerit? ut ſurgere in occurſum ejus, coronatus licèt Rex, minimè dubitârit, indignum omninò exiſtimans, eam extra Thronum collocari, Filio ſolo Regale ſolium occupante: ſummum prætereà nefas crediderit, ejus avertere faciem, à quâ, poſt DEUM, vitam acceperat. Obſervabat nimirùm Salomon ipſiſſimam filialis reverentiæ regulam, à Tobiâ ſeniore, filio quondam ſuo tam ſollicitè inculcatam: *Honorem habebis Matri tuæ, omnibus diebus vitæ ejus.* Tob. 4. v. 3.

Quâ ergo ratione credendum, illum, de quo Sacræ teſtantur paginæ: *Ecce! plus quàm Salomon hic*, unigenitum æterni Patris Filium, nunquam avertiſſe faciem ſuam ab eâ, cujus Filius naſci decreverat in terris? à quâ tamen avertere faciem omnino debuiſſet, ſi vel unico momento, labem aliquam in Sanctiſſimâ ejus animâ obſervâſſet. Dicendum ergo potiùs, ac firmiter credendum, ſurrexiſſe quantocyùs Cœleſtem hunc Regem, in occurſum MARIÆ, jamjam in gratioſo Divæ Annæ utero concipiendæ, primoque confeſtim momento, ab omnî eam maculâ, cæteroquin neceſſariò incurrendâ, ſpecialiſſimè protexiſſe. Sic enim decebat dignitatem DEI, qui futurus ejus erat Filius: ſic etiam decebat dignitatem talis Matris, à quâ filialem avertere faciem, quis fas eſſe dixerit? Nec ſilentio hìc prætereunda mira illa Evangeliſtæ narratio: Cùm enim pientiſſimo quondam Salvatori noſtro à quibusdam dictum fuiſſet, Matrem ejus, & fratres foris expectare: *Ecce Mater tua, & fratres tui foris ſtant, quærentes te,* nil aliud repoſuiſſe Chriſtum, Matthæus commemorat, quàm quòd interrogârit: *Quæ eſt Mater mea, & qui ſunt Fratres mei?* Quibus attentiùs conſideratis, non immeritò turbari quis poſſet, primóque intuitu facilè ſibi perſuaſum habere, Salvatorem noſtrum hìc minùs ſeſe attentum circà Matrem, aliàs dilectiſſimam geſſiſſe, ejusdemque curam, hoc in caſu, perexiguam demonſtrâſſe. Verùm enimverò longè aliter viſum fuit Chryſoſtomo, hiſce in rem noſtram aureis vocibus diſſerenti: *Quæ eſt Mater mea, & fratres mei?* *Non quòd Matrem contemneret*, ait, *abſit! ſed ut maximè utilitati conſuleret, neque occaſionem daret, ut quiſpiam de ſeipſo abjectum conjectaretur; nam ſi aliorum curam habebat, & dignâ ſe opinione illos imbuere moliebatur, longè magìs id in Matre curâſſet; cùm enim conſentaneum ſit, MARIAM utpote Matrem priores ſibi partes vindicaſſe, &c.* En! quomodo contendat Chryſoſtomus, oſtendere, MARIAM nullatenus à Filio repulſam fuiſſe; cùm tale, ad id confirmandum, depromat argumentum: Chriſtus Dominus aliorum curam habuit: Ergò longè meliùs hoc circa Matrem præſtitit; cùm conſentaneum omninò fuerit, MARIAM utpote Matrem priores ſibi partes vendicâſſe. Ut proinde ex aureâ hac tanti Doctoris concluſione, ſimile ad rem noſtram ſubſumere argumentum non dubitem: DEI Filius primos parentes in gratiâ, juſtitiâ, & ſanctitate produxit: ergo potiorî jure hoc circa Matrem ſuam curavit, cùm conſentaneum itidem fuerit, ut non negaret Matri, quòd alijs conceſſerat, & ex adducto paullò antè Salomonis Regis exemplo, jam tum fas viſum non fuerit, ut à Matre Regis facies aliquando averteretur. Ad hanc ergo non æterni tantùm Regis, ſed & noſtrûm ſimiliter omnium Matrem benigniſſimam, MARIAM, facies modò noſtras convertamus: hanc *Matrem pulchræ dilectionis* ex toto cordis affectu diligamus: ab hac Matre gratiæ, augmentum gratiæ impetrare, ab hac Miſericordiæ Matre conſequi miſericordiam ſtudeamus! nec enim illa fas eſſe exiſtimat, maternam avertere faciem, ab omnibus ad ſe devotè recurrentibus.

Marginalia: Luc. 5. v. 31. — Math. 12. v. 47. — v. 48. — Tom. 3. hom. 20 in Jo.

### §. 2. *Authoritas.*

282. EVthIJMII De ConCeptIone opInIo.

*MARIA eſt altior, & ſuperior quâvis re creatâ, tam quæ ſub aſpectum cadit, quàm quæ non cadit, quæ eſt pura, impolluta, intacta, Patris, qui nec videri, nec comprehendi poteſt, ab omnî reprehenſione aliena, & pulcherrima Sponſa.* Orat. in adorationem vener. Zonæ Deip. c. 8.

### §. 3. *Ratio.*

283. ReDeMptIo, pLVs VaLet CreatIone.

REdemptio generis humani majoris eſt excellentiæ, quàm ejus creatio; cùm in illâ, non autem in hac, Verbum Divinum caro factum fuerit, & pura creatura in Matrem DEI electa, & prælecta, ſupra omnes homines, & Choros Angelorum exaltata fuerit. Sed ſi Beata Virgo, ut omnes reliqui homines, contraxiſſet peccatum originale, ipſa Creatio excederet in perfectione Redemptionem. Ergo Beata Virgo non contraxit peccatum Originale. Min. Prob. Natura primorum noſtrorum parentum fuit creata, nullis antecedentibus meritis, ſine peccato, in gratiâ: Ut ergo huic excellentiæ Redemptio coæquetur, vel ut eam ſuperet, ſalvari aliter non poteſt, niſi per hoc, quòd etiam aliqua creatura fuerit redempta, redemptione præſervativâ, ex meritis Chriſti, ſine peccato, in gratiâ, nullis præcedentibus proprijs meritis. Sed ſi Beata Virgo contraxiſſet peccatum originale, nulla ampliùs creatura aſſignari poſſet, quæ ſimilî modo eſſet redempta. Ergo &c.

### §. 4. *Hiſtoria.*


284. QVæqVe, ob honoreM ConCeptIonIs, oranDa.

LAudanda ſummoperè, ac valde celebranda eſt, Concionatoris illius, in Civitate Aquilanâ, habita quondam ad populum exhortatio, id ſtudiosè perſuadentis, ut in omnî tribulatione, Auditores Beatiſſimam deprecarentur Virginem, quatenùs eos liberare dignetur, ob honorem, ac reverentiam immaculatæ ſuæ Conceptionis. Experta eſt ſalubrem Concionis hujus effectum mulier quædam, quæ finito tam Sermone, quàm reliquo Divino officio, domum reverſa, filium ibi ſuum, quem unicum habebat, furijs plenum invenit, gladio diſtricto ſibimetipſi necem inferre paratum: eò nempe nefarius ille homo deſperationis devenerat. Quid hìc plena terrore mater? clamare certè illa, ac obſecrare, ne in DEUM ſimul, ac in ſeipſum impius, violentas inferat manus vitæ, cujus non haberet dominium. Non audit tamen maternas preces furioſus filius, imò gladium hinc inde diſcutiens, in fugam ſe recipit. ſed ecce! currendo corruit, ſpectante matre, & quidem ſuper ipſum gladium, quem ad pectus poſitum furibundus tenuerat, proſternitur. Vix caſum mulier obſervavit, cùm ſtatim, mènte ad MARIAM elevatâ (ut à Concionatore paullò antè didicerat) ob honorem, ac reverentiam immaculatæ ſuæ Conceptionis, eandem rogavit, ut à tanto tum corporis, tum animæ periculo, ſuum defendere filium, pia Mater dignaretur. Nec certè inanis fuit perſoluta ob honorem Conceptionis oratio; cùm enim gladius omnia veſtimenta, imò & induſium penetrâſſet, ſicque ad nudam uſque carnem cadentis filij pertranſiſſet, adeò ſeſe confeſtim reflexit, ut molliſſimæ inſtar ceræ effectus, ad tam potentes matris ad MARIAM preces, nullam furenti filio læſionem intulerit. *Novarinus, Umbrâ Virgin. excurs. 17. pagina 63.*

* * *

## §. 5. *Symbolum.*

285. MarIa pVrè ConCepta, TVba-Roſa oDorIfera.




Flos ſuperans candore nivem, quem vertice celſo
Forma probat, miro replet odore Domum.
Flos ſine labe, nivem ſuperans candore, MARIA
Et Cœli, & terræ replet odore Domum.

*Sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Geneſ. c. 27. v. 27.

## §. 6. *Antiquitas.*

286. CorIoLanI, In Iras aCCensI, oCCVrrente proprIâ Matre, pLaCatIo.

Cum Marcius ille Coriolanus (*teſte Livio l. 2. & Valer. Max. l. 5. c. 4.*) Urbe Romanâ turpiter proſcriberetur, mox Volſcis Romanorum hoſtibus junctus, ingentî Patriam ſuam cinxit exercitu, illatam ſibi injuriam ſanguine ulturus, Urbemque, ſi Superis placuiſſet, funditùs everſurus. Hinc terror undique ingens; præſertim, cùm perſpectam optimè haberent Romani, ſingularem hominis bellicoſi induſtriam, cujus furias ardentes pertimeſcebant univerſi. Tandem Senatus, timores inter, ac tumultus, ad mitiora conſilia efferatum hominis animum pertracturus, Conſularem ad eum legationem dimiſit, quâ ille protinùs rejectâ, indignos, inquiebat, Romanos eſſe amicitiâ illius, quem priùs ipſi, tanquam hoſtem, adeò probrosè expuliſſent: Enſem proinde ſuum portas aperturũ, quas cives ſibi occluſiſſent: caſtris illi maturè excederent, nì ut exploratores tractari vellent. Re, hunc in modum, minùs proſperè à legatis perfectâ, Senatus majorî, ac honoratiorî miſſione, hominem placandum cenſuit; ſubmiſit igitur Pontifices, Sacro habitu indutos, pluresque in dignitatibus publico ſumptu conſtitutos, qui tamen nihilò ampliùs cæteris efficientes, ſimiliter cum minis, dirisque rejecti ſunt. Ultimum tandem erat in Matre conſilium; Hæc enim ad caſtra Filij inimica procedens, maternam ob reverentiam, non loqui tantùm permiſſa, ſed humaniſſimè ſuit excepta. Verba, quæ protulit, pauca erant, ſed ponderoſa; ajebat enim: *Coriolane, Fili mi! Ego te oro, ne bellum inferas Patriæ: obſiſto Mater tuæ violentiæ; aut igitur me priorem, reſiſtentem tibi Matrem, tuâ manu furibundus obtrunca, & tunc in Patriam belligera, aut, ſi ſcelus perhorreſcis, cede, & ultrò, Fili! dona hanc Matri gratiam!* Quid hìc ageret Coriolanus? Proſiliens certè è ſellâ, Matremque complexus, poſt multas lachrymas exclamavit: *Viciſti Mater! Viciſti iram meam! Patriam, quamvis meritò mihi inviſam, precibus dono tuis.* Dixit, & reducto quantocyùs exercitu, Patriam vix non metu exanimatam, omnî periculo abſolvit.

Eodem prorsùs modo, cùm Dominus DEUS, ex animâ neo-creati hominis, per unam peccantis Adæ inobedientiam, fœdè pelleretur, mox injuriam ulturus, totamque ejus poſteritatem æternùm Cœlo proſcripturus, peccatum immiſit originale: hìc Divinam placatura Nemeſin Protoparentis ſtirps, nihil effecit, & quamvis viros cæteroquin juſtiſſimos, Noëmum,

mum, Abrahamum, Iſaacum, Joſephum, Moyſen, &c. mediatores adduxerit, tamen & illi, quoad hanc maculam, & ipſis olim inhærentem, rejecti, re infectâ, dimiſſi ſunt, quouſque MARIA, Verbi Divini electa Genitrix, ſuâ in Conceptione, obviàm procedens, maternam ob reverentiam, humaniſſimè excepta, non tantùm violentiæ dicti peccati generosè obſtitit, utpote ſingulariter ab eo præſervata, verùm etiam per illam, ejusdemque benedictum ventris Fructum, tota Patria, id eſt, totum humanam genus à Divinâ vindictâ fuit conſervatum; ac ſi dicere voluiſſet DEUS: *Viciſti Mater iram meam*, nec ad momentum tibi iraſcar: inſuper & reliquos Adæ filios, licèt mihi inviſos, *dono precibus tuis*, ſi tamen, ut ſanguine meo redempti, ita lavacro Baptismatis abluti, de novo peccare deſierint, &c.

## §. 7. *Anagramma.*

LIbera, aC tVta, à LapsV ADaMI. 287.

*Regina mirè tuta, à lapſu communî Adae!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XLII.

## §. I. *Scriptura.*

288. In hoC teMpLo, sIne Labe ConCepto, CVnCta aVro teCta.

3. Reg. c. 6. v. 22. *Porrò nil erat in Templo, quod non auro tegeretur.*

CUm celeberrimum tandem illud, ac præſtantiſſimum Salomonis Templum, Divino Nomini extruendum ſuſciperetur, c. 5. v. 17. præcepit ante omnia Rex, *ut tollerent lapides grandes, lapides pretioſos in fundamentum Templi.* Porrò (ut Sacra refert Hiſtoria) *Nil erat in Templo, quod non auro* c. 6, v. 22. *tegeretur. Sed & totum altare Oraculi texit auro.* Inſuper *& pavimentum Domûs* v. 30. *texit auro, intrinſecùs, & extrinſecùs.* Si deinde ſcire cupias, quot anni in extructione ſumptuoſiſſimi hujus Templi fuerint conſumpti? ecce Scripturam! v. 38. *ædificavitque eam annis ſeptem.* Cæterùm implente hoc Templum gloriâ Domini, quis explicet Majeſtatem? Audi iterum Sacrum Hiſtoricum, hæc referentem: *Et non poterant Sacerdotes ſtare, & miniſtrare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini Domum Domini.* c. 8. v. 11. Quid dicam de ſolennitate Dedicationis? *Mactavit certè Salomon hoſtias pacificas, quas immolavit Domino, boum viginti duo millia, & ovium centum viginti millia. Et dedicaverunt Templum Domini Rex, & Filij ejus.* v. 62. Verbo: *Fecit Salomon in tempore illo Feſtivitatem celebrem, & omnis Iſraël cum eo.* v. 65. Tandem apparens Salomoni Dominus, ut ſuum in hac ſplendidâ Templi extructione beneplacitum oſtenderet: *Sanctificavi*, ait, *Domum hanc, quam ædificaſti, ut ponerem Nomen meum ibi in ſempiternum, & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.* c. 9. v. 3.

Verùm à Templo hoc Salomonico, ad aliud Templum, longè ſplendidius, incomparabiliter pretioſius, totum quantum aureum convertamur. Cùm enim *Templum Virginale*, MARIA, à mellifluo Bernardo, & alijs ſic intitulata, Divino Nomini, id eſt, JESU, ex eâ naſcituro, à Divinâ Sapientiâ extrueretur, ante omnia con- Serm. 10. in Cant.

conſtituit, *tolli lapides grandes*, *ac pretioſos in fundamentum*, id eſt, poni in ipſo Conceptionis exordio fundamentum firmiſſimum Sanctitatis, juxta illud Pſalmiſtæ: *Fundamenta ejus in montibus Sanctis*, ſive, ut Hebræi legunt, *in montibus Sanctitatis*, nil Sanctitati contrarium in primo etiam articulo illo admittendo. Porrò *nihil erat in Templo* hoc Mariano, *quod non auro tegeretur*, & quidem puriſſimo, ſummæ in DEUM dilectionis, tam *intrinſecùs*, quàm *extrinſecùs*, tam in corpore, quàm in animâ: de quo auro S. Laurentius Juſtinianus ita diſcurrit: *Eſt aurum mundum, carere peccato mortalî, eſt mundius, carere veniali, mundiſſimum aurum eſt, carere fomite peccati, quod nullus habuit, præter Beatam Virginem; unde congruè attribuitur ei ſuperlativus gradus, dicendo: veſtivit eam Auro puriſſimo, &c.* Hoc Templum non annis tantùm ſeptem ædificatum, ſed ut Bernardus ait: *Negotium ſæculorum*, gloriâ Domini jugiter impletum fuit, Vate Regio haud vanè prophetante: *In Templo ejus omnes dicent gloriam.* Quòd ſi in Templo illo Salomonis ipſi etiam Sacerdotes ſtare non potuerunt, propter nebulam gloriæ Domini, Templum implentis: quomodò credibile erit, in Templo hoc Virginalî ſtare, ac ſubſiſtere unquam potuiſſe Principem tenebrarum, gloriâ Domini penitùs confuſum, ac excæcatum? Hoc proinde Templum, ſummâ celebritate, ab ipſo Cœleſtî Salomone ſtatim abinitio fuiſſe dedicatum, quis dubitet? ſi enim in Templi cujusdam materialîs Dedicatione, Eccleſia oleo perungi ab Epiſcopo ſolet, in MARIAM totus ſeſe effundere voluit Spiritus Sanctus: ſi humus Eccleſiæ cinere reſpergitur, in MARIA mox abinitio ignis flagrabat ardentiſſimæ charitatis: ſi ibi græcis, latinísque litteris integrum A. B. C. terræ inſcribitur, hìc non in pulvere quidem, ſed in Virginalî bargameno, Divino exarabatur digito A, & Ω, Verbum Divinum: ſi Eccleſiarum muri aquâ lavari aſſolent benedictâ, in MARIA nihil aderat abluendum, quia pura omnia: ſi in Eccleſiæ materialîs Dedicatione parietes ſignantur Sacratiſſimo Crucis ſigno, hìc aſperſa jugiter immolandi Agni immaculati ſanguine MARIA, omnem obtinuit benedictionem, & ſecuritatem, per præviſa Sacratiſſimæ Paſſionis merita. Ut igitur in ſplendidiſſimâ hac extructione Templi Mariani, verè Aurei, ſummum oſtenderet beneplacitum Divina Majeſtas, non tantùm illud, tanquàm Nomini ſuo, ſeu potiùs Filio incarnando, ab æterno præparatum, ſpecialiter Sanctificavit, verùm etiam ipſe DEI Filius, Patri per omnia coæqualis, ſummus *ſecundùm Ordinem Melchiſedech* Sacerdos, ſuas quaſi Primitias ibi celebrare, eidemque æterno Patri ſemetipſum in juge Sacrificium offerre voluit, oculis interim, ac corde Divino, in Virgineo hoc Templo, haud ſecùs, ac in illo Salomonico, conſtanter permanentibus. Quis ergò, his auditis, non accedere percupiat ad ſplendidiſſimum hoc Templum, non auro tantùm puriſſimo puriſſimæ Conceptionis, ac Charitatis perpetuæ undequaque fulgidum, verùm etiam tantâ ſingularitate ab ipſo Divino Numine conſecratum, ac Sanctificatum? Hùc, hùc oculos noſtros, ac corda iterùm iterumque convertamus, huic Virgini ſine omnî labis ſcoriâ conceptæ aurum devotiſſimæ dilectionis offeramus, ut, eâ purgante, nos quoque aurum mundum, tam in corpore, quàm in animâ efficiamur.

Pſal. 68. v. 1.

de Laud. M. L. 10.

Serm. 2. in Pent.

Pſal. 28. v. 9.

## §. 2. *Authoritas.*

S. FVLbertVs CarnotensIs, CLIens ConCeptæ, à peCCato reMotæ. 289.

1. *Ave MARIA! electa, inſignis inter filias, quæ immaculata ſemper extitiſti, ab exordio tuæ Creationis, quia paritura eras creatorem totius Sanctitatis.* Serm. de Annunc.

2. *Hoc igitur inprimis adſtruere fas eſt; quòd*

*quòd animæ ipſius, & caro, in qua elegit habitaculum ſibi Sapientia DEI Patris, ab omnî malitiâ, & immunditiâ puriſſima fuerunt, affirmante Scriptura, quòd in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Serm. de Nativ. B. V.

3. *Una eſt MARIÆ, & Chriſti caro, & Filij gloriam cum Matre, non tam communem judico, quàm eandem.* Ibid.

## §. 3. *Ratio.*

290. Labes orIgInaLIs repVgnat aMICItIæ DEI.

BEatiſſima Virgo MARIA fuit modo omninò ſpecialiſſimo amica DEI, pro omni inſtantî. Ergo neceſſariò debuit excludere peccatum originale. Ant. conſtat ex eo; quò enim aliquis ſpecialiorî modo DEO conjungitur, eò ſpecialiorî modo, eſt amicus DEI: Sed Beatiſſima Virgo, per maternitatem, tanquam per modum ſpecialiſſimum, conjungitur DEO. Ergo B. V. MARIA omnî modo ſpecialiſſimo fuit amica DEI. Conſeq. Prob. Peccatum originale, & quodlibet aliud peccatum grave reddit formaliter hominem inimicum DEI: Sed implicat, ut quis ſit ſimul amicus, & inimicus. Ergo cùm B. V. MARIA fuerit modo ſpecialiſſimo amica DEI, neceſſariò debuit excludere peccatum originale.


## §. 4. *Hiſtoria.*

291. ILLIbatæ gratVLabVnDa LaMpas.

CUm curſor quidam Hiſpaniæ Regis, Pontificium Sixti IV. Summi Chriſti Vicarij Diploma, in favorem immaculatæ extraditum, Madritum attuliſſet, non ingentî tantùm gaudio tota Civitas perfundebatur, verùm etiam lampas nocturno tempore, coram devotâ immaculatæ Conceptionis Imagine, in publico foro accendi ſolita, claro die, non ſine inſigni miraculo, ſpontè ſuâ ardere cœpit, eo ipſo nimirùm temporis momento, quo curſor optatus advenerat; quamvìs enim exigua prorsùs olei particula, à præteritâ etiamnùm nocte in lampade ſuperfuiſſet, aqua longo tempore fomentum ſuppeditavit, ac olei defectum jugiter ſupplevit. Accurrêre haud immeritò, ad tam inſolitum gratulabundæ lampadis ſpectaculum, innumeri ferè homines, populoſiſſimam hanc Urbem incolentes, ac pro manifeſto immaculatæ Conceptionis indicio, debitas Numini gratias dixêre. *Joannes Burgheſius lib. de Patrocin. Deip. c. 21. Nierenbergius in Parthenicis fol. 28. Raynaud. Tom. 8. pag. 323.*

## §. 5. *Symbolum.*

In TeMpLo HerCVLIs non sVnt ſorDes. 292.




Herculis hoc Templum eſt: procul hinc date tergula Muſcæ!
Templa decent puros non niſi pura Deos.
Numinis hæc Templum eſt: procul hinc date crimina tergum!
Sola decet purum pura MARIA DEUM.

*Sanctum eſt Templum tuum, mirabile in æquitate.* Pſal. 64. v. 5.

### §. 6. *Antiquitas.*

293. TeMpLI EphesInI, DIanæ VoCatI, LIberatIo.

TEmpore, quo jubente Alexandro, glorioſo Macedonum Rege, jam ſæpiùs à nobis deprædicato Civitas Epheſina deſtruenda, flammisque voracibus in pabulum tradenda erat, ſolum ab illo horribilî incendio liberum voluit Rex Templum illud, quod Dianæ vocabatur, ac inter ſeptem orbis miracula numerari merebatur. Cauſam reſervati hujus Templi aliam non invenio, quàm quòd illud *Deæ puritatis* dicatum, à ſuperſtitioſis Sacrificulis dicebatur. Eàpropter ad primum dicti Templi introitum, hæc marmori verba incidi, aureisque litteris deſcribi curavit Alexander: *Puritas deſtructioni non eſt obnoxia. Lucan. l. 1.*

Quòd ſi, ex hoc unico motivo, Templum Dianæ, à communî incendio, eſſe liberum promeruit, quanto multò magìs privilegio, & libertate gaviſum fuiſſe dicendum erit ſplendidiſſimum illud Templum, Enti puriſſimo ab æterno ſpecialiſſimè dedicatum, in quo ipſum Verbum æternum, per novem Menſes, corporaliter ſubſiſtere cogitabat? Certè piè credendum eſt, magnificentiſſimum Mariani hujus Templi ædificium, in primo per Conceptionem MARIÆ in orbem ingreſſu, aureis Divinæ charitatis litteris, inſculpta geſſiſſe eadem ipſa Alexandri verba: *Puritas deſtructioni non eſt obnoxia*, utpote quæ primam gratiam, & juſtitiam originalem, nunquam per turpe, ac commune crimen deſtrui patietur.

### §. 7. *Anagramma.*

EVa MIranDa, sIne pVgnâ ConCepta. 294.

*Admiror Te, Eva immaculata, sine pugnâ!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XLIII.

### §. 1. *Scriptura.*

295. ConCeptIo pVra, MVnere RegIo Data.

3. Reg. c. 10. v. 13. *Rex autem Salomon dedit Reginæ Saba omnia, quæ voluit, & petivit ab eo, exceptis his, quæ ultrò obtulerat ei, munere Regio.*

FElix certè Regina Saba! quæ ſuâ tùm incomparabilî pulchritudine, tùm ſuaviſſimâ morum compoſitione, adeò ſapientiſſimi Regis captivavit animum, ac benevolentiam, ut non ſolùm facile ei fuerit, omnia deſiderata pro voto impetrare, verùm etiam plurima inſuper dona, munere Regio ſuperaddita, ab eâdem liberaliſſimâ Regis manu acceperit. Sic enim Sacra nos inſtruit Hiſtoria, dicens: *Rex autem Salomon dedit Reginæ Saba omnia, quæ voluit, & petivit ab eo, exceptis his, quæ ultrò obtulerat ei, munere Regio.*

Sed quid hæc dona omnia, in comparatione illorum donorum, quæ puriſſima Numinis Genitrix à ſupremo illo Regum Rege, ac Domino Dominantium, meritiſſimo jure obtinuit? Dedit certè Cœleſtis hic Salomon MARIÆ, deſtinatæ Cœlorum Reginæ, proprijque Unigeniti futuræ in terris Genitrici, aggregationem omnium

nium donorum deſiderabilium: dedit firmiſſimam Saræ fidem, liberalem Rebeccæ manſuetudinem, Heroicam Judithæ fortitudinem, ſingularemAbigailis ſapientiam, laudabilem Rahabæ miſericordiam, ferventiſſimam Annæ, Uxoris Elcanæ devotionem, profundiſſimam Ruthæ humilitatem, elegantiſſimam Eſtheris pulchritudinem, atque, ut paucis cum doctiſſimo Jdiotâ multa comprehendam: *Non defuit illi puritas Angelorum, non fides Patriarcharum, non Zelus Apoſtolorum, non patientia Martyrum, non ſobrietas Confeſſorum, non innocentia, aut humilitas Virginum, &c. quantum enim diſtat inter odorem, & guſtum aromaticæ ſpeciei, tanta eſt inter contemplationem MARIÆ, & aliorum Sanctorum diſtantia.* & ſanè, nùm aliqua eorum omnium gratiarum, quas inter Sanctos, atque amicos ſuos tam variè ſparſit liberaliſſima DEI manus, deſignari poteſt, quæ in Virgine ſingularibus privilegijs auctior non inveniatur? In ſummâ: *Dedit MARIÆ, omnia, quæ petivit ab eo,* datque in hodiernum uſque diem, præſertim, ſi pro peccatoribus precatrix interveniat, *exceptis his,* id eſt, præter ea, *quæ ultrò obtulerat ei, munere Regio,* in primo jam Conceptionis inſtantî, ſingulare ſcilicèt privilegium, exemptionis ab originalî culpâ, ac maculâ reliquis omnibus communî. Et quis immunitatem hanc ſpecialiſſimam non dicat *munus* eſſe verè *Regium?* cùm primævus ille animæ nitor longè majus utique bonum ſit, quàm intemerata corporis Virginitas, vel omnia chariſmata gratis data, vel etiam ipſa DEI Maternitas, quamvìs hæc munus fuerit, quo majus, aut excellentius conferri creaturæ vix poterat. Hæc ergò exemptio munus fuit,& privilegium, nulli certè alteri, quàm Regis Regum Regiæ Matri communicandum: ſicut enim, ſecundùm Juriſtas, *Imperatrix ſimilis habetur Imperatori, & participat omnia privilegia & prærogativas, ipſi Imperatori, Majeſtatis jure, convenientes:* ſic Chriſtus, verus DEUS

Contemp. de B. V. c. 2.

In L. 6. §. 1. ff. de Jure fiſci. & L. 3. C. de quadrieñ. præſcript.

& homo, dum nulli legi peccati eſſet obnoxius, & liberum ſe nôſſet ab originalî per naturam, liberam quoque habere voluit MARIAM (munere verè Regio) per gratiam, & privilegium, ne unquam in originale peccatum incideret, aut unicum peccatum actu com̃itteret;quasì ad futuram ſuam Genitricem diceret illud Ambroſij: *Generationis meæ in te privilegium agnoſco, quem nulla potuit macula inquinare peccati.* Præviderat hæc Regia munera,in Beatiſſimam DEI Parentem copioſiſſimè à Divino Salomone conferenda, Vates Regius; hinc ſingularem ejuſdem puriſſimæ Conceptionis prærogativam, ac excellentiam hiſcé verbis declarare videtur: *Adſtitit Regina ad dextris tuis, in veſtitu deaurato,* hoc Scripturiſtico-Chronographicum adjungens elogium:

In Pſal. 40.

Pſal. 44. v. 11.

*CIrCVMData VarIetate.*

volens nimirùm ſignificare, in primo illo Conceptionis articulo, Reginam noſtram à dextris DEI extitiſſe, nunquam verò, nec puncto quidem temporis, adſtitiſſe à ſiniſtris: comparuiſſe eam in illo ipſo temporis puncto in veſtitu deaurato, gratiæ præſervantis à quocunque peccato, *munere Regio* acceptæ: *circumdatam* præterea omnium *varietate* virtutum, ſive (ut S. Hieronymus vertit) *ſcutulatis veſtibus*: meritò enim veſtes gratiæ illius *ſcutulatæ* appellantur, quia mille ſcuta peccato oppoſuit copioſa MARIÆ gratia, juxta illud: *Mille clypei pendent ex eâ,* quorum ſanè fortitudinem peccati originalîs arma minimè expugnare, aut infringere potuerunt. Tu proinde feliciſſima non Sabæ, ſed Cœli Regina! cui Cœleſtis Salomon omnia dat, quæ vis & petis ab eo, pete veniam noſtrorum delictorum: pete ſeriam cordis compunctionem: pete perfectam vitæ anteactæ emendationem: pete felicem è mortalî hac vitâ exitum! dabit certè hæc omnia in manus tuas, imò ſuperaddet (ut piè ſperamus) munus quoddam Regium, fruitionem ſcilicèt viſionis ſuæ Beatificæ, æternùm perennaturæ:

Cant. c. 4.

§. 2.

### §. 2. *Authoritas.*

296, S. FVLgentIVs, Conſtans MarIæ à Labe Defenſor.

1. *Primum hominem mulier corruptâ mente decepit: ſecundum Virgo incorruptâ Virginitate concepit: in primi hominis conjuge, nequitia diaboli ſeductam depravavit mentem: in ſecundi hominis Matre, gratia DEI mentem integram ſervavit, & carnem.* Serm. de dupl. Chriſti Nativ.
2. *Cùm Angelus dixit: Ave, Salutationem illi Cœleſtem exhibuit, cùm dixit: gratiâ plena, oſtendit ex integro iram excluſam primæ ſententiæ.* De laud. Virg.

### §. 3. *Ratio.*

297. Carens effeCtu peCCatI, non feCIt peCCatVM.

UBi omnis effectus cauſæ deeſt, cauſa ipſa deeſſe cenſetur: atqui in Beatiſſimâ Virgine omnis effectus peccati originalis deeſt: Ergo etiam ipſum peccatum originale deeſſe cenſendum eſt. Min. Prob. Effectus peccati originalis ſunt Mors, incineratio corporis, rebellio appetitûs contra rationem, aliæque ærumnæ corporis, quas in hac vitâ patimur, ut docet S. Thom. q. 5. de malo art. 4. *Secundùm Fidem Catholicam tenendum eſt, quòd Mors, & omnes hujusmodi defectus præſentis vitæ ſunt pœna peccati originalis*, & præſertim in mulieribus, dolores partûs, & gravedo, &c. Sed ab his omnibus Beatiſſima Virgo, per ſpecialia DEI dona præventa, & præſervata fuit, utpote, quæ ſine ærumnâ, aut morbo, de temporali ad æternam vitam, cum animâ, & corpore translata fuit, ſicque non incinerata: quæ etiam ob perfectiſſimam ſubordinationem appetitûs ad rationem, nullo unquam veniali peccato ſe maculavit: quæ denique ſine gravedine gravida, & ſine dolore puerpera fuit, &c. Ergo in Beatiſſimâ Virgine omnis effectus peccati originalis, conſequenter & ipſum originale defuiſſe cenſendum eſt.

### §. 4. *Hiſtoria.*

ProfeſſorIs, ne pVræ ConCeptIonI reſIſtat, serIa aDMonItIo. 298.

INvitabantur die quâdam ad ſolennem Diſputationem complures diverſorum Ordinum Profeſſores, aliíque viri, quos doctrinæ fama, id loci, celebres fecerat, ab Alexandro quodam in Angliâ Profeſſore, cujus unica erat intentio, Feſto immaculatæ Conceptionis, à plurimis jam celebrari ſolito, pro viribus reſiſtere. Verùm mox reſiſtentem advertit propoſito ſuo Deum, qui nocte inſtitutam Diſputationem immediatè præcedente, tantis illum doloribus, ac torminibus corripuit, ut facilè poſſet intelligere, ſeriam hanc eſſe admonitionem, , deſuper immiſſam, ne puræ Conceptioni Beatiſſimæ DEI Parentis tantâ temeritate reſiſtat, ſed potiùs ſolenni illi Feſto devotè celebrando, cum alijs doctis viris, humiliter conſentiat; Eapropter, mutato illâ ipsâ nocte propoſito, ac ceſſante pariter dolore, reſiduam noctis partem in compoſitione pulcherrimi Sermonis inſumpſit, quo non tantùm ſuum de Virginis Conceptione errorem ſponte retractavit, verùm etiam in plurimas ejusdem puriſſimæ Virginis laudes, inexpectatâ elegantiâ, eſt effuſus. Hunc itaque Sermonem, cujus initium: *Fiat Lux, &c.* horâ Diſputationis, in publico doctiſſimorum Virorum conſeſſu, præter ſpem, peroravit, ac nemine reſiſtente Victor, maximum exinde plauſum, ac gratulationem retulit. *Bernardin. de Buſti Serm. 7. de Concep.*

### §. 5. *Symbolum.*

299. MARIA, pVra VIrgo, aCCeDat!




Accedat! ſua quem reliquis doctrina priorem
Efficit, & dignus præmia prima ferat!
Accedat! quam Matris honor magìs extulit, atque
Conceptûs puri Præmia prima ferat!

*Sic honorabitur, quemcunque voluerit Rex honorare.* Eſther. c. 6. v. 9.

### §. 6. *Antiquitas.*

300. FILIa CasIopIs, sCopVLo aLLIgata, ſeD LIberata, & ſteLLIs aDLeCta.

FIngunt Poëtæ, ſpecioſam Caſiopis Filiam, Andromede nuncupatam, ob dictæ Matris ſuæ ſuperbiam (quæ ſe Nereidas formâ antecellere gloriabatur) à Nymphis marino quondam ſcopulo alligatam fuiſſe, atque, ut à Balenâ devoraretur, expoſitam: à præſentiſſimo tamen exitio quantocyùs vindicatam, virtute Perſei. Hic enimverò opportunè illuc iter faciens, miſeratus florentem Virginis ætatem, venuſtiſſimam corporis formam, animique candorem, & innocentiam, ſtricto acinace (eodem nimirùm, quem dono acceperat à Mercurio) totâ virium contentione in adventantem Cetum irruit, ac confodit, puellamque tam crudeliter marinæ belluæ in pabulum objectam, diſſolutis ferreis catenis, parentibus ſuis reſtituit: qui proinde in grati animi theſſeram, tantique pretium laboris, filiam Andromedam, jugalî fœdere, Perſeo junxerunt, quæ tandem Andromeda poſtremò in Cælum Empyreum collocata, & inter ſtellas adlecta fingitur.

Si ſuperbam Caſiopem Evam dixero, non errabo, quæ per verba illa ſerpentis: *Eritis ſicut Dij*, miſerè ſeducta, DEO etiam ipſi ſuperbâ inobedientiâ reſtitit: ſi ſpecioſam ejus filiam Andromedam, MARIAM nuncupavero, optimè pariter dictum puto; hæc enim, ob Evæ Matris ſuæ ſuperbiam, & prævaricationem, à multis quasì ſcopulo alligatur, ac Ceto devoranda traditur, dicentibus, eandem, ob hoc ipſum matris delictum, pariter funibus peccati adſtrictam, ac à Ceto infernalî, aliquo ſaltem temporis momento, devorandam fuiſſe. Verùm, falluntur ij: maturè enim, in ipſo nimirùm Conceptionis primo articulo, à Cœleſti Perſeo, Divino nimirùm Spiritu, præveniente, ac præſervante gratiâ adjuta, & à rictu Ceti, antequàm attingeretur, liberata, non eidem tantùm Divino Spiritui in Sponſam ceſſit, verùm etiam poſtremò glorioſè in Cœlos aſſumpta, inter tot ſtellas, quot Sanctos, tanquam puriſſima eorum Regina, collocata eſt.

### §. 7. *Anagramma.*

AVe Mater AgnI DEI, à peCCato pVra! 301.

*Tu Mater es Agni Dei, à maculâ omnî pura!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XLIV.

## §. I. *Scriptura.*

302. MarIa, Vrbs LIbera, à DEO proteCta, & ſaLVata.

4. Reg. c. 19. v. 34. *Protegam Urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum.*

HAud immeritò Regius quondam Propheta de potentiſſimâ Numinis protectione ſequentem deprompſit verſiculum: *Niſi Dominus cuſtodierit Civitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam.* Pſal. 126. v. 1. Hoc enim jugiter experta fuit felix illa Civitas Jeroſolyma, de qua (Sacrâ teſtante Scripturâ) *Hæc dicit Dominus, de Rege Aſſyriorum: non ingredietur Urbem hanc, nec mittet in eam ſagittam, nec occupabit eam clypeus, nec circumdabit eam munitio. Per viam, quâ venit, revertetur, &c.* 4. Reg. 19. v. 32. *Protegamque Urbem hanc, & ſalvabo eam propter me, & propter David ſervum meum, &c.* v. 34. Felix profectò Civitas, quam tantâ, tamque paternâ ſollicitudine Dominus cuſtodivit! Verùm, nonnè Te Civitatem longè feliciorem dicam? Virgo Beatiſſima! dequâ illud ſine dubio intelligendum, quod Regius Vates alibì expreſſit, nimirùm: *Glorioſa dicta ſunt de te, Civitas DEI.* Pſal. 86. v. 2. Et quænam illa? nonnè ea ipſa, quæ Regi olim Ezechiæ, de Civitate Jeroſolymitanâ per Iſaiam prænuntiata: *Non ingredietur Urbem hanc, &c. protegamque Urbem hanc, &c.?* licèt enim ſub ipſo ſtatim conditi Orbis principio, callidiſſimus ille animarum prædo, infernalis tyrannus, fallacî quodam ſtratagemate, vix creatum hominem invaſerit, totamque ejus progeniem infelicî ſuo in mundum ingreſſu, in miſerrimam abſtraxerit ſervitutem; in Te tamen, munitiſſima DEI Civitas, MARIA! ingredi omninò prohibebatur: & quamvìs, eiaculatis in quemcunque noſtrûm venenoſis totidem ſagittis, cunctis reliquis origi nale vulnus inflixerit, ut conqueri unusquiſque cum Jeremiâ poſſet: *Poſuit me quaſi ſignum ad ſagittam;* Thren. 3. v. 12. in Te tamen ſolâ verificabatur illud: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis, ad te autem non appropinquabit,* Pſal. 90. v. 7. cùm in Te venenatam peſtiferæ tabis ſagittam jacere orcinus Aſſyriorum Princeps minimè valuerit. Nec occupare Te clypeus, nec circumdare munitio audebat; quia illa ipſa mox in exordio Conceptionis tuæ cernebaris, de quâ dicitur: *Mille clypei pendent ex eâ, omnis armatura fortium.* Cant. 4. v. 4. Quòd ſi, teſtantibus Sacris paginis, Civitas illa Jeruſalem fuit circumdata triplicî muro, Tibi, Virgo Beatiſſima! triplex quoque fuit murus, peculiaris ſcilicet protectio Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, contra triplex peccatum, originale, veniale, & mortale, ſub quâ protectione contra omnem peccati cujuscunque ſagittam tutiſſima ſemper delituiſti. Ave ergo *MARIA, Urbs libera, à DEO protecta, & ſalvata!* Ave Mater vitæ, per quam revertitur ſeu retrocedit ſeductrix Eva, mater morientium. Talî enim encomio Sacer quidam Poëta Te venerari, ac ſalutare voluit:

*Porta Salutis Ave! per quam patet exitus Evæ:*
*Tollis ab Eva Vae: Vae quia tollis, Ave!*

Protexit enimverò Te DEUS, & ſalvavit Te, ab omnî incurrendâ tam originariâ, quàm actualî culpâ, propter Semetipſum, & propter Filium ſuum Unigenitum, ex puriſſimo Tuo ſanguine, in Virginalî utero, mortalem carnem aſſumpturum, juxta illud: *Eſto mihi in DEUM protectorem, & in locum* Pſal. 70. v. 3.

*cum munitum, ut ſalvum me facias, &c.* Hæc cùm ita ſint; ad Te modò, Virgo puriſſima, ac ſpecialiter in tuâ Conceptione protecta! mea dirigitur oratio: Urbem liberam Te veneramur, & ab ipſo DEO ſingularî quodam modo protectam agnoſcimus: ſed effice, ut & nos miſeri peccatores, ſordibus innumeris inquinati, per ſinceram Confeſſionem à peccatis tandem liberi, à DEO impoſterùm protegamur. Salvata es præſervativè à culpâ originalî: ſed intercede, ut & nos, per Divinam gratiam, ab actualibus ſaltem culpis præſervemur, ne ingredi poſthàc in animas noſtras inimicus audeat, aut ſagittis tentationum ſuarum conſcientias noſtras ſauciare prævaleat, &c.

## §. 2. *Authoritas.*

303. GeorgIVs NICoMeDIensIs, teſtIs ILLIbatæ.

1. *Accipe ergò eam, ſicut commendatum Cæleſtem theſaurum, Deitatis divitias, ſicut pleniſſimam ſanctitatem, ſicut perfectam juſtitiam: accipe eam, ſicut Unigeniti manſionem, ſicut honorabile Templum, ſicut domum DEI, ſicut Creatoris omnium poſſeſſionem, ſicut Regis, & Cæleſtis Sponſi domum immaculatam.* Orat. in Purif.
2. *Pulchritudo pulcherrima pulchritudinis, pulchrorum omnium ſummum ornamentum.* Orat. de Oblat.
3. *Agna immaculata, Angelico excepta convivio, Angelicis cibis ſatiata: Agna immaculata, ceu acceptabilis hoſtia in Templo oblata, ex quâ ortus ille Agnus DEI, qui mundi abſtulit peccatum. Agna prorsùs immaculata, victimâ omnî acceptior, Creatori ſacrificata, non ſanguinis litatione, ſed excellentî puritate.* Orat. de exitu Sanct.^mæ Dominæ noſtræ.

## §. 3. *Ratio.*

304. BeatorVM obItVs, non NataLes CeLebranDI.

IDeò Eccleſia Catholica, ex mente S. Auguſtini, non celebrat Natales Sanctorum, quia tunc cum aliquo peccato infectos eos credit, econtrà colit obitus eorum, quia præſumit, eos per lavacrum Baptiſmi regeneratos, & per pœnitentiam ab omnî labe peccati mundatos. Atqui Eccleſia non tantùm Obitum Beatiſſimæ Virginis veneratur, verùm etiam ejus Nativitatem, & Conceptionem. Ergo non tantùm in Obitu, verùm etiam in Nativitate, & Conceptione, debuit eſſe immunis, ab omnî labe peccati, tam actualîs, quàm originalîs.

## §. 4. *Hiſtoria.*


FeſtVM ConCeptæ eraDentIs, obItVs. 305.

CLauſtralem referunt, è Conventu quodam Mantuano, Domini Marchionis ibidem, Ludovici nomine, tunc temporis Confeſſarium, omnem moviſſe lapidem, ut Sacra immaculatæ Conceptionis Feſtivitas, è Catalogo reliquorum Feſtorum, eâ in Civitate obſervari ſolitorum, deleretur; cumque reſponſum à Marchione tuliſſet, ſe hoc admittere nec velle, nec poſſe, eò quòd dicti Feſti Celebritas à ſuis jam anteceſſoribus longo tempore fuiſſet uſurpata, inſtantiſſimis tandem precibus efflagitâſſe, ut ſibi ſaltem dictum eradere Feſtum permitteretur. Annuit tandem, licèt ægerrimè, importunis Confeſſarij precibus Marchio. Sed ecce! vix Feſtum Conceptionis præſumptuoſa extinxit manus, cùm ſuum ad monaſterium, cum gaudio, reverſus, protinùs ultorem ſenſit à tergo DEUM; elinguis enim effectus, haud immeritò ejus linguæ uſum amiſit, quæ innocentiſſimam Virginis Conceptionem, tam pertinacî ſtudio, impugnare præſumpſit: imò, qui Feſtum ſibi adeò moleſtum deleverat, ipſe paullò poſt, quaſi DEO ſimul, ac hominibus moleſtus, è vivis deletus eſt. *Bernardin. de Buſti. Serm. 9. de Concept.*

§. 5

## §. 5. *Symbolum.*

306. DeIpara, Vrbs forMosa, à GratIâ, Vt ab ArCe, proteCta.




Protegit Arx Urbem, Munimen nobile formans,
Quo tecta hoſtiles deſpicit illa manus.
Gratia Conceptam, velut Arx præcelſa, MARIAM
Protegit. Hinc ſtygias ſpernit & illa manus.

*Protegamq; Urbem hanc, & ſalvabo eam.* 4. Reg. c. 19. v. 34.

## §. 6. *Antiquitas.*

307. RoMa, CæDe FratrIs, In prIn-CIpIo VItIata.

CUm Romulus, ac Remus, gemelli fratres, primùm in Tyberim abjecti, deinde reſtagnante extrà ripas flumine, in littore expoſiti, & à Fauſtulo, Regij pecoris magiſtro inventi fuiſſent, eos Laurentiæ uxori educandos tradidit, quæ, quòd vulgato corpore quæſtum faceret, ideò lupæ nomen inter paſtores tulit, ex quo fabulæ locus: Fratres hoſcé à lupâ educatos fuiſſe. Hi, cùm adoleviſſent, novamque Urbem, in loco, ubi educati fuerant, collectâ magnâ paſtorum turbâ, ædificare ſtatuiſſent, orta eſt inter eos contentio, uter novæ Urbi nomen daret, & conditam Imperio regeret? eòque tandem res devenit, ut Remus in fratris ludibrium novos muros tranſiliens, indè à Romulo fratre miſerè fuerit interfectus. Hinc, quamvìs glorioſiſſima hucuſque extiterit, ac etiamnùm exiſtat Civitas Romana, tamen hanc maculam extinguere, ac à ſe removere nunquam potuit, nec poterit, quòd nimirùm muri, ſtatim ab initio, fraterno fuerint ſanguine vitiati: quòd infame ſcelus Urbi dederit fundamentum: quòd is, qui Romæ nomen dedit, fraternâ ſimul cæde eandem fœdaverit. Sic enim Leo Papa loquitur *Serm. 1. in Natal. Apoſt. Petri & Paul. Is, qui tibi nomen dedit, fraternâ te cæde fœdavit.* Turpem certè notam, tam celebri aliàs Urbi, Orbis capiti, ad hærentem!

Porrò ſi MARIA, Virgo Beatiſſima, in primâ ſui fundatione, in inſtantî ſuæ Conceptionis, turpî fuiſſet maculâ originalìs peccati vitiata, quis non videt, in maximum hoc ſupremi omnium capitis, CHRISTI JESU opprobrium, notamque turpiſſimam ceſſurum? dici enim ſimilì ratione poſſet: Ea, quæ tibi, ab Angelo edocta, Nomen dedit: *Vocabis Nomen* Luc. 1.
*ejus JESUM*, & non Nomen tantùm, ſed & carnem, & ſanguinem ſubminiſtravit, turpî peccato in ſuâ conceptione vitiata, Te quoque fœdavit: quam notam extinguere, ac à ſe removere nunquàm poſſet ipſa etiam Divina Omnipotentia; cùm ſemper verum maneret, fuiſſe ab initio peccatricem: fuiſſe in principio vitiatam: ſcelus dediſſe fundamentum illi, quam DEUS ſibi in domum, Templum, ac proprium habitaculum ædificârat.

## §. 7. *Anagramma.*

InfernaLIs LVpI InIMICa DeIpara. 308.

*Jo! Agna, Dei Mater, lupum averni mactas!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XLV.

## §. I. *Scriptura.*

309. Mater pVra, In ConſpeCtV DEI.

2. Paralip. c. 14. v. 2. *Fecit Aſa, quod bonum, & placitum erat in conſpectu DEI ſui.*

INſigne, hoc loco, in Aſæ Regis commendationem, teſtimonium Scriptura depromit, dicendo :
v. 2. *Fecit ergo Aſa, quod bonum, & placitum erat in conſpectu DEI ſui.* Atque, ut laudabilia ejus geſta ſpecialiùs indicaret,
v. 3. & ſeq. ſtatim ſubjungit : *Et ſubvertit altaria peregrini cultûs, & excelſa, & confregit ſtatuas, lucosque ſuccendit, & præcepit Judæ, ut quæreret DEUM Patrum ſuorum, & faceret legem, & univerſa mandata.* Noverat nimirùm Rex iſte, quàm pietas ad omnia ſit utilis: quod etiam paullò poſt feliciſſimè eſt expertus; Enimverò egreſſo contra pijſſimum hunc Iſraëlitarum Regem Zarâ, Æthiopum Principe, cum formidabilî bellatorum exercitu (decies centena hominum Millia erant, & currus trecenti)
v. 10. *Aſa perrexit obviam ei.* Priùs tamen invocato potentiſſimo Divini
v. 11. Numinis adjutorio, his verbis : *Domine! non eſt apud Te ulla diſtantia, utrùm in paucis auxilieris, an in pluribus; in Te enim, & in Tuo Nomine habentes fiduciam, venimus contra hanc multitudinem. Domine! DEUS noſter Tu es, non prævaleat contra Te homo.* Nec irritæ fuère preces; mox enim (ut ijsdem Scripturæ
v. 13. verbis rei eventum enarrem) *ruerunt Æthiopes, uſque ad internecionem, quia Domino cædente, contriti ſunt.*

Jam de figurâ ad figuratum progrediamur, Matremque puram in conſpectu DEI attentè perſpiciamus. Feciſſe certè MARIAM, quoad vixit, omne id, *quod bonum & quod placitum erat in conſpectu DEI ſui*, nemini dubium eſſe poteſt, fatentibus idipſum non Chriſtianis tantùm omnibus, ſed & ipſis Chriſtiani Nominis hoſtibus cæteroquin infenſiſſimis, Mahumetanis ſcilicèt, qui in Lege ſuâ expreſſè profitentur: *Matrem JESU eſſe amicam Legis, quia in corpore tam magnum Prophetam tulit.* Porrò ob tantam pietatem, & inviolabilem cum lege amicitiam, mirum eſſe non debet, quòd egreſſo contra univerſum genus humanum cruentiſſimo Æthiopum infernalium Principe, cum inummerabilî detruſorum ad tartara Angelorum exercitu, MARIA ſola perrexerit obviam, quaſi hæc, in DEUM penitùs confiſa, ſecum mente revolveret: *Domine! non eſt apud Te ulla diſtantia*, nec maior difficultas, *utrùm in paucis auxilieris*, me à peccato, ſi quod committerem, denuò ſalvando, *an in pluribus*, me à tam abominandâ ſceleris admiſſione turpîque præcepti transgreſſione penitùs præſervando. *In Te enim, & in Tuo Nomine*, tanquam futura DEI Genitrix, *venio contra hanc multitudinem*, tam infernalium hoſtium inſultantium, quàm filiorum Adami reliquorum, actu in ſcelus prolabentium. *Domine* ergo, *DEUS meus tu es*, imò futurus Filius meus : *non prævaleat contra Te homo*, nec audeat peccator Adam, primus homo, meam quoque, Tuæ per omnia conformiſſimam voluntatem, vel ad momentum, in ſuam pertrahere! & certè, quid aliud ſentiendum, quàm quòd *ruerint*, primo ſtatim momento, ad pedes conceptæ Deiparæ, infernales *Æthiopes, uſque ad internecionem*, contritisque (*Domino* per illam *cædente*) capitibus, ſpe ſuâ, in unâ hac Heroinâ, ſe turpiter fruſtra-

ſtratos ingemuerint? Nec ignorat hanc ſingularem Virginis illibatæ Victoriam vel ipſe Mahumet ſupramemoratus, qui in ſuo Alcorano hæc expreſsè habet: *Nullus eſt ex Adam, quin tenerit eum Satan, præter MARIAM, & Filium ejus.* Ex hoc MARIÆ Triumpho, & ſingularî Conceptionis puritate, quid aliud ſecutum, quàm quòd omnia ea, quæ in Virgine Matre poſtmodùm fuêre, pura fuerint *in conſpectu DEI?* puri Oculi, Seraphicis mundiores: Manus puræ, utpote inſtrumenta, & artifices actionum Divinarum: purum Os, cum Corde *eructans verbum bonum*, & dicens laudes continuas DEO: puraLingua,inſtar *calami velociter ſcribentis*, texens amatorias ſuo Sponſo æterno expreſſiones: puriGreſſus, qui continuò in DEUM, & Cœleſtia tendebant: puræ Cogitationes omnes, quæ *quaſi virgula fumi, ex aromatibus* pretioſiſſimis confecta, quasì pyramidalî Divinorum odorum ſuffitu, Cœlum petebant. Hinc eſt, quòd Spiritus Sanctus puriſſimæ huic Virgini expreſsè inſpiravit, ut ſequentî cantico, laudes Servatori ſuo depromeret: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit ſpiritus meus, in DEO ſalutari meo.* Verùm qualis iſta Virginis miranda locutio? nonnè enim *Spiritus* & *Anima* pro eodem habentur? cur ergo, vel ad quem finem, idipſum repetit, dicendo: *Magnificat Anima mea, & Exultavit ſpiritus meus?* Credo ego, Virginem, quam Spiritus Sanctus regebat, dicere quidem ſecundâ vice voluiſſe: *Exultavit corpus meum in DEO*; Attamen ait Spiritus Sanctus: Nolo hoc vocare *corpus*, ſed *ſpiritum*, quia purum adeò eſt, ut ſpiritus *in conſpectu DEI* videatur, & non corpus. Hanc puriſſimam Matrem humiliter imploremus, ut eâ mediante, puritatem mentis, & corpori obtinere valeamus.

Luc. c. 1. v. 46.

* *
*

## §. 2. *Authoritas.*

### S. GerManVs, teſtIs DeIparæ pVrè ConCeptæ. 310.

1. *Glorioſa dicta ſunt de Te, Civitas DEI! nobis Divinus David cecinit in ſpiritu. reverà Civitatem, de quâ glorioſa dicta ſunt, apertiſſimè vocans, Civitatem Magni Regis. Quænam ea eſt? exiſtimo eum maniſeſtiſſimè, & ſine ullâ contradictione, dicere eam, quæ verè eſt electa, & omnibus ſuperior, non domorum excellentiâ, & altitudine excitatorum ædificiorum, ſed Divinarum, & ſublimium virtutum magnitudine, & puritate omnibus antecellentem MARIAM, nulli penitus culpæ affinem, & caſtiſſimam Deiparam, in quâ, qui verè eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium habitavit.* In adorat. venerand. Zonæ Deip. Virg.
2. *Nullus eſt, qui ſanus fiat, niſi per Te, Virgo Sanctiſſima! nemo eſt, qui liberetur à malis, niſi per Te, ô puriſſima! nemo eſt, cui donum concedatur, niſi per Te, ô caſtiſſima!* Serm. de Zonâ Dominæ.
3. *Non enim tantum dolet anima, cùm à corpore avellitur, quantus dolor eſt, Te, Imaculata! privari.* Orat. de dormit. B. V.
4. *Quid hac, quæſo, generatione prolis magìs inviolatum, & venerandum?* In ſuis Menæis, loquens de S. Annâ, MARIAM concipiente.

## §. 3. *Ratio.*

### IoannIs BaptIſtæ NatIVItas, non ConCeptIo, à SanCtâ Matre ECCLesIâ CeLebrata. 311.

Quamvìs Eccleſia Feſtivè celebret Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ, utpote jam Sanctificati in utero materno, non tamen celebrat ejus conceptionem. Et hòc ex nullâ aliâ ratione, quàm quia in conceptione adhuc Sanctus, & ab omnî maculâ mundus non erat. Atqui è contrario defactò Eccleſia non tantùm celebrat Nativitatem B. V. MARIÆ, verùm etiam ejus Conceptionem: ergo debuit eſſe ſancta,

id

id eſt, immunis ab omnî peccato, ſicut in Nativitate, ita etiam in Conceptione.

## §. 4. *Hiſtoria.*

312. IMago VIrgInIs, ab InCenDIo ILLæſa.

ANno Milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo tertio, ſextâ Aprilîs, ingens Duaci incendium, infelicî caſu, exortum fuiſſe, referunt Scriptores. Ceſſit hìc præter alia, in prædam voracium flammarum integrum Patrum Franciſcanorum Monaſterium, unà cum adjuncto Templo, nil prævalente, quidquid inſatiabili elemento tandem compeſcendo, in remedium adhibebatur. Id porrò, in horrendo hoc incendio, prorsùs accidit admirabile, quòd Altaribus Eccleſiæ, Tabellis, ac Imaginibus univerſim concrematis, ſola Tabula Sacelli cujusdam, à Conceptione dicti, cum ſpecioſâ Virginis immaculatæ Imagine, remanſerit illæſa: in clarum haud dubiè argumentum, quòd ſicut ejus Imago, reliquis omnibus in cineres redactis, integra permanſit, ac intacta: ſic Maria ſola, reliquis omnibus per adæ peccatum miſerè deſtructis, illæſa permanſerit, ac immaculatè concepta. Jure igitur meritiſſimo dicta Virginis Imago, ab incendio tam miraculosè illæſa, in hodiernum adhuc diem, ob ſingularem tam picturæ excellentiam, quàm affectûs devotionem, religiosè aſſervatur, ac à pluribus piâ veneratione colitur. *Amatus Franciſcanus, in libello MARIÆ, Balinghem in Calendar. Virg. 6.ª April.*

## §. 5. *Symbolum.*

DeIpara, TVrtVr, Carens oMnI feLLe. 313.




Turturis eſt, à principio, ſine felle creari,
Neſcit amaritiem, non habet ira locum.
Numinis eſt, à principio, ſine felle Mariam
Condere peccati: Non habet ira locum.

*Pulchra ſunt genæ tuæ, ſicut Turturis.* Cant. c. 1. v. 9.

## §. 6. *Antiquitas.*

LVDVs In TheMIſtoCLe. 314.

INſolitum omninò ſpectaculum Themiſtocles, Athenienſis ille clariſſimus, magno populi concurſui exhibuit: Refert enim Plutarchus, & alij, cùm ad ludos ille Olympiacos, quotannis celebrari ſolitos, aliquando proceſſiſſet, mox omnium oculos, poſthabitis quibuscunque ſpectaculis, in illum converſos, plebemque totam in ejus contuitu, velut in jucundiſſimo ludo, mirè gaviſam, integrum ferè diem immobiliter conſumpſiſſe: Hinc tanto populi favore vir ille præſtantiſſimus ſummoperè conſolatus, dixiſſe fertur: *Tunc vel maximè omnium ſeſe laborum ſuorum, quos hucuſque, per tot annorum curricula, in Reipublicæ emolumentum ſuſcepiſſet, ampliſ-*

*pliſſimum fructum, ac gratiſſimum præmium percepiſſe.*

Felix porrò, ac ter felix Beatiſſima Virgo! in quam ſolam non per unius tantùm diei ſpatium, ſed ab omni æternitate, non hominum multitudo, ſed ipſe omnium hominum Creator, oculos ſuos ita indeſinenter defixos tenuit, ut hæc ſola unicum ſemper fuerit Theatrum, unicus ludus, unicum ſpectaculum, quo delectabatur, ac capiebatur DEUS, omnibus longè poſthabitis. Dicere quidem poterant aliquando reliqui Sancti, ac præſertim Martyres: *Spectaculum facti ſumus Mundo, & Angelis, & hominibus.* 1. Corinth. 4. v. 9. MARIA econtrà ſola dicere poterat: Spectaculum facta ſum, Mundi, Angelorum, & hominum Creatori, Ludebat nimirùm illa coram eo omnî tempore, quæ tam formoſa ſemper apparuit, ut cor DEI penitùs fecerit avolare, obtutu Numinis ſine intermiſſione versùs ipſam directo, in Morte, Vitâ, & imprimìs, ac excellentiſſimè quidem in noviſſimo Conceptionis momento, ne damnum pateretur integritas primæ juſtitiæ, ipſi ſoli, tanquam futuræ Ejus Genitrici debita.

### §. 7. *Anagramma.*

AVe, AngVeM ILLIbato peDe Conterens! 315.

*Anguem palantem, Jo! mira Eva trucidas!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XLVI.

### §. 1. *Scriptura.*

316. HabItatIo MVnDa, pVrè ConCepta.

2. Paralip. c. 29. v. 5. *Mundate domum Domini DEI Patrum veſtrorum, & auferte omnem immunditiam de Sanctuario.*

MIram Ezechiæ, Regis piiſſimi, ſollicitudinem, circa munditiem Divinæ Domûs, ac puritatem Sanctuarij, vel ex eo licet colligere, quòd domûs illius Sacræ miniſtros, ac Levitas convocans, ſic
v. 5. eos fuerit allocutus: *Audite me Levitæ, & ſanctificamini: mundate domum Domini DEI Patrum veſtrorum, & auferte omnem immunditiam de ſanctuario.* Quem diſ-
v. 6. curſum ſic fuit proſecutus: *Peccaverunt Patres noſtri, & fecerunt malum in conſpectu Domini DEI noſtri, dereliquentes eum, averterunt facies ſuas à tabernaculo Domini, & præbuerunt dorſum, clauſerunt oſtia, &c.* Hæc adeò obſervata Sacrorum puritas ipſis etiam Ægyptijs, idolorum cultoribus erat communis; ut enim Plinius loquitur: *Quid ita? poſcebant illi Sacerdotem, purâ cum veſte, poſcebant puras lymphas, pura libamina, quidquid mixtum, & impurum, deſpicatui, & indignum Dijs judicabant.* L. 14. c. 19.

Quod Rex ille Ezechias ſuis quondam Levitis de Domo Domini, hoc idem ſupremus in terris Chriſti Vicarius Romanus Pontifex ſuis Sacerdotibus, Doctoribus, Concionatoribus, de Beatiſſimâ Numinis Genitrice, dicere, ac inculcare videtur. Unum hìc adduco Paulum V., qui Anno 1617. 31. Aug. in Decreto, facto in generali Congreg. S. R. E. & Univerſali Inquis. expreſsè prohibuit, ne quiſquam cujuſcunque Ordinis, aut dignitatis,

audeat publicè concionari, diſputare, aut docere, MARIAM in originalî conceptam. quod Decretum etiam à Gregorio XV. ad privata ſcripta, & colloquia extenſum, Anno 1622. 24. Maij: ab Alexandro autem VII. utrumque, Anno 1661. renovatum fuit. Nonnè autem hoc idem eſt, ac dicere: *Mundate domum Domini DEI, &c.?* id eſt, mundam, ac puram dicite illam, quam nôſtis, digniſſimam fuiſſe DEI Domum, qualem paullò ante Conceptus XXXVII. exhibuit. *Auferte omnem immunditiam de Sanctuario*, in quo DEUS ipſe, Ens puriſſimum, perfectiſſimum, &c. recondi voluit; Inſtitut. ad Monach. *Ut* enim *in ſordidâ pauperis casâ Regem habitare non decet, ita Chriſtus in animâ peccatorum ſordibus contaminatâ non habitat*, ait S. Nilus. *Peccaverunt* quidem *patres noſtri*, protoparentes noſtri, *& fecerunt malum in conſpectu Domini DEI noſtri, derelinquentes eum*, qui in feliciſſimum eos ſtatum, ac conditionem, tanquam plenipotentiarios Paradiſi voluptatis inquilinos, omnium reliquarum creaturarum Dominos poſuerat, *averterunt facies ſuas*, mendaciſſimi ſerpentis garritione diſtracti, inque fructum prohibitum, pulchrum viſu, nimiâ curioſitate intenti: Quocircà ex Paradiſo juremeritò proſcripti, pœnas dederunt, & claudente poſt illos oſtium Cherubino, flam̃eoque gladio ulteriorem introitum prohibente, miſerè dorſum præbuerunt. Non ſic tamen mundiſſima Domus DEI MARIA, c. 2. v. 10. de qua Aggæus optimè prædixit: *Magna erit gloria Domûs iſtius noviſſimæ, plus quàm primæ*, quæ ipſamet *felix Cœli porta*, nunquam Paradiſum ſibi clauſum ſenſit, imò potiùs non unius tantùm Cherubini, ſed mille Angelorum cuſtodientium ſervitia in promptu habuit, atque adeò non niſi pura, omnî tempore, munda, & immaculata ſupponenda eſt. Curioſum hìc occurrit dubium, ab Hugone de S. Victore excitatum, cur nimirùm diabolus decepturus Evam, ſub Arbore, aſſumpſerit corpus ſerpentis, & non potiùs columbæ, quæ ramo illius arboris inſidere potuiſſet? cui ipſe, ut ſequitur, reſpondet: De propriet. & epit. rer. L. 4. c. 2. *Venit ad hominem in ſerpente callidus hoſtis, qui fortaſsìs, ſi permiſſum fuiſſet, in formâ columbæ venire maluiſſet: ſed hoc vas ſibi Spiritus Sanctus reſervavit, quia profectò dignum non erat, ut ſpiritus malignus formam homini odioſam faceret, in qua poſtmodùm ei Spiritus Sanctus apparere voluiſſet:* Hæc Hugo Vict. Quod ſi ergo dæmoni ingreſſus in columbam eſt prohibitus, eam præcisè ob cauſam, quòd illam Spiritus Sanctus ſibi reſervârit, tanquam domum, quam breviſſimo licèt tempore inhabitans, ſeſe mundo oſtendere poſſet: quomodò credendum erit, permiſſum ei fuiſſe aditum in animam Virginis, de cujus carne DEUS ipſe carnem ſuſciperet, & in ejus utero, tanquam in mundiſſimâ habitatione, longi temporis hoſpes moraretur? Hæc quicunque attentiùs conſideratis, & vobis dictum credatis: *Mundate domum Domini*, puram nimirùm unanimî conſenſu MARIAM dicite, utpote digniſſimum ipſius puritatis Sacrarium! ſed & aliud Templum, nimirùm *Templum DEI, quod eſtis vos*, purum conſervate, *lavamini, mundi eſtote, ſanctificamini*, ut animâ à ſordibus depuratâ, ingredi aliquando poſſitis in *tabernacula dilecta Domini DEI virtutum*, Pſal. 83. v. 2. *in atria Domini*, in medium Cœleſtis Jeruſalem.

## §. 2. *Authoritas.* 317.

## S. GregorII MagnI, De VIrgIne ConCeptâ opInIo.

*Poteſt hujus montis nomine, Beatiſſima ſemper Virgo MARIA, DEI Genitrix deſignari; Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ dignitate tranſcendit. An non Mons ſublimis MARIA? quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem, ſupra omnes Angelorum choros, uſque ad ſolium Divinitatis erexit; hujus enim Montis præcellentiſſimam dignitatem Iſaias vaticinans, ait: Erit in noviſſimis diebus præparatus mons domûs Domini, in vertice montium: Mons quip-*

*quippe in vertice montium fuit, quia altitudo MARIÆ ſupra omnes Sanctos refulſit.* In Lib. 1. Reg. c. 1.

## §. 3. *Ratio.*

318. seMeL DeprehensVs, CentIes reVs: Ergo sIne Labe.

SEmel deprehenſum in delicto, fama communis centiès deprehenſum, ac reum inſimulat: Sed Beata Virgo, ſi contraxiſſet labem originalem, fuiſſet ſemel deprehenſa (quod enim, amabo, majus delictum, quàm meritorium pœnæ capitalis? & quid proximius capitali ſupplicio, quàm delictum in capite, quo tamen nomine peccatum originale, tam in Scholis, quàm Sacris Biblijs, præcipuè notatur?) Ergo Beata Virgo fuiſſet centiès rea. En! ipſammet Lutheri blaſphemiam, dicentis: *Et quis inter homines major peccator, quàm hæc ipſa Mater DEI?* in Evang. Dom. poſt Epiph. Si autem deprehenſam dicas, ad caſtra Melanchtonis transfugis, ſic diſcurentis in c. 2. Joann. *MARIA apud DEUM, vel mulier peccatrix, vel ſyrophæniſſa.* Ergo denegato Beatæ Virginis illibatæ immunitatis privilegio, vel ad blaſphemias adversùs Sanctiſſimam MARIÆ vitam perventum jam eſt, vel cum pietate fidelium, pro immaculatâ Ejusdem Conceptione, veluti pro Aris, & focis ſtandum erit.

## §. 4. *Hiſtoria.*

319. S. LeoCaDIæ è tVMVLo ſententIa.

DIvum Ildephonſum, Archi-Epiſcopum Toletanum, illuſtriſſimum Benedictinæ noſtræ Familiæ Sidus, ſingularem fuiſſe Virginis ſine labe conceptæ fautorem, ac Zeloſiſſimum defenſorem, clara eſt Sanctæ Leocadiæ è tumulo ſententia; ita enim ſuo exSepulchro familiariſſimum ſibi Ildephonſum, clarâ voce, eſt allocuta: *Ildephonſe, Ildephonſe! per te vivit gloria Dominæ meæ, Matris DEI.* Nec immeritò teſtimonium hoc Leocadia de Ildephonſo perhibuit; cùm enim ille Librum, quem de Virginitate puriſſimæ DEI Genitricis magno labore conſcripſerat, compleviſſet, apparuit ei ipſa Virgo Beatiſſima, tenens dictum in manibus Librum, ac gratias referens, acceptiſſimum ſibi opus confectum affirmavit. Ille verò, cùm ampliùs in dies honorare eam propoſuiſſet, conſtituit, ut Feſtivitas illa, quæ antehàc in memoriam Conceptionis, & Nativitatis ſimul celebrabatur, divideretur, ac ſingularis annua Solennitas, octavâ ante Nativitatem Domini die, in honorem immaculatæ Conceptionis, vel certè (ut alij volunt) expectationis ageretur, quæ Solennitas, noſtris modò temporibus, per univerſam Eccleſiam, ſexto Idus Decembris celebrari obtinuit. Quamvìs Euſebius Nierembergius expreſsè oſtendat, Ildephonſum jam tum in Hiſpaniâ celebrâſſe Feſtum Immaculatæ Conceptionis, ſeu animationis, ac unionis Animæ cum corpore, labîs originariæ expertis. Unde aliâ rursùm vice, apparentem ſibi habuit Beatiſſimam Virginem, quæ veſtem illi ſacerdotalem, Caſulæ communiter vocabulo indigitatam, albi coloris attulit, ac Cathedram, utpotè Doctori ſibi gratiſſimo obtulit. Nec prætereunda hìc ſilentio verba illa, quæ, teſte Joanne Mano, celeberrimo Sorbonæ Doctore, *in prol. defenſor.* ipſamet Beatiſſima Virgo nonnulli revelare dignata eſt: *Occidentalem olim Heſperiam amore proſpiciens, Præſuli Toletano, amico meo Alphonſo* (id eſt Ildephonſo) *me ſordes primæ originis, mortiſque veteris minimè contraxiſſe, reſeravi fideliter, Caſulam meæ gloriæ pignus donans, in teſtimonium veritatis.* Trithemius *in Lib. de ſcriptorib. Eccleſiaſt. Calendar. Mariano-Benedictinum, &c.*

* * *

## §. 5. *Symbolum.*

320. VnICornIs, ſpeLVnCâ sVâ ab eXterIs anIMaLIbVs oCCVpatâ, VLterIVs sVbIre reCVſans.




Cur, auſu petulante, meum penetrare cubile
Non dubitas? Hoſpes diſplicet: ibo aliò.
Numinis hinc Sacrum maculam penetraſſe cubile,
Ne credas! Genito diſplicet iſta ſuo.

*Ædificavit, ſicut Unicornium, Sanctificium ſuum in terrâ.* Pſal. 77. v. 69.

## §. 6. *Antiquitas.*

321. PaVones haVD oCCIDenDI.

Eò jamjam felices Magni Alexandri progreſſus devenerant, ut ipſas etiam longiſſimè remotas Provincias, invincibilî prorsùs armorum potentiâ pervadens (referente Æliano) Triumphatoris ubique nomen glorioſus retulerit. Porrò memoratus Scriptor ſpecialiter poſteritati transmiſſum voluit, quòd, cùm in Indias quoque Alexander penetrâſſet, adeò captus fuerit pulchritudine Pavonum, illis in partibus, in magnâ copiâ repertorum, ut ſpecialî edicto, ſub pœnâ graviſſimâ, vetuerit, ne ad inſtar reliquarum avium, ſpecioſi hi volucres telis peterentur, aut alio quovìs modo, violentiam paterentur; dicere nimirùm Alexander conſueverat: haberi in Pavonibus compendium pulchri; adeò, ut quidquid in Floribus, in Avibus, in Iride, in Gemmis pulchrum, & varium reperitur, id totum in Pavonis Syrmate, ac caudâ, coloribus gemmante, contentum habeatur.

Ut Pavo, ex mente Alexandri, *Compendium pulchri*, ſic MARIA, ex mente SS. Patrum, *compendium* eſt *gratiæ*: in Pavone omnium Florum, Aviúmque colores: in MARIA omnium creaturarum, terreſtrium, Cœleſtiúmque miracula: quidquid in alijs ſparſum eſt, in hanc unam convenit: In Patriarchis Fides, in Martyribus Conſtantia, in Virginibus Puritas, in Seraphinis Amor, in MARIA omnia. Si ergo tantum in magno illo Alexandro potuit externa illa Pavonis pulchritudo, ut Avem hanc unam non occidi, huic uni parci à venatoribus vellet: cur non major, tam intrinſeca, quàm extrinſeca Beatiſſimæ Virginis pulchritudo DEUM permoverit, ut ſolam à peccati communîs internecione, teloque originalî immunem juberet, ac infernales venatores, nemini alteri in conceptione parcentes, à petendâ MARIÆ innocentiâ prohiberet?

## §. 7. *Anagramma.*

DeIpara, pVra à Labe, Ignara MaCVLæ. 322.

*Primatum tenes, ô Diva! ignara maculæ.*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

De

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XLVII.

## §. I. Scriptura.

323. EsCâ VetItâ haVD ContaMInata.

Tob. c. 1. v. 12. *Cùm omnes ederent ex cibis gentilium, iſte cuſtodivit animam ſuam, & nunquam contaminatus eſt, in eſcis eorum.*

QUanta frequenter mala, tum corporalia, tum ſpiritualia, vel ex unicâ eſcâ, inconſideratè deguſtatâ, procedere ſoleant, ſufficiens, damno ſuo, teſtimonium præbere poteſt infelix Eſau, natu quidem ex binis fratribus major, ſed in benedictione paternâ obtinendâ, præter morem, poſterior, utpote, qui pro modico vilîs lenticulæ edulio, inconſiderato prorsùs pacto, ſua divendidit primogenita, damnum exinde perpeſſus, ut grave nimis, ita
Gen. c. 25. v. 33. nullo pacto ulteriùs reſarciendum. Simile ex unicâ eſca præjudicium & Jonathas eſt expertus, qui ignorans adjurationem à Saule Patre ſuo omni populo factam, his verbis: *Maledictus*
1. Reg. 14. v. 24. *vir, qui comederit panem, uſque ad veſperam*, abſtinente reliquo populo univerſo, guſtans modicam tantùm mellis particulam, præſentiſſimum ſibi comedit internecionis periculum, ut
v. 43. ipſe ait: *Guſtans guſtavi in ſummitate virgæ, quæ erat in manu meâ paululum mellis, & ecce ego morior.* Minimè hoc ignorabat ſingularis ille pietatis Magiſter, Tobias ſenior; hinc inter alia præclarè, ac laudabiliter ab ipſo geſta, quibus integer de eo libellus abundat, illud præ reliquis, in ipſo ſtatim primi capitis decurſu commendatur, quòd *cùm omnes ederent ex cibis gentilium, ipſe cuſtodivit animam ſuam, & nunquam contaminatus eſt in eſcis eorum.*

Liceat modò hancipſam Tobiæ laudem in Beatiſſimam Dei Genitricem transfundere. Enimverò, cùm omnis Adami poſteritas, edentibus, ac cibo vetito ſeſe contaminantibus primis parentibus, ederet ſimul & ipſa, ac parî modo contaminaretur (voluntatibus ſcilicèt ſingulorum in unam Adami voluntatem ultrò transſcriptis) iſta, Virgo glorioſiſſima, ex omnibus una, *cuſtodivit animam ſuam, & nunquam*, nè per unicum quidem temporis punctulum, *contaminata eſt in eſcis eorum.* Hinc, quamvìs in omnes reliquos juſtiſſima Numinis indignatio deſævierit, ut dici poſſet illud Regij Prophetæ: *Adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira DEI, aſcendit ſuper eos:* Pſal. 77. v. 31.
ac verificatum fuerit omninò illud: *Væ tibi terra, cujus principes manè comedunt*, Marianam tamen innocentiam Eccle. c. 10. v. 16.
talis ira, tale væ, minimè comprehendit: Unde etiam mirum nemini videatur illud, quod Theophanes Nicænus ſtudioſè obſervat, dicens: *Non corpus illud tuum immaculatum, ac labis omnîs expers, in terrâ relictum eſt*, puriſ- Orat. 1. de Dormit. M.
ſimum ſcilicèt, ac prorsùs immaculatum hujus Virginis corpus, poſt mortem, glorioſè in Cœlos aſſumptum, nunquàm evaſiſſe eſcam vermium, eoipſo, quòd de eſcâ, à verme, ſeu potiùs ſerpente infernalî oblatâ, guſtare conſtantiſſimè recuſavit, adeòque vermîs conſcientiæ, ob peccatum qualecunque commiſſum remordentis, in perpetuum expers permanſit. Mirari meritò quis poſſet, quòd in varijs occaſionibus, Chriſtus de inferno loquens, præſertim apud S. Matthæum, pluribus in captibus, tormenta c. 8. 13. 22. 24.
illius innummera, tantummodò ad fletum, & ſtridorem dentium reſtringat: *Ibi erit fletus, & ſtridor dentium.*

 Mi-

Mirarer & ego, niſi adverterem, duo quoque peccata præ reliquis in mundo triumphare, imò ab ipſo jam mundi exordio triumphâſſe, illud ſcilicèt, quod ſuam trahit originem ab oculis malè cuſtoditis, cui *fletus*, & inconſolabilis planctus correſpondet, & aliud ad gulam pertinens, quod cùm habeat relationem ad dentes, ideòque ibi erit *ſtridor dentium*, juxta commune adagium: *Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Utrumque in Protoparentum peccaminosâ transgreſſione experti ſumus; Vidit namque (ut ait Sacer textus) *vidit mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Hìc bene conſideranda verba illa: *vidit*, & *comedit.* *vidit*: En effectum oculorum malè cuſtoditorum! *comedit:* En gulæ deſideria, per eſcæ vetitæ deguſtationem adimpleta. Hinc omnium contaminatio, mors in ollâ, fletûs ſtridoríſque dentium ipſiſſima origo. Sola tamen hìc excipitur MARIA, quæ eſcâ hac vetitâ nunquam contaminata, *primogenita ante omnem creaturam*, nunquam hanc prærogativam, cum Eſau, pro cibo permutavit, nunquam cum Jonathâ mortiferum favum mellis guſtavit, ſed potiùs cum Tobia *nunquam contaminata eſt in eſcis eorum.* Quæ cùm ita ſint, indemnitati Tuæ, Virgo Beatiſſima! unanimiter gratulamur, fatemurque, omnes nos Jonathas eſſe, qui mellis guſtu mortem nobis accerſiverimus: conſolamur tamen, ſcientes, quod Filius tuus eſcæ huic mortiferæ mel aliud vitale oppoſiturus, velut alius Samſon, non quidem è demortui leonis faucibus, ſed è lumbis ferocis illius & in DEUM impetuoſi Adami Te eduxit, Genitricem ſuam verè melleam, recuperandis peccatoribus totam dulcem, eſcâ vetitâ contaminatis, ac peccatorum infirmitate preſſis, totam ſanativam. Per amorem ergo immaculatæ tuæ Conceptionis, contaminatos emacula, infirmos reſana, ac ad eſcam deguſtandam præpara, æternæ Beatitatis.

Gen. c. 3. v. 6.

### §. 2. *Authoritas.*

SanCtI GregorII NazIanzenI, De VIrgIne CarMen. 324.

*Hoc propter, ecce texo nunc tibi memor*
*Gratumq; carmen, ô puella, gratiâ*
*Æquanda nullis, Mater & Virgo, ſupra* In Tragædiâ.
*Omnes decora Virgines, & maxima,*
*Quæ vincis omnes Cœlitum Ordines!*

### §. 3. *Ratio.*

DeIpara, pro præMIo sVo, pVrè ConCepta. 325.

QUando Juvenis aliquis ſtudioſus ex plurimis ſuis Condiſcipulis dignus habetur, ut publicè proclametur: *Accedat!* ſicque pro meritis præmium accipiat, prudenter, ac optimè omnes præſumunt, compoſuiſſe eum argumentum ſuum, ſine omnî errore: atqui Beat.ma Virgo etiam, præ omnibus alijs, digna eſt habita, ut ab omnibus tribus Perſonis Divinis proclamata Accedat, utque primum accipiat præmium, nempe Materniratem DEI, quæ poſt Divinitatem, in excellentiâ, primum locum obtinet, ut verum ſit illud:

*Nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem.*

Ergo meritò, & prudenter præſumere poſſumus, MARIÆ argumentum fuiſſe compoſitum, ſine omnî errore, hoc eſt animam rationalem ſine omni peccato creatam, ac corpori Virgineo infuſam fuiſſe.

### §. 4. *Hiſtoria.*

rappaCIoLI à ſtrangVrlâ Integra LIberatIo per DeIparaM. 326.

DE Rappaciolo, Eminentiſſimo S.R.E. Cardinale legitur, adeò illum, Anno Milleſimo, Sexcenteſimo, Quinquageſimo ſeptimo, graviter decubuiſſe, ut invaleſcente per centum, & ſeptem horas continuas, ſtranguriâ, hærente nimirùm urinæ beneficio, doloroſiſſimè afflictus, omnibusque jam Sacramentis ritè proviſus, Purpuram proximè pallore mortis commutaturus videretur. Tot ergo remedijs in vanum adhibitis, optimum confeſſarius ejus adinvenit conſilium, confugiendo nimirùm ad immaculatum Virginis Deiparæ

paræ Conceptionem: ſchedulæ ergo hæc paucâ inſcripſit verba: *In Conceptione tuâ Virgo immaculata fuiſti: ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperiſti.* Hanc porrò ſchedam, tanquam ſaluberrimā quandam medicinam, plenâ in Deiparam fiduciâ, purpurato Principi obtulit deglutiendam. Et ecce! vix ſchedam Cardinalis ſumpſit, cùm laxatis quantocyùs aquæductibus, ſeptem ſat ponderoſi prodiêre calculi, quorum unus in hac ipsâ, quam Cōfeſſario porrigente introſumpſerat, ſchedâ, non ſine evidentî miraculo, cernebatur involutus. Ex quo factum, ut obtentâ paullò poſt integrâ ſanitate, non niſi Virginem Genitricem, ſine labe conceptam, liberatricem recognoverit, ac humillimas reddendo grates, ſingularî cultu, ad dies vitæ, proſecutus fuerit, Hoc miraculum toti Romæ notiſſimum, refert Raynaudus *in pietate Lugdun. & alij.*

## §. 5. *Symbolum.*

327. EXterna MaLI ſpeCIes DoLoſa.




Externa, ô quoties, Malorum forma doloſa eſt!
Dum bona ſæpe putas, ſunt mala Mala tamen.
Dum Mali externo malè credidit Eva colori,
Non trahit ex Malo pura MARIA malum.

*Sub Arbore Malo ſuſcitavi te, ibi corrupta eſt Mater tua, ibi violata eſt Genitrix tua.* Cant c.8.v.5.

## §. 6. *Antiquitas.*

CaDente TVrrI, NobILIs HerI 328.
MIra LIberatIo.

DIes erat quâ in Civitate Mediolanenſi, Anno 1117. complures Nobiles, in certâ domo, cui vicina Turris imminebat, convenerant, ut ibi de negotijs, commune Reipublicæ bonum concernentibus, invicem colloquendo tractarent, cùm ecce! illorum aliquis audit, neſcio à quo, altùm ſe, proprio nomine, vocari, ut quantocyùs extrà portam domûs in plateam prodire vellet. Differt ſic vocatus progredi: & en! vir quidam incognitus domum ipſam ſubintrat, atque, ut dicto Nobili ſecum paulìſper progredi placeret, precibus rogitat humaniſſimis. Obſequitur tandem ille invitanti. Et quid? vix extra limen pedem poſuerat, cùm corruente, ingentî fragore, integrâ vicinâ Turrî, tota illa domus, miſerandum in modum obruta, omneſque ad unum Nobiles, qui illuc convenerant, ipſo ſpectante, fuerunt conquaſſati. Tunc enimverò cognovit primùm ille, quàm ſingalarî Divini Numinis providentiâ, ſolus ipſe à triſtî hoc infortunio, ac præſentiſſimo mortis periculo, reliquis ad unum pereuntibus, fuerit liberatus. *Rugierius de Hoveden, 1. part. Annal. ad Annum 1117. Menoch. Centur. 4. num. 84.*

Hic caſus in memoriam haud obſcurè revocat miſeriorem longè Protoparentum caſum. Conventus enimverò, ac domus Nobilium, univerſa videtur hominis, ad DEI Imaginem creati, progenies, quæ tamen, corruente ſuperbâ Turri, Adamo ſcilicèt, ob ſuperbiam illam: *Eritis ſicut Dij*, è ſummo felicitatis culmine, in miſerrimum ſtatum dejecto, ex toto fuit ſubverſa, ac per hoc ipſum peccatum, miſerè deſtructa, unâ tamen priùs ex hoc conſortio Divinitùs evocatâ, ac

à ru-

à ruinâ communî gratioſiſſimè præſervatâ digniſſimâ Numinis Genitrice, quæ ab æterno ſpecialiter ſegregata, imminenti ſe periculo jugiter ſubduxit, ſicque ſola evaſit innocua, quia immaculatè concepta.

### §. 7. *Anagramma.*

LVCtVM ADæ sIne Labe Ignoras. 329.

*Luctum Adami ignoras: En pia Mater, Ave!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XLVIII.

### §. I. *Scriptura.*

330. InfernaLI hoLofernI ab InItIo CapVt aDIMens.

Judith c. 14. v. 16. *Una Mulier hebræa fecit confuſionem, in domo Regis Nabuchodonoſor: Ecce enim Holofernes jacet in terrâ, & caput ejus non eſt in illo.*

Cum invicta Judith, formoſiſſima illa, ac piiſſima pariter Heroina, caput impium Holofernis, à Rege Nabuchodonoſore, ad ſubijciendam ſibi Bethuliam ſubmiſſi, glorioſo ſtratagemate detruncâſſet, ac liberatæ exinde Civitati optatiſſimum rei eventum ovans retuliſſet, hæc
c. 13. v. 20. ait: *Vivit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem, & non permiſit me Dominus Ancillam ſuam coinquinari, ſed ſine pollutione peccati revocavit me vobis, gaudentem in victoriâ ſuâ.* Porrò Ozias dixit ad eam: *Benedicta es tu Filia à Domino DEO excelſo, præ omnibus mulieribus ſuper terram.*
v. 24. *Benedictus Dominus, &c. qui te direxit in vulnera capitis principis inimicorum noſtrorum.* Interim autem innoteſcente Aſſyrijs funeſtâ Principis ſui tragediâ, hæc eorum erat lamentatio: *Una Mulier hebræa fecit confuſionem in domo Regis Nabuchodonoſor: Ecce enim Holofernes jacet in terrâ, & caput non eſt in illo.* Bethuliâ interim totâ Judithæ acclamante: *Tu gloria Jeruſalem, tu lætitia Iſraël,* c. 15. v.
*tu honorificentia populi noſtri, &c.* Nec 16.
immeritò; erat enim ex tunc Juditha
*præclarior univerſæ terræ: erat etiam vir-* c. 16. v.
*tuti caſtitas adjuncta, ita ut non cognoſceret* 26.
*virum, omnibus diebus vitæ ſuæ, ex quo defunctus eſt Manaſſes vir ejus. Dies autem* (ut verbis S. Scripturæ per omnia utar)
*Dies autem Victoriæ hujus Feſtivitatis, ab* v. 3.
*Hebræis in numero ſanctorum dierum accipitur, & colitur à Judæis, ex illo tempore, uſque in præſentem diem.*

Quid hìc aliud in Judithâ, quàm glorioſiſſima illa Holofernis Tartarei Triumphatrix Maria deſcribitur? ſi enim adhibenda fides Alexandro
Alenſi, *Judith*, inquit ille, *Beatam* in Pſal. 80.
*Virginem tam facto, quàm interpretatione* v. 7.
*deſignat; interpretatur enim Confitens, ſive glorificans DEUM, &c.* & ſanè, *vivit Dominus, quia cuſtodivit* Mariam *Angelus ejus, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc revertentem*, id eſt, tàm dum conciperetur, quàm cùm in utero Annæ commoraretur, & exinde in lucem progrederetur; Nec enim *permiſit Dominus Ancillam ſuam* ullâ peccati labe *coinquinari, ſed ſine pollutione peccati*, in victoriâ ſuâ gaudentem ſpecialiſſimò præſervavit. Acclamare ergò cum Oziâ, vel potiùs cum Gabriele, Virgini Triumphatrici poſſumus: *Benedicta tu in mulieribus*, imò,

&

& benedictus fructus ventris tui, qui Te ſingulariter direxit, ad vulnus capiti Principis tenebrarum infligendum. Lamentetur orcus, quòd per Te ſolam (Virgo puriſſima, Mulier invictiſſima, Heroina præſtantiſſima!) facta ſit confuſio in Regno Luciferi, hoſte ſuperbiſſimo, capite contrito, in terram proſtrato, ut dici ſimiliter de Te poſſit: *Una Mulier hebræa fecit confuſionem, in domo Regis Nabuchodonoſor*, id eſt Luciferi. Nos intereà non ceſſabimus benedicere tibi cum Bethulienſibus, dicentes: *Tu gloria Jeruſalem: Tu lætitia Iſraël: Tu honorificentia populi noſtri, &c.* Et meritò quidem; es enim *præclarior univerſæ terræ*, imò univerſæ, ſi DEUM excipiamus, Cœleſtîs Curiæ, Regina Sanctorum omnium ſolenniter inaugurata. Erat prætereà fortitudini Tuæ tanta adjuncta caſtitas, ut quantúmvis Virgo pareres, virum tamen nunquàm cognoſceres, Te ipsâ atteſtante: *Quoniam virum non cognoſco.* (Luc. 1. v. 33.) Quid ergò ſupereſt, niſi ut dies Victoriæ hujus, ſive devotiſſima immaculatæ Conceptionis tuæ Solennitas, *in numero Sanctorum dierum*, ab univerſis Chriſti fidelibus accipiatur, ac glorioſa adempti abinitio capitis infernalîs Holofernis memoria, ſpirituali cordis lætitiâ, perpetuis temporibus celebretur? dignum inſuper, ac juſtum eſt, ut ſicut Judithæ illi, Bethulienſium liberatrici (referente Sacrâ Scripturâ) donata fuêre omnia Holofernis ſpolia, eò quòd caput illius impium, heroicâ quâdam generoſitate præſcidiſſet, ita Tibi, Virgo Beatiſſima! quæ caput Dæmonis, hoc eſt, Originale peccatum, tanquam principium, & caput omnium reliquorum peccatorum, glorioſo pede contriviſti, fuerint conceſſa omnia illa gratiæ ſpolia, quæ Dæmon ante miſerum ejus caſum poſſidebat, inter quæ illud unum magni utique momenti fuit, quòd in gratiâ, Angelorum inſtar, oriebaris, ſicque omnîs peccati labem penitùs ignorabas. Nos interim hæc omnia in novâ Judithâ noſtrâ, puriſſimâ Dei Genitrice, attentiùs conſiderantes, in id unum ſimus ſolliciti, ut ſicut de eâdem Judithâ ſcriptum reperitur: *Nec erat, qui loqueretur verbum malum de eâ*, (c. 8. v. 8.) ita & nemo noſtrûm adeò temerarius inveniatur, qui malum aliquod in Virginis Conceptionem irrepſiſſe, ore ſuo proferre audeat.

## §. 2. *Authoritas.*

### S. GregorIVs NeoCeſareensIs, MarIæ, ILLIbatæ DeIparæ teſtIs. 331.

1. *MARIA ſic gratiâ plena dicitur, quòd in illâ Virgine totius gratiæ theſaurus reconderetur, quæ ſola ex omnibus generationibus ſancto corpore, & ſpiritu fuerit, ſola ferens eum, verbo qui portat omnia, & non ſolùm Angelus pulchritudinem Sanctæ Virginis, ſed & virtutes animæ admiratur, & idcircò gratia plenam appellavit.* Serm. 1. de Annunc.
2. *Convenienter S. MARIAM ex omnibus generationibus ſolam gratia elegit, nec ſimilis ei ex omnibus generationibus ulla unquàm eſt reperta.* Ibid.
3. *Dominus noſter JESUS Chriſtus, immutabiliter ex purâ, & caſtâ, & impollutâ, ac Sanctâ MARIA Virgine progreditur.* Ibid.
4. *Quare & Tu Sancta, & omnî humanâ creaturâ glorioſior, ac purior, ſanctior effecta es, ac nive quidem candidiorem habes mentem, quovis autem auro, quantúmvis probato, purificatum magis corpus.* Ibid
5. *Miſſus ſervus incorporeus, ad Virginem inviolatam, atque immaculatam: miſſus eſt à peccato liber, ad corruptionis, ſeu labis expertem.* Serm. de Annunc.

## §. 3. *Ratio.*

### RoMa taCens ConſentIre VIDetVr. 332.

JUxta Regulam Juris in Sexto: *Qui tacet, conſentire videtur*: Sed Romana ſedes, ſciens, & videns, Immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem communiter à Chriſti fidelibus ſummà

mâ devotione venerari, coli, & quaſi pro articulo credi, audiens inſuper, in hanc jurari à plerisque Univerſitatibus, & Doctoribus, &c. tamen his omnibus non contradicit, ſed tacet; cùm tamen, ſi bonis moribus, aut Fidei foret contraria, omninò teneretur, & poſſet contradicere: imò in hujus Conceptionis majorem honorem, inſtitutis Octavis, Congregationibus, Confraternitatibus, alijsque devotionibus, varia privilegia, atque Indulgentias impertitur: Ergo conſentire, id eſt, omninò approbare videtur hanc piam ſententiam, de immaculatâ, in primo inſtanti, Deiparæ Conceptione.


## §. 4. *Hiſtoria.*

333. DetraCtor ILLIbatæ, In Caſtro BaCVLI præDICans, Latrat Inſtar CanIs.

SErmonem, in Caſtro Baculi, die quâdam Concionator inſtituerat, ac in eo, contra illibatam Virginis Conceptionem ardentiùs loquendo, longiorem jam moram protraxerat, cùm immutatâ confeſtim voce, edere incepit latratus complures, caninis haud abſimiles. Mirari hìc omnes, ac juſtiſſimam indignantis Numinis reprehenſionem animadvertere. Auxit prætereà horrorem caſus immediatè ſubſecutus: cùm enim ſtatua quædam pulcherrima, Virginem immaculatam repræſentans, ex lapide eleganter ſculpta, ſuper fores Eccleſiæ poſita fuiſſet, illa, nemine attingente, magno fragore, ad terram decidens, in plurima fruſta eſt comminuta. Quantus exinde in plebe rumor exortus fuerit, ac quanta in calumniatorem hunc Virginis exacerbatio, explicare non ſufficio: lapidibus certè obruiſſent Oratorem, niſi maturâ ſibi ad domicilium conſuetum fugâ conſuluiſſet: imò ipſam ejus habitationem deſtruere jam paraverant, niſi protegente Domino Caſtri, ac armatam militum cohortem in tutamen ſubmittente, domeſtici illi ulteriùs conſervati fuiſſent. *Bernardin. de Buſti Serm. 7. de Concept.*

## §. 5. *Symbolum.*

LabIJrIntho orIgInaLI, non ſeDVCta MarIa. 334.




En Labyrinthus adeſt! verùm ſi laberis intùs,
Non Labyrinthus erit, ſed labor intùs erit.
Non Labyrinthus erat Paradiſus, ſed labor intùs,
Nempe ubi, tot lapſis, una labore caret.

*De mandatis tuis non erravi.* Pſal. 118. v. 110

## §. 6. *Antiquitas.*

HorrenDa ChIMæra, à BeLLerophonte transfIXa. 335.

FAbuloſæ Antiquitatis commentum eſt, Bellerophontem, laudatiſſimæ indolis Juvenem, Glauci Regis Ephyræ filium, cùm ad maxima quæque natus videretur, miſſum fuiſſe à Minervâ, vel (ut alijs placet) à Neptuno, ad interficiendam Chimæram, monſtrum planè horrendum, informe, ingens, ignem evomans, capite & pectore referens Leonem, ventre Capram, caudâ Draconem: cumque tentamentum periculis compluribus foret obnoxium, Minervam Bellerophonti Pegaſum tradidiſſe, ſeu equum alatum, cicurem, frænoque aſſuetum, cujus benefi-

neficio, Chimæram illam horrendam, feliciſſimo teli jactu, transfigens, magno Numinum applauſu, glorioſè proſtravit.

Quid de MARIA ſine labe conceptâ, vel ad veritatem expreſſius, vel ad laudem adferri poteſt illuſtrius? cùm & ipſa Regis æterni filia, Mater, ac ſponſa, proinde ad maxima quæque non nata tantùm, ſed *ab æterno ordinata*, miſſa fuerit ſpecialiſſimè à Cœleſti Minervâ, æternâ nimirùm Sapientiâ, ad interficiendam Chimæram peccati originalîs, Monſtrum utique horrendum, informe, ingens, ignem evomans iræ Divinæ, æternæque damnationis, non Leonem tantùm, Capram, & Draconem, ſed omnem excogitabilem referens deformitatem. Quo autem medio MARIA hanc Chimæram, tot monſtra unitim repræſentantem debellavit? certè non alio, quàm Pegaſo, ſive equo illo feliciſſimo, ac velociſſimo, à Cœleſti Minervâ ſibi ſubminiſtrato, Gratiâ nimirùm Divinâ, feliciter, ac velociter præveniente, juxta illud: *Suaviter equitat, quem gratia DEI portat.* Huic firmiſſimè inſidens MARIA, plenóque curſu hoſtem præveniens, magno totius Cœli, terræque applauſu, Monſtrum, acutiſſimo teli puncto, puncto ſcilicèt Conceptionis primo, transfixit, ac puriſſimè concepta adeò proſtravit, ut dixiſſe ſufficiat, Chimæram defenſurum, qui originalî labe infectam MARIAM etiamnùm vellet defendere.

### §. 7. *Anagramma.*

AbsqVe peCCato; naM VIrgo DeIpara. 336.

*En tu immaculata es! nam Virgo Deipara.*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XLIX.

### §. I. *Scriptura.*

337. ALtera EVa, MeLIor ILLâ, DEo obſeqVens.

Eſther c. 1. v. 19. *Nequaquàm ultrà Vaſthi ingrediatur ad Regem, ſed Regnum illius altera, quæ melior eſt illâ, accipiat.*

REcuſante Vaſthi Reginâ Regis pariter, ac mariti ſui imperium, ac venire ad illum contemnente, ſuadentibus Aulæ proceribus, ſequens divulgabatur edictum: *Ut nequaquàm ultrà Vaſthi ingrediatur ad Regem, ſed Regnum illius altera, quæ melior eſt illâ, accipiat.* quòd & factum;
c. 2. v. 15. nam Eſther *Formoſa valdè & incredibilî pulchritudine, omnium oculis gratioſa, & amabilis*, ducta eſt ad cubiculum Regis, *& adamavit eam Rex plùs, quàm omnes mulieres, habuitque gratiam, & miſericordiam coram eo. ſuper omnes mulieres,* v. 17.
*& poſuit diadema Regni in capite ejus, fecitque eam regnare, in loco Vaſthi, &c.*

Eundem prorſùs in modum, recuſante Evâ, primâ muliere, Regis Regum, Creatoris ſui imperium, ac impoſitam à fructu ligni, in medio Paradiſi ſituati, abſtinentiam contemnente, ſequens (ſic exigente Divinâ juſtitiâ) divulgabatur edictum, ut ſcilicèt è delicioſiſſimo Paradiſi horto quantocyùs proſcripta prævaricatrix Eva, nequaquàm ultrà ingrederetur, ſed regnum illius, primam ſcilicèt innocentiam, ac communem cunctorum viventium maternitatem *altera, quæ melior eſt illâ*, acciperet. Sed quænam

nam hæc? certè non alia, niſi Eſther formoſiſſima, Virgo Maria, Numini per omnia obſequentiſſima, & ſerpenti infernali ſtatim à capite Conceptionis penitùs infenſa. Appoſitè ad hunc Conceptum antiquus ille, ac Chriſtianus Poëta cecinit

L. 1. in Act. Apoſtol. tom. 8. Bibl.

*A nato formata ſuo, mala criminis Evæ*
*Virgo ſecunda fugat: nulla eſt injuria ſexûs:*
*Reſtituit, quod prima tulit.*

hæc Arator. Quod idem clarè etiam inſinuare videtur S. Epiphanius, per hæc verba: *Beata DEI Mater MARIA per Evam ſignificatur, quæ per Ænigma accepit, ut Mater viventium vocetur: à MARIA verè hæc vita mundo genita eſt, ut viventem gigneret, & fieret Mater viventium: Eva cauſa mortis facta eſt, MARIA cauſa vitæ, per quam genita eſt nobis vita.* Hucuſque Epiphanius. Quid ergò mirum, ſi melior hæc Virgo plùs, quàm omnes mulieres, in universâ terrâ, à Rege Cæleſtî adamata, tantam obtinuit gratiam, & miſericordiam coram eo, ut impoſito capiti ejus diademate, ſtellis duodecim reſplendente, regnare eam fecerit, in loco Evæ, imò non matrem tantùm viventium, ſed digniſſimam quoque Unigeniti Filij ſui Genitricem conſtituerit? *Conſentaneum nimirùm erat*, ut ait Irenæus, *ut ſicut per fœminam, Adamum ſeducentem, mundus fuerat perditus, per fœminam, Chriſto inſervientem, reſtauraretur.* Sed & mellei noſtri Bernardi ſuffragium audiamus: *Crudelis Eva*, ait ille, *per quam Serpens antiquus peſtiferum etiam ipſi viro virus infudit: ſed fidelis MARIA, quæ ſalutis antidotum & viris & mulieribus propinavit; illa enim miniſtra ſeductionis, hæc propitiationis, illa ſuggeſſit prævaricationem, hæc injecit redemptionem.* Quomodò autem Maria, *altera Eva, melior illâ* extiterit, fusè enarrans B. Albertus Magnus, *Illa quidem* ait, *omnes genceravit in mundum, iſta in Cœlos, illa Mater miſeriæ, iſta Mater miſericordiæ, illa principium mortalitatis, iſta principium regenerationis, illa gratiam perdidit, iſta gratiam invenit, illa tranſivit de gratiâ in culpam, hæc nos tranſire fecit de culpâ in gratiam, illa de latere viri dormientis facta, iſta de corde DEI vigilantis, illa viro ſuo occaſio fuit perditionis, hæc viro ſuo adjutorium redemptionis, illa deſponſatur origo corruptarum, hæc deſponſatur menſura Virginum, illa prima Virginitatem perdidit, iſta prima Virginitatem DEO conſecravit, illa à diabolo decepta, iſta ab Angelo edocta, illam diabolus vicit per ſuperbiam, iſta diabolum vicit per humilitatem.* Hæc ille. Et quid clarius dici poterat pro aſtruendâ Mariæ, Evæ ſecundæ, præ alterâ illâ, bonitate ac præſtantiâ? nonne ergò dignum, ac juſtum erat, ut Regnum Evæ, primam ſcilicèt, in qua condita erat, innocentiam, altera hæc, quæ adeò melior eſt illâ, acciperet, Maria nimirùm, in DEI ipſiúsmet Genitricem præordinata, ſicque ſine omnî labe innocentiſſima conciperetur? Tu ergo formiſiſſima Eſther, à Cœleſtî Rege adeò præ omnibus alijs adamata, in locum infelicis Evæ feliciſſimè ſubrogata, effice potentî tuâ inrerceſſione, ut qui cum Vaſthi, projectâ Reginâ, Divina ſæpius mandata adimplere contempſimus, non cum eâdem Cœleſtî Aulâ æternùm proſcribamur, ſed potiùs, impetratâ ad preces tuas Maternas veniâ, admittamur aſtituri ante Thronum Cœleſtîs Aſſueri, in perpetuâ Beatitate.

Hæres. 78

L. 3. contra Valentin.

Serm. in verba illa Apoc. Signum magnum.

C. 53. ſuper miſſus.

## §. 2 *Authoritas.*

GVarrICVs abbas, sIne peC- 338.
Cato ConCeptaM Con-
ſtanter agno-
sCens.

*MARIA terra eſt benedicta in opere redemptionis, quæ remiſſionem peccatorum, fructúmque vitæ parturit univerſis, & filijs Adæ præjudicium originalîs diſſolvit maledicti.* Serm. 2. de Annunc. B. V.

### §. 3. *Ratio.*

339. DoLosVs MerItò eſt sIne LVCro.

*Nullus debet ex dolo ſuo, cui debetur pœna, lucrum reportare.* L. *ne ex dolo* ff. de dolo. Sed ille antiquus ſerpens, mendaciorum pater, & artifex, per dolum, ſeduxit genus humanum. Ergo exinde non debet reportare lucrum. Atqui reportaſſet lucrum non modicum, ſi etiam Beatiſſima Virgo contraxiſſet peccatum originale. Ergò, ſicut inconveniens eſt, eum reportare lucrum, ita etiam inconveniens eſt, Beatiſſimam Virginem contraxiſſe peccatum originale. Subſumptum Prob. Omnes ſuperare, & in captivitatem redigere, ita, ut nè quidem unus ſuperſit, à quo ſuperari poſſit, lucrum non exiguum eſt: Sed ſi Beata Virgo contraxiſſet peccatum originale, ac conſequenter etiam ipſa per dolum à diabolo fuiſſet ſeducta, nullus omninò ſupereſſet, qui ſerpentem hunc ſuperaret; cùm omnes eſſent ejus captivi, & ab eo ſuperati; Homo enim per peccatum fit ſervus, & captivus diaboli: Ergò, ſi Beata Virgo contraxiſſet peccatum originale, ſerpens non modicum reportâſſet lucrum, nec verificaretur ampliùs clarum illud S. Scripturæ promiſſum de Beatâ Virgine, Gen. 3. *Ipſa conteret caput tuum, &c.*

### §. 4. *Hiſtoria.*

340. AnnA, à S. BarthoLoMæo, DIaboLICIs tentatIonIbVs fortIter resIſtens.

Anna, à S. Bartholomæo, illuſtre Carmelitanæ Familiæ Lumen, cùm individua Sanctæ Matris Thereſiæ, per complura itinera, comes fuiſſet, ac ſæpiùs obſervâſſet, pijſſimam hanc Virginem ſummo erga Deiparam amore accenſam, exemplo Magiſtræ, eodem pariter amandi Mariam ſtudio, omnî tempore, fuit aſſidua. Tenerrimus porrò hic amor reddidit illam, in ſollicitandâ DEI Genitricis ope, penitùs confidentem. Eàpropter, cùm diverſis tentationum inſultibus, ejus caſtimoniam labefactare, ſpurciſſimus tenebrarum Princeps niteretur, unicum Annæ remedium erat, Sacellum, Virgini ſine maculâ conceptæ Sacrum ingredi: ubi flexis genibus, ac nudipes, flagrantiſſimis precibus, immaculatæ depoſcebat auxilium, quatenùs tam validas, ac multiplices infernalîs hoſtîs machinationes, immaculatâ mente, ac corpore, ſecura evadere valeret. Nec inanis fuit deprecatio; puriſſima enim Cœlorum Regina, non in his tantùm conflictibus, potentiſſima adfuit auxiliatrix, verùm inſuper in præmium tot Victoriarum, quas tam de ſeipsâ, quàm de Orco, frequenter Anna retulerat, ſæpiùs illam inviſit, modò Filio juncta Divino, modò à S. Joſepho, Angeliſve compluribus comitata, ad finem præſertim vitæ illius, ubi ſuaviſſimos inter Angelorum concentus, ad æterna eam gaudia, omnibus immaculatæ Conceptionis cultoribus præparata, maternè invitavit. *Ex ejus vitâ, & Paulo de Barry. in Anno Marian. ad diem 7.am Junij.*

* * *

## §. 5. *Symbolum.*

341. LVCIDIa , LVMen.




Lucidiam ignitis referunt ſplendeſcere pennis,
Queîs valeas rectam nocte tenere viam.
Lumina ſic præfert Virgo ſine labe, Viator!
Queîs puram teneas, Numine dante, viam.

*Expandit ignem, ut luceret eis per noctem.* Pſal. 104. v. 39.

## §. 6. *Antiquitas.*

342. PetItâ aD nVptIas MarIâ FLorentInâ , GabrIeLæ prosCrIptIo.

VIvebat, longo jam tempore, Henricus IV. Galliarum Rex, Regiâ ſuâ Conjuge orbatus, atque interim Domicella quædam, ſtemmate magìs, ac externâ corporis ſpecie, quàm virtute nobilis, in aulâ ſuſtentabatur. Hæc, ut Gabriela nomine, ita hanc ipſam ob cauſam, peſſimus communiter Angelus nuncupata, non exiguum toti Aulæ (dicam potiùs, toti Regno) ſcandalum præbebat. Verùm inaudijt tandem illa, novam Henrico parari Sponſam, jamque advertit, frequentes tabulas, atque effigies Pariſios transmitti, Virginum, ut ſanguine, ita & formâ ex omnibus præſtantiſſimarum, quatenùs ex illis una, quæ Regi præplaceret, ejusdem conſors futura, illuc adduceretur, inque Regium thronum eveheretur. Eapropter haud ignorans, ad primum hujusmodi novæ Reginæ adventum, mox ſibi ex Aulâ, quam tamdiù ſcandalosè incoluerat, recedendum, adferri ſibi curavit omnes illas tabulas, ac effigies, curiosè exploratura, an aliqua adeò inveniretur præſtantis ſpeciei, ut ſibi timendum eſſet, de aliquo amoris deliquio, in Rege, quem ſibi illa adeò hucuſque devincierat? Conſideratis ergò, ſummo ſtudio, picturis omnibus, ſingulas parvipendit, duabus exceptis, quibus anxij Regis affectum ferventiſſimè pulſari obſervabat. Fuêre autem duæ illæ effigies, Eliſabethæ Hiſpanæ prima, & Mariæ Florentinæ altera, quarum idea ſpirans aliquid Regium, & ipſam, & Gallos omnes, de novâ Reginâ fecerat certiores. Nec tamen terruit Gabrielam Eliſabeth, protervè jactitantem: *Nihil ominis mali, ex nigellâ hac Hiſpanâ.* At ubi primùm oculos direxit in tabulam MARIÆ Florentinæ, alta trahens ſuſpiria, *Heu! Heu!* inquit, *O MARIA! tu ſola es, quæ ſollicitam me tenes, unam te metuo, nec ſiniſtrum mihi aliquid unquàm accidet, niſi à te, MARIA! MARIA!* Nec eam fefellit omen; ſiquidem Rex, albedine MARIÆ, reliquâque formæ præſtantiâ ſaucius, alijs mox amoribus penitùs valedicens, MARIAM, Galliâ ſimul, ac Italiâ applaudente, duxit in uxorem. *Du-Pleix in vitâ Henric. IV. ſub Annum 1599.*

Ad MARIAM modò Deiparam convertamur. Didicerat vaticinio dæmon, parari ſibi malum à fœminâ, cujus ſpecie DEUS captus, eam in Reginam aſſumeret Angelorum; hinc ipſe, peſſimus Angelus, omnium fœminarum ortus, & conceptus ſedulus inveſtigabat, præſertim Saræ, Rebeccæ, Rachelis, Judithæ, Eſtheris, &c. nil tamen inde mali ſibi parari deprehendens, hæſit in Eliſabeth, Matre Joannis Baptiſtæ, nec

tamen

tamen hinc Pſeudo - Angelus infremuit, nigellam deprehendens, & conſciam peccati proavorum, ſed ubi ad MARIAM devenit, altùm ingemuit, videns illam albedine, & ſpecie ipſis præire Angelis. Hinc *Heu! Heu!* inquit: Hæc eſt MARIA, quæ conteret caput meum, hæc ſpecioſa, tota pulchra, neſciens maculam, &c.

### §. 7. *Anagramma.*

pVra absqVe Labe, IraM DEI pLaCas. 343.

*Nivea O Agni Mater! Deum iratum placas.*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS L.

### §. I. *Scriptura.*

344. FONS parVVs, CresCens In fLVVIVM, pVra GenItrIX, In sVâ ConCeptIone peCCatI eXpers.

Eſther c. 10. v. 6. *Parvus Fons, qui crevit in Fluvium, & in Lucem, Solemque converſus eſt, & in Aquas plurimas redundavit, Eſther eſt.*

FOns parvus, Concepta parvula, Virgo Beatiſſima, potiorî jure, dicenda eſt, & quidem, ut Sacris in canticis intitulatur: *Fons ſignatus.* (c. 4. v. 12.) Si enim Gregorio Niſſeno, in hunc locum ſcribenti fides, *Fons ſignatus perinde eſt, ac cuſtoditus.* Ex quo puritas Marianæ Conceptionis tunc patebit ampliùs, cùm, cur dicatur Fons? aut quo ſigillo ſignatus, ſeu cuſtoditus? attentiùs examinaverimus. Sigillatus nimirùm fuit hic Fons Marianus DEI ſigillo, hoc eſt, DEI imagine, Gratiâ ſcilicet, quæ hoc ipſo Divinitatis eſt imago, quia eſt participatio illius. cuſtoditus præthereà fuit hic Fons Spiritûs Sancti clypeo, ac proinde, dum MARIA fuit Fons, ſignata etiam fuit & cuſtodita ejusdem Divini Spiritûs gratiâ. Verùm hìc novum ſuboritur dubium, quando ergò Fons talis MARIA extiterit? Sed reſpondendum: tunc potiſſimùm fuiſſe, quandò concipiebatur, & in illo primo inſtantî, ſui eſſe, Conceptam parvulam Fontem parvum extitiſſe. Ne tamen hæc mea opinio minus habens inveniatur, explicationem ſubjungere, neceſſarium erit: E Terrâ emanare aquam, & hilarî quandoque motu per gramina diſcurrere, neminem exiſtimo, qui proprijs illud oculis non ſæpiùs conſpexerit. At Fontémne quis dicet, cùm rigat herbas, & flores? minimè. Quandò ergo? tunc certè, quandò primò incipit ſcaturire. Hæc nimirùm ſola prima origo Aquæ ab omnibus appellatur *Fons*, curſus autem aquæ non niſi Fluvius, vel rivus nuncupatur. MARIA igitur, quæ à Sponſo Cœleſti prædicatur titulo Fontis: *Fons ſignatus*, fons fuit in ſuâ Conceptione, cùm primùm fuit, & in illâ ſuæ vitæ primâ origine, & quidem *parvus fons*, qui tamen, ab eo ſtatim temporis articulo, non tantùm *crevit in Fluvium*, ſed *in aquas plurimas*, imò in integrum Mare, & Pelagus gratiarum *redundavit*, quale jam ſupra Conceptus I.mus MARIAM oſtendit. Verè prætereà *in lucem, Solemque converſus* dici poteſt Fons iſte Virgineus, dum mediante puriſſimâ hac Conceptione, clariſſimam poſtmodùm Lucem dedit ſæculo, diemque attulit mundo longè ex-

exoptatiſſimum, Iſaiâ ſic atteſtante: c. 9. v. 2. *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, ſedentibus in regione umbræ mortis lux orta eſt eis.* Inſuper quemadmodùm nunquam ſine luce Sol, ſic Maria, quamvìs materno adhuc incluſa utero, nunquàm, nè per unicum quidem inſtans, fuit ſine rationis lumine, omnem peccati caliginem penitùs excludente. Hinc minimè mirandum illud, quod Divus Bernardinus Senenſis notanter obſervat, Tom. 1. Serm. 61. *Tanto*, inquiens, *lumine illuſtrata fuit Beata Virgo, cùm etiamnùm eſſet in ventre Matris, quòd non tantùm plena fuit lumine rationis, ſed etiam altiſſimæ contemplationis.* quòd paullò poſt ulteriùs proſequitur dicens: Ibid. *Ad tantam contemplationem ſublimata eſt, ut perfectiùs etiam in ventre Matris contemplaretur DEUM, quàm unquam contemplatus fuerit aliquis in perfectâ ætate.* Ad hujus Fontis Virginei amæniſſimum decurſum, claritatemque puriſſimam, ſummè delectatus D. Thomas Aquinas, totus ipſemet in lucem, Solemque converſus, in aquas plurimas laudum Virginearum redundavit, inter alia hæc ex clariſſimo doctrinæ ſuæ Angelicæ fonte liberaliter profundens: In 1.um Sent. diſt. 44. a. 3. ad 3.um *Poteſt aliquid creatum reperiri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nullâ contagione peccati inquinatum ſit, & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ à peccato originali, & actualî immunis fuit.* Ex quo Mariani Fontis claritas & amplitudo abundè apparet. Supereſt, Fontis hujus clariſſimi, & aquarum exinde proſilientium utilitatem paucis perpendere. Sicut enim quadruplex potiſſimùm eſt aquæ utilitas, primò quòd ſitim extinguat, ſecundò ſordes abluat, tertiò hortos irriget, quartò denique ad cibos decoquendos deſerviat: eundem planè in modum Deipara, Fons ille puriſſimus, ac clariſſimus, ſi devotâ veneratione à nobis deguſtetur, vehementiſſimum carnalîs, ac terrenæ concupiſcentiæ ardorem extinguet, putridiſſimas criminum noſtrorum maculas eluet, cor noſtrum, quod Pſal. 101. teſte purpurato Vate, *veluti fænum aruit*, ad germinandum, floresque, ac fructus producendos fæcundabit, opera denique noſtra, inſulſa illa quidem, ac cruda, nec digna, quæ Divinis epulis inferantur, ita excoquet, ut vel ipſi DEO gratiſſimi ſaporis futura ſint. Ad hunc ergo Fontem, quem Methodius ſic affatur: *Salve humanitatis Filij fons!* In hypopanten. & Epiphanius: Orat de Deip. *Ave gratia plena, quæ ſitientes perennîs fontis dulcedine ſatias*, pariter Chryſippus: Serm. de S. M. *Ave, quæ es puteus ſemper viventis aquæ!* ad hunc, inquam, Fontem peccatores lachrymarum pœnitentium fontes adjungite: *creſcat* veſtra in immaculatam Virginem devotio *influvium*, ut exinde *in lucem ſolémque*, Deum ſcilicet verum ex corde converſi, aquis gratiarum plurimis, in vos per Mariam redundantibus, repleamini.

### §. 2. *Authoritas.* 345.

### B. HaIJ MonIs, De VIrgIne ConCeptâ opInIo.

*In ipsâ hæreditate Domini morata eſt MARIA, quæ non peccando, à poſſeſſione Domini non diſceſſit, ſed integram ſuam animam à concupiſcentiâ, & carnem à corruptione ſervans, portio hæreditatis DEI effecta eſt.* Homil. in Epiſt. de Aſſumpt. Mariæ.

### §. 3. *Ratio.*

### DebItorI Veſtes sVnt ConCeDenDæ. 346.

Chriſtus Dominus tanquàm verus mediator, ac fidejuſſor apud Patrem æternum, & juſtitiam Divinam, omnia debita noſtra, id eſt, peccata, in humanitate aſſumptâ, in ſe ſuſcepit, ut dicitur Iſaiæ 53. v. 4. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* Et Beata Virgo erat ejus veſtis; hac enim tanquam veſte tegebatur, per novem Menſes, in ejus virginalî corpore deliteſcens, ex cujus carne aſſumpſit humanitatem, veſtem nempe, quâ ſuam Divinitatem tegebat, & operiebat, juxta illud Philipp. c. 6. v. 7. *In ſimilitudinem*

*dinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Sed licèt omnia reliqua poſſint eſſe debitis obnoxia, tamen ab his libera eſt propria veſtis debitoris. Ergò licèt mortales omnes fuerint obnoxij debitis, nempe peccato; tamen Beata Virgo, propria veſtis Chriſti Domini, pro nobis facti debitoris, fuit libera ab omnî debito, nempe peccato. Min. Prob. ex Jure *L. 6. ff. de Pignoribus*, ubi Ulpianus judicat, & ſtatuit: Etiamſi poſſint omnia onerari debitis, & teneri debito, tamen æquitas naturalis ſuadet, ut veſtis propria libera ſit, ſive (ut ſonant ipſiſſima ejus verba) *veſtes relinquendæ ſunt debitori.* Sed Beata Virgo fuit veſtis debitoris, ut jam oſtenſum. Ergo licèt omnia alia, id eſt, omnes reliqui homines, fuerint debito, id eſt, peccato obnoxij, tamen ejus veſtis, nempe Beata Virgo, ab eo libera fuit.

## §. 4. *Hiſtoria.*

347. ThoMæ AqVInatIs, De ConCeptIone ſententIa, & proprIa InterpretatIo.

FAuſtinus, Paduanus Epiſcopus, Virgini Deiparæ admodùm devotus, cùm Anno Milleſimo, Quadringenteſimo, die quâdam, caſu perlegeret Tertiam Partem Summæ Angelici Doctoris, obſervavit, non ſine ingentî admiratione, determinari ibi, Beatiſſimam Virginem in originali fuiſſe peccato conceptam; ſed mox ceſſavit admiratio, cùm ipſemet ei Divus Thomas comparere dignatus, ſic illum fuit allocutus: *Scias Domine Epiſcope, quòd quandò talem ego opinionem poſui, ſolum habui reſpectum ad Divinum ſtatutum, quo Virgo hæc Beatiſſima peccatum originale contrahere debuerat, niſi Filius eam ſuus præſervare voluiſſet: Unigenitus autem DEI Filius Matrem ſuam ab originalî maculâ haud dubiè præſervavit.* dixit, & diſparuit. Reverendiſſimus autem Epiſcopus maximâ poſthàc Solennitate Feſtum hoc, per ſingulos Annos, celebravit, ac totâ in Diœceſî celebrari conſtituit. Quantumvìs autem, quoad vixit, nulli alteri præclaram hanc viſionem manifeſtârit humillimus Antiſtes, niſi uni Doctori Nicolao de Paduâ, ejuſdem tunc temporis Vicario; tamen hic poſtmodùm totum rei eventum fideliſſimè manifeſtavit, expreſsè adjungens, ſe à dicto Domino Epiſcopo hanc viſionem, non ſine magnâ lachrymarum effuſione narrante, proprijs auribus percepiſſe. *Ferdinand. de Salazar ad Annum 1400. Joannes de Carthagena homil. de Arcan. Deip. fol. 70.*

## §. 5. *Symbolum.*

CVrrens aD fonteM, Inſtar CerVI. 348.




Ut ſitiens, curſu velocî, Cervus aquarum
Ad fontem properat: frigida lympha placet:
Sic celerî lympham curſu concepta MARIA
Mox petijt: Chriſti Paſſio lympha fuit.

*Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te DEUS.* Pſal. 41. v. 1.

## §. 6. *Antiquitas.*

ArChIMeDes, ab Vno pVnCto fortIs. 349.

ARchimedem, Mathematicorum facilè Principem, Civitas genuit Syracuſana. Hic Geometricæ, ac

ac Machinalîs ſcientiæ conſultiſſimus, ſiderumque prætereà ſcrutator celeberrimus, mirificis laudibus non tantùm à Livio, Plinio, & Plutarcho celebratur, verùm etiam maximum totius orbis applauſum ſibi promeruit, ita quidem, ut cùm rem aliquam mirâ arte compoſitam, ac ſummo ſtudio elaboratam ſignificare volumus, vulgarî hodiedùm proverbio dicere ſoleamus: *Archimedes non poſſet meliùs deſcribere.* Involvo hìc ſilentio complura ejus artis miracula penitùs ſtupenda, unum adducens viri deſiderium, quo non niſi punctum exigebat unicum extra mundum, ſi fieri id poſſet, indubitanter affirmans: dato hoc uno puncto, totum ſeſe orbem facillimo negotio commoturum.

Tranſeat tanta Archimedis ab uno puncto fortitudo. MARIÆ interim ſoli hæc prærogativa abſolutè concedenda, quæ in unico puriſſimæ ſuæ Conceptionis puncto, velut tota extra reliquum mundum poſita, adeò commovit Cœlum, & DEUM Cœlorum, ut poſtmodùm commotâ mirabiliter terrâ, ipſi ſeſe Cœli profundùm inclinaverint, Regio Prophetâ id atteſtante, his verbis: *Commota eſt, & contremuit terra, fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt.* Pſal. 17. v. 8. tunc ſcilicet, quando Virgo hæc puriſſima ab Angelo ſalutata, *turbata eſt in ſermone ejus.* Luc. 1. v. 29. Et quid ex tali Virginis commotione ſecutum? nil aliud, niſi quod in eodem Pſalmo nobis David inſinuat: *Inclinavit Cœlos, & deſcendit, v. 10.* ipſe ſcilicèt Unigenitus DEI filius, Divinitati humanitatem conſocians, ſicque Cœlos quaſì ad terram detrahens, ac inclinans, deſcendit in uterum Virginis immaculatæ, Archimedis inſtar ab uno puncto fortìs, quia in puncto jam illo puriſſimæ, ac ſine omnî labe Conceptæ.

### §. 7. *Anagramma.*

ConCepta, In prIMo InſtantI, 350.
InVIa præDonI.

*Age caſta, altum Mare, invium praedoni!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LI.

### §. 1. *Scriptura.*

351. hæC non pro Te, ſeD pro oMnIbVs ConſtItVta.

Eſther c. 15. v. 13. *Non enim pro te, ſed pro omnibus hæc Lex conſtituta eſt.*

CUm ingrederetur in Aulam Regiam Eſther Regina, eo ipſo tempore, quo Lex inſtabat, quâ, ex mandato Regis, omnis ille abſque cunctatione interficiendus erat, quiſquis non vocatus ab eo, ſive vir, ſive mulier, in atrium interius Regis introire præſumeret, conſpiciens eam Aſſuerus, ſermone blando, vultuque hilarî ſic trepidantem alloquebatur: *Quid habes Eſther? Ego ſum frater tuus, noli metuere! non morieris: non enim pro te, ſed pro omnibus hæc Lex conſtituta eſt. Accede igitur, & tange Sceptrum!* v. 12. & ſeq.

Eſtherem porrò illam, pulchritudinis, ac ſuum in populum fidei, & patrocinij miraculum, umbram MARIÆ fuiſſe, quis dubitet? Liceat ergò Sanctiſſimam Trinitatem Virgini huic jamjam concipiendæ parî modo loquentem in medium producere:

*Quid*

*Quid habes* Maria? Ego Cœleſtis Pater, ſpeciali quodam modo, tuum quoque me Patrem profiteor: Ego coæternus Patri Filius, tuus quoque Filius in tempore fieri ardenter deſidero: Ego Spiritus Sanctus Sponſam te mihi dilectiſſimam jam ab æterno ex millibus elegi. *Noli* ergò *metuere! non morieris.* Seduxit quidem mulierem primam, tuam, & omnium matrem, mendaciſſimus ſerpens, per
Gen. 3. v. 4. verba illa: *Nequaquàm morte moriemini*, quæ vel ideò peccato conſentiens, unà cum Adamo, & poſteris. mortem comedit, juxta Legem illam à me conſtitutam: *De ligno autem ſcientiæ boni,*
Gen. 2. v. 17. *& mali ne comedas; in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Veruntamen Ego æterna, ac inviolabilis Veritas, dico tibi iterùm: *Non morieris: Non enim pro Te*, Anima pura, ac immaculata! *ſed pro omnibus* (in Adamo ſcilicèt peccatoribus) *hæc lex conſtituta eſt.* nec opprimet Te infamis Aman, qui à Gregorio Nazian-
Orat. 1. zeno *Spiritûs impuri ſupplementum* dicitur. Et ſanè hanc legem non eſſe pro Deiparâ conſtitutam, clarè conſtat ex Concilio Tridentino, cùm ait:
Seſs. 1. decr. de peccat. Orig. *Declarat tamen hæc ipſa Sancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis, comprehendere in hoc Decreto, ubi de originali peccato agitur, Beatam & immaculatam Virginem MARIAM, DEI Genitricem.* Verùm enimverò ſi mirum fortaſsè alicui videatur, ſolam hanc Cœli Reginam, à communi illâ peccati lege exemptam, Juriſtas, ſi lubet, conſulat, ac inveſtiget, num Imperatrix quoque, vel Regina ad Legem teneatur? Reſpondebunt certè illi, ex L. *Princeps* 31. ff. de Legibus: *Princeps legibus ſubditus non eſt: Auguſta autem, etſi ſit ſubdita, tamen Princeps eadem privilegia illi tribuit, quæ ipſe habet.* Quis ergo negabit, privilegium JESU, dulciſſimi Mariæ Filij, ab originali culpâ per naturam exempti, pulcherrimæ quoque Eſther, Reginæ formoſiſſimæ, ac Matri ſuæ dilectiſſimæ ab ipſo gratioſiſſimè communicatum? Fuit nimirùm tunc MARIA vera Eſther, induta Regalibus veſtimentis, quæ alia non fuerunt, quàm gratia abundans, charitas eximia, Virtutes Heroicæ, & Spiritûs Sancti dona, &c. Quòd ſi ſceptrum Aſſueri, in gratiæ confirmationem, Eſther tetigit, Crucem Filij, ex ſe naſcituri, tetigit Maria, quæ præſervationis cauſa fuit. Legimus prætereà, feſtinum exſiliviſſe de v. 11.
ſolio Aſſuerum, ſuſtentantem eam (Eſtherem) ulnis ſuis. Et quid aliud de MARIA cogitandum, niſi quòd Deus, videns eam infallibiliter caſuram in originale peccatum, niſi ſpecialiter juvaretur, feſtinus cucurrerit, gratiâ ſuâ juſtificante, ex vi paſſionis CHRISTI prævisæ, ſuſtentans eam, ne caderet. Quòd ſi pro munere aſſignatam ſcimus ab Aſſuero Eſther Reginæ *dimidiam partem Regni*, dico ego, c. 7. v. 2.
& Deum Mariam mediâ parte Regni ſui donatam excepiſſe, mox, atque illa Concepta fuit. Sed qualis hæc pars Regni dimidia fuerit, ſcire deſideraris? Audite. Regnum Dei conſiſtit in Miſericordiâ, & juſtitiâ, iuxta illud Pſalmiſtæ: *Miſericors Do-* Pſal. 114. v. 5.
*minus, & juſtus*, & alibi: *Miſericor-* Pſal. 100.
*diam, & judicium cantabo tibi Domine.* v. 1.
Juſtitiam ergò tanquam unam Regni partem, ſibi reſervare Rex Cœlorum voluit, Miſericordiam tanquam alteram partem feliciſſimæ Eſtheri, conceptæ Deiparæ aſſignavit. Ad hanc igitur Reginam Beatiſſimam, Filij Divini Genitricem, à peccati morte ex ſpeciali privilegio liberam, miſericordiæ hæredem, ejusdemque in nos diſpenſatricem, omnes ac ſinguli recurramus! ſicut enim Hebræa illa Eſther non ſe tantùm, verùm etiam totam ſuam gentem, id eſt, omnes reliquos Hebræos, morti jamjam addictos, à dirâ hâc communis internecionis ſententiâ, validiſſimo precum ſuarum interventu liberavit, utpote Regem hiſcé verbis ſupplex allocuta: *Si inveni gratiam in oculis tuis O Rex! & ſi tibi placet, dona mihi animam meam, pro qua rogo, & populum meum, pro quo obſecro. Traditi enim ſumus, ego,*
*& populus meus, ut conteramur, jugulemur,* c. 7. v. 3.

*& pereamus, &c.* quâ proinde mediatrice omnes ſoſpites evaſerunt; ſic MARIA, *Mater gratiæ*, *Mater miſericordiæ*, damna toti humano generi imminẽtia omnî modo ſtudens avertere, velut illuſtrior Eſther, Cælorum Regem in nos iratum frequenter precibus demulcet, imò rigorem ejus in tantam convertere ſolet clementiam, ut plurimi jam diabolo miſerrimè obſtricti, non temporalîs modò, ſed æternæ mortis milliès rei, libertati donentur, Cœlisque adſcribanrur.

## §. 2. *Authoritas.*

352. HesIJ ChIVs, MILItans pro DeIparâ sIne Labe.

1. *MARIA eſt præclarum noſtræ naturæ ornamentum, gloria luti noſtri, quæ Evam pudore, Adamum comminatione liberavit, audaciam dæmonis contrivit, quam concupiſcentiæ fumus non attigit, nec vermis voluptatis læſit.* Conc. 2. de B. V. Tom. 7. Bibliot. Sanc.
2. *Vides, quanta & qualis eſt Deiparæ Virginis dignitas, Unigenitus enim Dei Filius, mundi conditor, velut infans geſtabatur ab eâ, & Adamum reformabat, Evámque Sanctificabat, excludebat draconem, & Paradiſum aperiebat.* Hom. 2. de Deip.
3. *Vocavit te hortum concluſum, & fontem ſignatum is, qui ex te ortus eſt ſponſus. Hortum concluſum, ob id, quòd falx corruptionis, aut vindemia non te attigit: Florem autem, qui ex radice Jeſſe, hominum generi purè exhibetur, excultum tibi à puro, & intemerato Spiritu.* Serm. 2. de laud. Virg.

## §. 3. *Ratio.*

353. VIrgo ILLIbata, oMnIs DEI bonI partICeps.

VIrgo illibata debuit eſſe particeps omnî DEI boni: ſed inter præcipua DEI bona eſt, eſſe immunem à peccato, & ſanctum: Ergo Virgo illibata debuit eſſe immunis à peccato, & ſancta. Maj. prob. DEUS neceſſariò amat ſe amore infinito: Ergo neceſſariò vult omnia conducentia ad ſui glorificationem. Atqui maximè ad DEI glorificationem conducit, ſuam Matrem eſſe participẽ omnîs boni Divini. Ergo hoc neceſſariò vult. 1.ma Conſeq. Prob. Amare nil aliud eſt, quàm velle bonum, ergo quò magìs quis ſe amat, eò plura bona vult ad ſuam utilitatem, & glorificationem. Ergo cùm DEUS ſe amet neceſſariò amore infinito, debet neceſſariò velle ſibi omne bonum conducens ad ſui glorificationem. Confirm. Creatura, quæ plura poſſet facere in obſequium DEI, ſi non faceret, minùs cenſeretur diligere DEUM. Ergo etiam DEUS minùs cenſeretur diligere ſe ipſum, ſi non faceret omnia ad ſui glorificationem. Atqui ſuam Matrem præſervare à peccato, ſicque etiam hujus boni eam reddere participem omninò poteſt. Ergo ſi hoc non faceret, eam præſervando, minùs cenſeretur diligere ſeipſum.

## §. 4. *Hiſtoria.*

MeDItantI, & orantI, ſpeCtabILIs VIrgo sIne Labe. 354.

DE Moniali quâdam devotiſſimâ referunt, quòd, dum illa, tempore Bonifacij VIII. Summi Pontificis, ejusdemque Regiminis Anno tertio, Orationi aliquando ac meditationi, de Sacro Marianæ Conceptionis, & præſervationis myſterio, ſolito diutiùs intenta perſiſteret, in extaſin rapta, ſequentem habere viſionem meruerit: Vidit namque ipſam Beatiſſimam Virginem, magno ſplendore circumfuſam, quam etiam hæc ſibi loquentem audivit: *Scias Filia, & firmiter credas, quòd meæ immaculatæ Conceptioni, & ſanctificationi interfuerint tria Millia Cherubinorum, unâ voce canentium, ac dicentium: Mater Domini eſt MARIA, & tabernaculum Trinitatis.* cumque plura alia Religioſæ huic Virgini Virginum Virgo maternè revelâſſet, tandem ſermoni hiſcé verbis finem impo-

poſuit: *Certa eſto de eo, quod dixi tibi, & prædica, hoc eſſe verum ſub Sacramento.* Et certè fecit devota Monialis, ut juſſerat Virgo, habitamque viſionem, ac ab ipsâ Dei Genitrice inſtructionem palam enarrando, magnam in auſcultantium cordibus devotionem, ergà Sacram Mariæ Conceptionem excitavit. *Bernardin. de Buſti Serm. 8. de Concept.*

## §. 5. *Symbolum.*

355. AqVILa à DEO Coronata, fVLMen Ignorans.

Symbol. Henrici V. Regis Angliæ.




Fulmina nulla nocent Aquilæ, viridiſque corona,
Quam gerit ex quercu, non timet arma Jovis.
Accipit à Genito Virgo ſine labe coronam:
Non timet hinc maculam, Fulmina nulla timet.

*Ne timeas, quia ego tecum ſum.* Iſaiæ c. 41. v. 10.

## §. 6. *Antiquitas.*

356. sCIJthæ, fVgIentes faCIeM regIs DarII.

BEllum aliquando Rex Darius Scythis indixerat; cùm illi oppida mox ſua deſerentes, ad interiora terræ ſuæ tantò ſe celeriùs recipiebant, quantò magìs illum, cum ingentî armatorum manu, appropinquare intelligebant. quibus potentiſſimus Perſarum Rex hæc nuntiabat: *Quoúsque tandem, Scythæ infelices! fugere deſtinatis?* cui renuntiârunt illi: *Usque ad ſepulchra parentum.* quaſi dicerent: domos noſtras, & Civitates, parvi, imò nihili facimus: tolle eas tibi, prout lubet; pluris enim vitam noſtram, quàm domos æſtimamus; at ſi ad tumulos parentum noſtrorum appropinquaveris, ut aliquam in eorum exuvias indecentiam committas, noveris, nos ibi expectaturos, nec latum unguem inde diſceſſuros, ſed ad mortem uſque decertando, parentum noſtrorum, quamvìs mortuorum, gloriam defenſuros. Tanta nimirùm cura populi hujus, de gloriâ Parentum, fuerat, ut eam propriâ redimere vitâ non dubitârint.

Cæterùm, ſi tam magni fecerunt barbari illi homines (in quibus vix ſcintilla juris remanſit naturalìs) Progenitorum ſuorum, quamvìs jam pridem extinctorum gloriam, quid de Chriſto ſentiemus? an non dicemus, eum pro electæ ſuæ Matris, in gloriâ aliquando Cœleſtî excellentiſſimè cum ipſo regnaturæ, honore, ac gloriâ, longè plura effeciſſe? quid autem obſecro, indecorum magìs, ac indecentius Darius facere potuiſſet, contra illa fætentia mortuorum oſſa, quàm quod indecorum eſſet, ac indecens in Maria, conceptam aliquando in labe fuiſſe? dicendum eàpropter, Filium mortem potiùs millies oppetiturum fuiſſe, quàm Mariam præſervando non defendiſſe.

## §. 7. *Anagramma.*

DIVa, ſeMper LIbera, 357.
aC tVta à Labe.

*Diva Regina, ſemper tuta, à maculâ omnî!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LII.

## §. I. *Scriptura.*

358. CLaDIs ADæ NVntIa, eVaDens ſoLa.

Job. c. 1. v. 15. *Evaſi ego ſolus, ut nuntiarem tibi.*

CUm infenſiſſimus humani generis hoſtis, facultate à Numine obtentâ, Jobum, ditiſſimum pariter, ac feliciſſimum Heroem, omnî ex parte, tam in filijs, quàm in bonis, diriſſimè exagitaret, adeò, ut unus alterum ſubſequeretur nuntius,
v. 15. primi eorum ſequens erat relatio: *Boves arabant, & aſinæ paſcebantur juxta eos, & irruerunt Sabæi, tuleruntque omnia, & pueros percuſſerunt gladio, & evaſi ego ſolus, ut nuntiarem tibi.* ſucceſſit alter,
v. 16. & dixit: *Ignis DEI cecidit è Cælo, & tactas oves, puerosque conſumpſit, & effugi ego ſolus, ut nuntiarem tibi.* nec de-
v. 17. fuit tertius, qui diceret: *Chaldæi fecerunt tres turmas, & invaſerunt camelos, & tulerunt eos, nec non & pueros percuſſerunt gladio, & ego fugi ſolus, ut nuntiarem tibi.* adhuc eo loquente, intrabat & quartus, infandum his verbis renovans
v. 18. dolorem: *Filijs tuis, & filiabus veſcentibus, & bibentibus vinum, in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens irruit, à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domûs, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt, & effugi ego ſolus, ut nuntiarem tibi.* ipſe præthereà Jobus, factus paullò poſt omnium miſeriarum ſcopus, horror amicorum, liberis orbatus, ſubſtantiâ dejectus, à dæmone exagitatus, non veſtibus duntaxat, ſed propriâ etiam pelle exutus, fœtidis ulceribus adeò fuit in corpore ſulcatus, ut elicere è cujusvis ſpectatoris oculis lachrymas potuiſſet; verbo, eò patientiſſimi Jobi devenit miſeria, ut extrà Civitatis portam, ſpurco impoſitus ſterquilinio, graviſſimam etiam tentationem, ad jaciendas in DEUM diras, à propriâ uxore ſuſtinuerit, dicente: *Benedic DEO, & morere! &c.* c. 2. v. 7.

Hæc porrò omnia originariam ſolius Deiparæ puritatem non incongruè adumbrant; cacodæmon namque, vetus ille prædo, ac latro Tartareus, cùm, Numine permittente, humanum genus, in ſummâ tunc felicitate conſtitutum, junctis orci viribus, aggreſſus fuiſſet, ac triplicem in cuneum peccata dividendo, in venialia nimirùm, mortalia, & originale, tam in capite, quàm in corpore, tam in Adamo, quàm in poſteris, miſerrimam ſtragem, per inductionem præſertim in originale peccatum, exercuiſſet, ſicque omnia eis bona, tum corporalia, tum ſpiritualia, imò ipſam etiam beatitudinem, irreparabilî damno, abripuiſſet, unicus inter hæc omnia remanebat nuntius, qui diram aliorum ſtragem jugiter deplorare, de ſuâ autem reſervatione ſolus gratulari ſibi poterat, dicens: *Evaſi ego ſolus: effugi ego ſolus.* Sed quisnam ille? certè non alius, niſi Beatiſſima Divini Numinis Genitrix, MARIA, *Cladis Adæ nuntia, evadens ſola.* Hæc enim unica, in tutum ſe collocans, nullo unquam gladio percuſſa, quia ſcuto Fidei ſemper obarmata: nullo ventorum impetu aliquandò à ſuâ ſtatione dejecta, quia anchorâ Spei validiſſimè firmata: nullo vel momentaneo igne contacta, quia Divinæ Charitatis ardore jam pridem flagrantiſſima, ſola (fallor: non ſola; quia gratia DEI cum illâ, ut dicere cum Paulo *gratiâ plena* poſſet: *Non ego autem, ſed gratia DEI mecum*) 1. Corinth. c. 15. v. 10

ex-

exceſſit, erupit, evaſit, omnique periculo longè ſuperior, dum culpam cum reliquis non admiſit, pœnam quoque aliorum ſubire non potuit; licèt Protoplaſtus interim noſter, ulcere peſſimo ſceleris commiſſi, in animâ percuſſus, in commeritam delicti pœnam, extrà Paradiſi portam miſerè conſtitutus, perpeſſam à propriâ uxore Evâ graviſſimam tentationem gemebundus indoluerit, cui utinam cum Jobo generosè reſtitiſſet, Divinæ voluntati conſtantiùs adhæſiſſet, ac oblati pomi ſaporem (in quo contentum illud: *Benedic DEO, & morere!* contemptus nimirùm formalis DEI, & mors in ollâ) incautè deguſtare renuiſſet! Huc ergò, nempe ad MARIAM, quæ *ſola* evaſit, quotquot temporalia, & æterna mala evadere cupimus, confugiamus; quemadmodùm enim ad rationem concinnè monitus eſt Princeps patientium Jobus, ut ad demerendum optimum DEUM, Sanctorum cuipiam ſeſe, cauſamque ſuam impenſiùs commen-
c. 5. v. 1. daret: *Voca, ſi eſt, qui tibi reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum convertere!* ſic nos, qui Jobi inſtar miſeri, infelices, infinitis obnoxij calamitatibus, ſævo dæmonum aſſultu impetimur, qui varijs impiorum hominum illecebris, ad faciendum malum inducti, ad injurias Creatoris noſtri provocati, ineſcati à mundo, ſtimulati à carne ſumus, vocemus, ſi ſit, qui reſpondeat, & ad aliquem Sanctorum, imò ad Reginam Sanctorum omnium convertamur, illi res noſtras deferamus, quæ partes coram eo noſtras ſuſtineat, ſuoque interventu, gratiæ illius nos reſtituat.

## §. 2. *Authoritas.*

359. S. HIeronIJMVs, DeIparæ ILLIbatæ Conſentlens.

1. *Nubes illa (Beatiſſima Virgo) nunquam fuit in tenebris, ſed ſemper in luce.* In Pſalm. 77.
2. *Virgam de Radice Jeſſe Sanctam MARIAM Virginem intelligamus, quæ nullum habuit ſibi fruticem cohærentem.* Ad c. 11. Iſaiæ.
3. *Beata terra Eccleſiæ, cujus Rex eſt Chriſtus, filius ingenuorum de Abraham, Iſaac, & Jacob, Prophetarum quoque, & Sanctorum ſtirpe deſcendens, quibus peccatum non fuit dominatum, & ob id verè fuerunt liberi. Ex quibus nata eſt Virgo liberior, Sancta MARIA.* Ad c. 10. Eccle.
4. *Quidquid in eâ geſtum eſt, totum puritas, & ſimplicitas, totum gratia, & veritas fuit, totum miſericordia, & juſtitia, & ideo immaculata, quia in nullo corrupta.* In Aſſumpt. Virg.
5. *Nulli dubium eſt de Matre Domini, quin talis debuerit eſſe, quæ non poſſet argui de peccato, quia fuiſſet ad improperium filij.* Serm. ad Euſtochium.
6. *Ad quam nulli potuerunt doli irrumpere, nec prævaluit fraus inimici, ſed permanſit ſancta mente, & corpore, multis donorum privilegijs ſublimata.* Serm. de Aſſumpt.

## §. 3. *Ratio.*

oDIſſe CarneM, natVræ ContrarIatVr. 360.

COntrà naturalem inclinationem eſt, propriam odiſſe carnem, ut ait S. Paul. Epheſ. c. 5. v. 30. *Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit, & ſovet eam.* Atqui Beata Virgo fuit propria caro Chriſti; hanc enim ex eâ, utpote ex futurâ Genitrice accepturus erat. Ergo contra naturalem inclinationem Chriſti eſt, odiſſe Beatam Virginem. Subſumo. Atqui omninò eam odio perſequeretur, ſi illa fuiſſet concepta in peccato originalî. Ergo ut hoc evitetur, aſſerendum eſt, eam eſſe conceptam ſine peccato. Subſ. Prob. Impium & impietatem ejus DEUS odio habet: Sed per peccatum originale eſt quis impius, & inimicus.

Ergo

Ergo ſi Beata Virgo fuiſſet concepta in peccato originalî, verè à DEO fuiſſet odio habita.


### §. 4. *Hiſtoria.*

361. BeatVs PasChaLIs, DeIparæ à Labe pVræ aMator.

Beatus Paſchalis, Frater Laicus, ex Ordine S. Franciſci, magnâ Sanctitatis laude conſpicuus, cùm ſummâ, ac conſtantî ergà immaculatam Deiparæ Conceptionem devotione ferretur, tandèm indè promeruit, ut occurrente annuâ Feſti celebritate, totus præ amore ardens, quaſi ſemper in extaſin raperetur, ac dulciſſimo pulcherrimæ Virginis conſpectu, ſuaviſſimoque alloquio diutiùs detineretur. Hic ſpecialis Deiparæ amator nunquam majorî afficiebatur gaudio, quàm ſi ſors ipſi obtingeret, ac Superiorum obedientia eò vocaret, ut in talî quodam Conventu degere poſſet, ac ad tempus ſubſiſtere, qui in honorem puriſſimæ hujus Conceptionis exædificatus fuiſſet. Talis Conventus alterum illi videbatur Cœlum: dicere ſæpiùs ſolebat, cum Davide: *Hæc requies mea, hìc habitabo, quoniam elegi eam.* Pſal. 131. v. 14. de tali Fratrum Familiâ, ſub tam ſpecialî illibatæ Conceptionis præſidio conſtitutâ dici poterat, quod in eodem Pſal. v. præced. dicitur: *Elegit eam in habitationem ſibi.* Quid ergo mirum, ſi tantus Deiparæ à labe puræ amor, tantaque erga Sacram ejus Conceptionem devotio Beato huic viro, ad magnam, in qua defunctus eſt, Sanctitatem promotio fuit? *Chronic. Ord. tom. 4. lib. 9.*

### §. 5. *Symbolum.*

Inter Cæteros oMnes, Vna ſoLa præVaLens DeIpara. 362.




Innumeris numerus Nullis hic prævalet unus,
Plurima Nulla licèt, non niſi Nulla manet.
Sic concepta alijs cunctis ſine labe MARIA
Prævalet: in reliquis fit nihil ex nihilo.

*Non prævaleat contra te homo.* 2. Paral. c. 14. v. 11.

### §. 6. *Antiquitas.*

RatIs VICtorIæ, DeMersIs aLIJs, LIbera. 363.

Cùm Ferdinandus Magellanius, adornatâ Anno Milleſimo, Quingenteſimo, Vigeſimo, ingentî claſſe, Hiſpalî ſolviſſet, ac Molucas (ſi Superis placeret) petere conſtituiſſet, eo in itinere (ut refert Eminentiſſimus noſter Sfondratus, *in ſuâ Innocentiâ Vindicatâ*) Ratis quædam, ſeu navis unica integrum Mare Atlanticum emenſa, Americam quoque, ventis faventibus, magnâ ex parte percurrit, quæ ſuperato etiam Marî pacifico, tandem Molucas tenuit, ubi cùm ingentem pretioſorum aromatum copiam congeſſiſſet, evicto jam *Bonæ ſpei* promontorio, glorioſa omnium periculorum victrix, Hiſpalenſem tandem Portum ſubijt, univerſo, intra

tra

trà Triennij ſpatium, luſtrato Orbe, cæteris interim Navibus, nullâ prorsùs exceptâ, miſerando naufragio demerſis. Quæ proinde Ratis demerſis alijs libera, & ex tantis ſola ſuperſtes, jure meritiſſimo *Victoriæ* impoſterùm nomen ſibi vendicavit.

Quis in dubium vocabit glorioſum hunc Victoriæ titulum Beatiſſimæ DEI Genitrici longè majori jure competere? utpote quæ, perpeſſo totius humani generis originalî naufragio, ſola ſuperſtes, non ex Indijs aromata, ſed è Cœlo DEUM ipſum in terras advexit: cui ſinus pro Navi, pro Mari mundus, amor pro ventis, gratia & gloria pro mercibus fuit, ut de illâ optimè dici poſſit: *Multæ filiæ congregaverunt divitias, tu ſupergreſſa es univerſas.* Proverb. 31. v. 29. & nonnè Maria Navis? *Facta eſt* profectò (ut ait Sacer Textus ibid. v. 14.) *ſicut Navis inſtitoris, de longè portans panem. Navis*, ideſt (ut exponit altefactus Eminentiſſimus, è Purpuratorum Collegio, Princeps) *Mater: Inſtitoris*, ideſt, *Redemptoris: de longè*, hoc eſt, *de Cœlo: portans*, hoc eſt, *utero geſtans: Panem*, hoc eſt, *DEUM.* Hæc Navis Maria, inter tot rates, quot animas, quæ hoc Mare miſeriarum percurrunt, ſola ſcopulum peccati effugit, ad quem reliquæ omnes alliſæ, miſerum aliquando fecêre naufragium. Quidnì ergò, gratulabundis vocibus, MARIÆ acclamemus: *Victoria! Victoria!*

### §. 7. *Anagramma.*

TV MargarIta CœLeſtIs, haVD Læſa. 364.

*O gemma Divina! pura, ſine tetrâ maculâ.*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LIII.

### §. I. *Scriptura.*

365. NON reperIetVr peCCatVM DeIparæ.

Pſal. 9. v. 39. *Quæretur peccatum illius, & non invenietur.*

EA eſt perverſa quorundam Mortalium conſuetudo, ut in ijs plerumque alios ſuſpectos habeant, in quibus ipſi maximè ſe nôrunt culpabiles. ſic Sacræ loquuntur Paginæ: *In viâ ſtultus ambulans, cùm ipſe inſipiens ſit, omnes ſtultos æſtimat.* & S. Auguſtinus, vertex ille Theologorum: *Homo*, inquit, *ad malum proclivis, facilè de altero ſuſpicatur, quod ſentit in ſeipſo.* Nec deſunt exempla; quis enim ignorat, Neronem, cùm eſſet ipſe impuriſſimus, neminem à libidine purum judicaſſe? quis neſcit, Vagaonem Holofernis cubicularium, cùm ipſe carnalis eſſet, ſuſpicatum fuiſſe, Holofernem quoque, Dominum ſuum, cum caſtiſſimâ Judithâ in longum mane libidinari?

[Margin: Eccleſ. c. 10. v. 3. — in expoſ. Pſalm. — Judith. c. 13.]

Idem omninò accidit Virgini Deiparæ, ab omni peccato longè remotiſſimæ; cùm enim omnes nos in Adamo peccatores ſciamus, juxta illud Pauli: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit,*

[Margin: Rom. c. 5. v. 12.]

*& per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccaverunt, &c.* non deſunt ex nobis aliqui, qui hoc ipſo in puriſſimâ quoque Numinis Genitrice peccatum ſaltem momentaneum ſuſpicantur. Verùm enimverò *quæretur peccatum illius, & non invenietur*; in vanum namque laborant, qui carneis, ac impuris oculis, contra communem Sanctorum Patrum, & Doctorum ſententiam, in MARIÆ, quamvìs carnalî, modeſtiſſimâ tamen ex Joachimo, & Annâ conceptione, ſpurciſſimas originalîs noxæ maculas ſe inveniſſe arbitrantur; idem enim Virgo Beatiſſima tali calumniatori exprobrare poteſt, quod apud Jobum legitur:

c. 10. v. 4. *Nunquid oculi carnei tibi ſunt - - - ut quæras iniquitatem meam, & peccatum meum ſcruteris? & ſcias, quia nihil impium fecerim.* Recogitet ergò talis, quod Divus Bernardus de puriſſimâ Virgine ſcriptum reliquit:

Serm. 13. in Cœn. Dom. *Non eſt in filijs hominum magnus vel parvus, tantâ præditus ſanctitate, nec tantæ Religionis privilegiatus honore, qui non in peccatis fuerit conceptus, præter MARIAM, Matrem immaculati, peccatum non facientis, ſed peccata mundi tollentis, &c.* de quâ etiam clariſſimum Fidei noſtræ Sidus, cui datum eſt, de ſummâ, & incomprehenſibili Trinitate DEI loqui, ac determinare, Sanctus nimirùm Auguſtinus,

Lib. de Nat. & grat. c. 36. *cùm de peccatis agitur, propter honorem Domini, nullam prorsùs vult habere quæſtionem.* Adeò nimirùm MARIAM ſine nævo, ſine maculâ, toti lyncei, & acutùm videntes, ſummi Eccleſiæ Principes, ac Patres, acie mentis Divinitùs illuſtratâ, fixis per tot jam ſæcula oculis, conſpexerunt, & peccatum non invenerunt. illi autem, qui tam improbo labore in Deiparâ reperire peccatum conati ſunt, in vanum laboraverunt:

Pſal. 63. v. 7. *Scrutati ſunt* nimirùm (ut cum Pſalmiſtâ loquar) *iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio.* vel cum ſupranominato Hipponensî Doctore, ſuper hunc locum: *Mentita eſt iniquitas ſibi: Defecerunt ſcrutantes ſcrutationes, defecerunt à luce DEI, defecerunt in ipſo effectu conſiliorum ſuorum.* Et ſanè, ſi de Eſther Reginâ (de quâ nuper Conceptu LI. locuti fuimus) dixit S. Hieronymus, talem fuiſſe, *ut nunquam de illâ etiam maledicorum quidquam auderet fama confingere*, quare in venuſtiſſimâ DEI Matre quærere peccatum volumus, aut confingere illud, quod nunquàm inveniri poterit, ſcilicèt eam aliquandò tam atrocis fuiſſe maledictionis participem? Quæramus ergò in MARIA non *peccatum illius*, quod *non invenietur*, ſed peccatorum noſtrorum veniam, quæ haud dubiè invenietur. Inveniemus in illâ Advocatam, ad mitigandum irati Numinis animum, & promerendas ejus gratias, ac favores peridoneam: inveniemus Matrem, meritis potentem apud Filium, quem ipſa concepit, genuit, nutrivit, cui ſervivit, quem ad Crucem uſque, & mortem eſt proſecuta. Quæremus in MARIA, & inveniemus talem, quæ illi, præ alijs omnibus, eſt accepta, gratijs ultrà omnes ornata, ad dexteram illius in Cœlis collocata, deſiderio ſalutis noſtræ ardentiſſima. Verbo, *quæremus*, & *inveniemus* totam benignam, & mitem, utpotè in miſericordiæ matrem ab ipſo nobis miſericordiæ fonte donatam, quæ quærenti, quem devoret, hoſti obſiſtet, ac impetratâ nobis ſeriâ peccatorum pœnitentiâ & remiſſione, tantum efficiet, ut ab hoſte infernali, in die judicij, *quæratur* peccatum noſtrum, *& non inveniatur.*

## §. 2 *Authoritas.*

S. HIpoLIJtVs, DEI MatrIs Labe CarentIs teſtIs. 366.

1. *Chriſtus advenit ex Sanctâ, & immaculatâ Virgine.* Orat. de conſummat. Mundi.

2. *Qui dixit: Honora Patrem, & Matrem, ut decretum à ſe promulgatum obſervaret, omnem gratiam Matri, & honorem impendit.* Orat. de Sanctific. B. Virg.

§. 3.

## §. 3. *Ratio.*

367. IMpVra ConCeptIo abſVrDa.

BOnum eſt argumentum, deductum ex evidentibus abſurdis: ut indicatur in L. *nam abſurdum ff. de operis libertate.* Sed ſi Beatæ Virginis Conceptio impura, id eſt, maculata peccato originalî fuiſſet, multa ſequerentur evidentia abſurda. Ergo Deiparæ Virginis Conceptio impura eſſe non poteſt. Min. Prob. Quis non abſurdum diceret, quòd corruptrix generis humani, Eva fuerit ſine labe producta, econtrà vivificatrix naturæ humanæ in morte peccati ſit concepta? de quâ S. Bern. ſuper *Miſſus*: *O fœminam ſingulariter venerandam, ſuper omnes fœminas admirabilem, parentum reparatricem, poſterorum vivificatricem!* Quis non abſurdum diceret, quòd illa, quæ ad totum genus humanum ſanandum venerat, in primo conceptionis exordio, lethali vulnere proſterneretur? de qua S August. Serm. de Nativ. *Percuſſit illa*, id eſt, Eva, *ſanavit iſta*, id eſt, Maria. Quis non abſurdum diceret, quòd illa, quæ totum mundum illuminare venerat, in ſui primordio obſcuraretur? de qua ſupradictus Mellifluus Hom. 2. ſuper *Miſſus*: *MARIÆ præſentiâ totus illuſtratur orbis; ipſa enim eſt ſtella illa nobilis ex Jacob orta, cujus radius univerſum orbem illuminat, cujus ſplendor in ſupernis fulget, & inferos penetrat.* Quis non abſurdum diceret, quod, quæ benedicere venerat omni creaturæ, in ſui exordio ipſa malediceretur? de qua Aug. cit. *O Virgo benedicta! per cujus benedictionem benedicitur omnis creatura.* Quis tandem non abſurdum diceret, quòd illa, quæ DEUM incorporare debebat, corpus fieret de corpore diaboli, & ejus membrum? ut enim ait Alexander Alens. Tract. de peccat. diabol. *Qui habet peccatum mortale, eſt de corpore diaboli, & omnes iniqui ſunt membra ejus.* Ergo ut hæ omnes abſurditates evitentur, firmiter ſtandum eſt, pro purâ, & illibatâ Deiparæ Conceptione.

## §. 4. *Hiſtoria.*

pVrè ConCeptæ repVgnantIs eMenDatIo. 368.

EÒ pervenit Petri Antonij de Bernardis, Notarij, ac Civîs Mediolanensîs, contrà ſententiam im̃aculatæ Conceptioni faventem, renitentia, ut non tantùm Officium ejusdem Conceptionis, quamvìs ab Eccleſiâ Romanâ approbatum, ſummo habuerit odio, verùm etiam, nè audire quidem Concionem de tali myſterio ſuſtinuerit, quoscunque hujus piæ ſententiæ aſſertores acriter reprehenderit, Vigiliam jejunantes, aut Feſtum devotiùs celebrantes, probrosè irriſerit, ac in eâ quidem pertinacî repugnantiâ, per 14. & ultrà annos, conſtanter perſeverârit. Hujus filius, Eremitarum poſtmodùm S. Auguſtini Ordinem ingreſſus, cùm adhuc in ſæculo exiſtens, in Epiſtolas S. Hieronymi libellum conſcripſiſſet, atque inter alia, ſalutationem quandam Virginis Deiparæ, in quâ ſine originali culpâ laudabatur, appoſuiſſet, ipſe Parens prædicta verba propriâ delevit manu, earumque loco Authoritatem quandam ſubſtituit S. Thomæ, & aliam S. Ambroſij, quibus putabat contrarium contineri, duris filium verbis de ſcripturâ illâ reprehendens. Enimverò talis ipſi viſio, nocte quâdam apparuit: Putabat ſe nimirùm in Eccleſiâ conſtitutum, orationi vacare, ac ipſam videre Deiparam, indignabundâ facie, ac capite omninò averſo, quantocyùs diſparentem: quod adeò ipſum afflixit, ut dormire ultrà non valens, continuò mente revolverit, qualis tantæ cauſa indignationis exiſteret? cùm deinde Concioni aliquandò, in laudem puræ Conceptionis habitæ intereſſet, ſalubris mentem ſubijt cogitatio, num fortè dicta viſio eàpropter ipſi contigiſſet, quòd tam acriter illud hactenùs myſterium impugnârit? Hinc devotis Mariam fatigavit precibus, quatenùs ſi vera eſſet ipſius immaculata Conceptio, in

 con-

conſolatoriâ quâdam viſione, hoc illi manifeſtare dignaretur: paratum ſe, ſiniſtram deinde opinionem ſine morâ revocare,ac Librum prædictum tenori priſtino reſtituere. Et en! nocte ſubſequente, talem habuit viſionem: Putabat, ſe quandam obambulare plateam, prope Eccleſiam, ſeu Sacellum im̃aculatæ Virginis, ubi JESUS ipſe, Sole ſplendidior, magno ſtipatus Angelorum, ac Sanctorum comitatu, in aere apparuit, inque manibus ingentem candidiſſimorum, miræ fragrantiæ, florum copiam tenens, gentibus ibi congregatis diſtribuit. Unde & ipſe ait: O bone JESU! placeat, mihi aliquem ex iſtis floribus porrigere! quo obtento, cùm immenſas egiſſet gratias, totusq; exinde conſolatus remaneret, facto mane, quæ promiſit, ſanctè adimplevit, habitas viſiones in ſcripta redegit, ac opinionem ſuam, totaliter emẽdavit. *Bernardin. de Buſti Serm. 9. de Conc.*

## §. 5. *Symbolum.*

369. DeIpara Labe Carens, nVnqVaM Læſa à ſagIttâ.




Quæritis in vanum maculas in ſidere Solis:
Quod petitis centrum, nulla ſagitta ferit.
Hinc licèt in turpî conceptam labe MARIAM
Accuſent aliqui; nulla ſagitta ferit.

*Sagitta parvulorum factæ ſunt plagæ eorum.* Pſal. 63. v. 8.

## §. 6. *Antiquitas.*

è sVbtILI LIneâ, ManIfeſtata RhoDI ApeLLIs præſentIa. 370.

OBſervavit fortè Pictorum Phœnix, Protogenes, cùm Rhodi conſtitutus, primarias Urbis illius plateas perambularet, ſubtiliſſimam quandam lineam, mirâ arte, in pariete ductam; à cujus primo intuitu non dubitavit, extemporaneum ſumere argumentum: Apellem Rhodi vel eſſe, vel fuiſſe, quandò (ut ille diſcurrebat) *in neminem alium tam abſolutum Opus cadere poſſet.* quod etiam Protogenis judicium ipſa rei veritas comprobavit.

Nonnè ergo & nos, dum ſubtiliſſimum Conceptionis Marianæ punctum, ſine omnî maculâ ductum, è tot Scripturarum figuris, Patrum, ac Conciliorum teſtimonijs, rationum congruentijs, miraculis, &c. conſpicimus, nonnè, inquam, argumentum ſumere & nos facilè poterimus, Divinæ id Sapientiæ ſingulare opus extitiſſe, æternumque DEI Verbum in illâ habitare elegiſſe, quando in neminem alium, tam abſolutum Opus, tam perfecta creatura, qualis MARIA fuerat, cadere potuit? quam meritò admirabunda deprædicant clariſſima Eccleſiæ lumina, Auguſtinus, & Baſilius, ille dum ait: *Tu cunctas fœminas vincis pulchritudine carnis, & omnes Angelicos Spiritus excellentiâ Sanctitatis.* Lib. de Incarn. Hic verò, *Ex Sanctitate* inquiens, *compacta eſt caro MARIÆ, digna, quæ Deitati Unigeniti uniretur.* De eâdem Chriſti Incarnatione, &c.

## §. 7. *Anagramma.*

AbsIt à Te ConCeptâ ADæ IVgVM. 371.

*Mira, et ſana! en procul à Te Adami jugum!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

DE

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LIV.

## §. I. *Scriptura.*

372. **VIrgo aD pVgnaM præCInCta.**

Pſal. 17. v. 33. *DEUS, qui præcinxit me virtute, & poſuit immaculatam viam meam.*

QUid, Mortalium Sapientiſſime! tam ſollicitè fortem quandam, inter mulieres, Heroinam perquiris, dicendo: *Mulierem fortem quis inveniet?* (Prov. 31. v. 10.) En progreditur, quamvìs *procul, & de ultimis finibus*, ad pugnam præcincta, *benedicta in Mulieribus*, Virgo Deipara, tam ſingularîs fortitudinis Heroina, ut facta edere videatur, quæ nullius unquam mentem pervaſêre, facta, quæ obſtupeſcant eminùs intuentes. Hæc, MARIA nempe, ab ipſo viæ ſuæ exordio, jam prælijs aſſueta, *accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roboravit brachium ſuum*, (Ibid. v. 17.) adeò, ut collectas etiam orci vires minimè pertimeſcens, dum materno conciperetur in utero, animáque puriſſima benedicto fœtui infunderetur, primam mox retulerit de hoſte victoriam, omnibus alijs, ab orbe condito relatis, longè glorioſiorem. Erexerant quidem hactenùs hoſtes infernales ubique ſigna ſua, & Trophæa, ſuper omnes etiam Sanctos, quantumvìs maximos, ut ſuper Joannem Baptiſtam, licèt inter natos mulierum illo major non ſurrexerit, ut adimpletum videri poſſet illud Pſalmiſtæ: *Poſuerunt ſigna ſua ſigna, ſicut in exitu ſuper ſummum*, (Pſal. 73. v. 5.) ſive, ut Theodoretus exponit: *Trophæa, quæ ſigna & indicia Victoriæ ſunt, erexerunt ſuper portas noſtras.* quis autem neſcit, *Portas*, & *Vias*, per quas in hanc vitam ingredimur, *conceptiones* eſſe? ſuper quas, proh dolor! in ipſo in hunc mundum introitu, hoſtis noſter originarij vexilla peccati efferre non dubitat: Fefellit tamen temerarius hic auſus, in Virgine Beatiſſimâ, quæ in eâdem Conceptionis ſuæ *viâ*, fortiter ad pugnam præcincta, armisque validiſſimis inſtructa, omnem hoſti aditum præcluſit: *Mille quippè clypei pendebant ex eâ, omnis armatura fortium.* (Cant. c. 4. v. 4.) Non ergò mirum, ſi primam, quâ fuerat Divinitùs præventa, gratiam nunquam deperdidit; nempe: *Cùm fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea, quæ poſſidet.* (Luc. c. 11. v. 21.) Sed undè tanta in puriſſimâ hac Virgine fortitudo? ipſam audiamus, non proprijs quidem viribus, ſed potentiſſimo Numinis adjutorio, gloriam præſervationis attribuentem: *DEUS*, ait, *qui præcinxit me virtute, & poſuit immaculatam viam*, id eſt, Conceptionem *meam.* quod in eodem Pſalmo non tantùm ulteriùs ijs verbis confirmat: *Præcinxiſti me virtute ad bellum*, (Pſal. 17. v. 40.) verùm etiam ſpecialiter per prævìſa Chriſti, Filij ſui, ac Salvatoris noſtri merita, ſe protectam fatetur dicens: *& dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ.* (v. 36.) Quòd ſi Romanum quondam militem Egeſippus deſcripturus, ſequentia pronuntiavit: *Progredimur in bellum muniti, undique tegitur galeâ caput, loricâ pectus, totumque clypeo corpus: ubi feriat hoſtis Romanum militem, reperire non poteſt, quem ferro ſeptum circumſpicit*: (L. 3. de excid. Jeroſ.) auſim ego meliorî jure dicere, progreſſam in bellum MARIAM, *ad pugnam præcinctam*, undique tectam galeâ, loricâ, ac clypeo Divinæ protectionis, quæ illam Angelo nequam per omnia ſuperiorem effecit, nullâque eam maculâ, vel ad momentum, infici permiſit. Potens eſt ergo MARIA, quæ quia tam



for-

fortiter præcincta, quemlibet quoque noſtrûm jugiter protegere, imò & præcingere poterit, dummodò eam ijs Jobi verbis deprecemur humiliter :
c. 17. v. 3. *Pone me juxtà te, & cujusvis manus pugnet contra me!* nec enim difficile erit, hanc à puriſſimâ DEI Genitrice gratiam obtinere; nam cùm hæc ſola typum gerat fortis illius mulieris, à Salomone tam ſtudioſè quæſitæ, inventæ, ac inter alia laudum præconia, his etiam
Prov. 31. v. 24. verbis ibidem dilaudatæ: *Cingulum tradidit Cananæo*, cinget haud dubiè, & præcinget renes eorum omnium, ad ſe devotè recurrentium, qui inſtar Cananæi, qui *Salax* erat, libidinis æſtu flagrantes, ejus opem implorant, ponetque impoſterùm *immaculatam viam* eorum.

## §. 2. *Authoritas.*

373. S. HVgo De SanCto VICtore, reaM Ignorans.

1. *Beata Virgo pauper fuit, humilis, obediens, quieta, modeſta, ſimplex, ſapiens, ab Angelo nuntiata, in utero ſanctificata.* De proprietatibus & Epithetis rerum l. 4. c. 2.
2. *In Cœlo, qualis Pater, talis Filius, & in terrâ, qualis Mater, talis Filius: in Cœlo, imago Patris, in terrâ, imitator Matris.* Apolog. de Verb. incarn. c. 3.
3. *Tota pulchra es! pulchra es intùs, pulchra es foris, intùs in corde, foris in corpore, intùs rubicunda, foris candida, rubicunda per charitatem, candida per caſtitatem, totum, quod in Te eſt, pulchrum eſt, & nihil ineſt Tibi, quod ſit ſordidum, in toto gratia, in nullo ingrata, in toto places, in nullo diſplices.* Serm. 9. de inſtitut. Monaſt.

## §. 3. *Ratio.*

374. Mater DEI, In CœLo eXaLtata.

MAter DEI in terrâ debuit eſſe exaltata, ſuper omnes creaturas: Sed ſi hæc in Conceptione contraxiſſet peccatum originale, licèt ante nativitatem fuiſſet ab eo liberata, non fuiſſet exaltata ſuper omnes omninò creaturas: Ergo debuit eſſe ſine peccato concepta. Min. conſtat: quia etiam alij, ut S. Joannes Baptiſta, Jeremias, &c. poſt conceptionem, ante nativitatem, fuerunt liberati à peccato originalî. Ergo ſi Mater DEI tantùm ante Nativitatem fuiſſet liberata à peccato, ſupra hos Sanctos non fuiſſet exaltata. Maj. Prob. Qui in Cœlo eſt exaltatus, ſuper omnes creaturas, multò magìs in terrâ debet eſſe ſuper eas exaltatus: Sed B. Virgo in Cælo fuit exaltata ſuper omnes creaturas, juxta mentem Eccleſiæ, in Feſto Aſſumpt. *Exaltata eſt ſancta Dei Genitrix ſuper choros Angelorum ad Cœleſtia regna.* Ergo, &c. Min. Prob. Gradus gloriæ in Patriâ correſpondet gradui gratiæ in viâ, juxta illud Pſal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* quod etiam confirmat S. Hieronymus in Serm. ad Euſtoch. *Quia ſuper omnes choros Angelorum in Cœleſtî gloria exaltata, ſignum eſt, etiam in terris fuiſſe ſuper omnes alios in gratiâ exaltatam.* Ergo, &c.

## §. 4. *Hiſtoria.*

DæMon, nobILI hero sVo noCere non VaLens. 375.

HErus quidam Nobilis, permittente ſic Numine, ſervum longo tempore habebat ipſum dæmonem, ſub hominis ſpecie, fideliſſimè ſibi famulantem, ſed magno interim ſtudio, ut Dominum ſuum perdere, ac æternùm ſibi mancipare poſſet, intentum. Placuit autem Divinæ miſericordiæ, illud ipſum, in quo Nobilis verſabatur, periculum pio cuidam, ac magnæ Sanctitatis Epiſcopo manifeſtare, qui mox domum illam accedens, Patrem familias inviſit, ac datâ occaſione, de ſervorum quorundam fidelitate, diſcurſum incipit. Hìc ſummis ſervi ſui fidelitatem laudibus Herus extollere, ac quæ ſibi hactenùs ſervitia indefeſſâ diligentiâ præſtitiſſet,

tiſſet, fuſiſſimè enarrare. cui Epiſcopus: Quæſo advocetur dilaudatus adeò famulus, ut & ego eundem videre valeam. Vocatur quantocyùs, jubente hero, ſervus ille; nec tamen comparet: imò ſecundâ, ac tertiâ vice vocatus, in recluſi tandem cubiculi angulo quodam, ſe tremebundus abſcondit. comparere ergò coactus, ac quisnam eſſet? confiteri, in nomine Sanctiſſimæ Trinitatis ab Epiſcopo adjuratus, faſſus eſt, non hominem, ſed dæmonem ſe eſſe, vitæq; tam temporali, quàm æternæ Heri ſui indeſinenter inſidiatum: veruntamen id nunquam exequi potuiſſe, eam præcisè ob cauſam, quòd certam quandam Precatiunculam, ſingulis diebus, manè, & veſperi, Dominus ſuus recitâſſet. quo dicto, magnum relinquens fætorem, confeſtim evanuit. Tunc enimverò Epiſcopus, de Oratione illâ adeò efficacî, ſollicitè indagare, tandemque ex Hero intelligere, non aliam fuiſſe, quam brevem illam Oratiunculum, cujus initium: *O intemerata Virginitas* &c. quam in ſingularem illibatæ Conceptionis honorem, Virgini Deiparenti ſingulis diebus bis perſolvere, per multos jamjam annos conſueviſſet. Quare colligere evidenter Epiſcopus poterat, Herum illum ſpecialem exinde Virginis tutelam ſibi promeruiſſe, quâ protegente, nunquam ipſi nocere infernalis inimicus valuerit. O! quàm facilè & noſtrûm cuilibet foret, ſi hæc aut his ſimilia verba diebus ſingulis in Virginis illibatæ honorem proferre aſſueſceremus: *In tuâ Conceptione, O Virgo! ſine peccato fuiſti: Ora pro nobis Patrem, cujus Filium peperiſti, &c.* Refert Hiſtoriam hanc P. Zacharias Boverius *tom. 1. Annal, Capuc. ad Annum Chriſti 1552.*

* *
*

## §. 5. *Symbolum.*

DeIpara CrVCe præMVnIta. 376.




Arma, Virumque cano. fallor: cano bella Puellæ
Jugiter armatæ: Fortia bella Crucis.
In Cruce prævisâ, generandi ex Virgine Verbi
Virgo manet Victrix, dum ſine labe manet.

*Mihi autem abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri JESU Chriſti.* Galat. c. 6. v. 14.

## §. 6. *Antiquitas.*

BeLLona, arMata LanCeâ, & CLIpeo, è CœLeſtI IoVIs Cerebro proſILIens. 377.

Ntiqua eſt Poëtarum fictio, Bellonam, ſive Palladem, armatam, cum haſtâ, & clypeo, è Jovis cerebro proſilijſſe, ac in glorioſum reportatæ Victoriæ ſignum, clypeo inſculptum gerere coronatum ſerpentibus caput Meduſæ, mulieris quondam ſpiritu ſuperbiæ inflatiſſimæ: tantam prætereà Bellonæ fuiſſe fortitudinem, ut venenoſiſſimum quendam Draconem; monſtrum omnibus infeſtiſſimum, miræque magnitudinis enecârit. Narrat inſuper Plinius *l. 31. c. 2.* dictæ Palladis, ſeu Bel-

Bellonæ fontem, apud Cyzicenos reperibilem, eæ eſſe virtutis, ut ardentes cupidinis æſtus quantocyùs extingat.

Sed faceſſant impia, de impijs Numinibus, figmenta! fabuloſas has potiùs narrationes, velut veriſſimam Hiſtoriam, Deiparæ Virgini adſcribamus, eamque miremur, ab æterno in cerebro Jovis (ſi ita loqui fas eſt) Sanctiſſimæ nimirùm Trinitatis, conceptam, *in veſtitu deaurato* gratiæ, mundum hunc fuiſſe ingreſſam: miremur ex auguſtalî proſilientem camerâ Divinorum conſiliorum, cum radiantibus armis, cum aureâ juſtitiæ loricâ, cum galeâ ſalutis, & clypeo ſupernæ protectionis, utpote in ipſo jam immaculato Conceptu, præſidijs gratiarum, & mirabilî Sanctitate munitam, cum acceleratione, cum anticipatione & obumbratione Spiritûs Sancti, quibus quasì totidem coruſcantibus armis, hoſtibus extremùm terribilis extitit, quin & parituram ſe oſtendit fortem illum bellatorem, qui dæmonis acies profligaturus eſſet univerſas. Hujus Bellonæ Cœleſtis clypeo victrici appendamus & nos non jam caput Meduſæ, ſerpentibus coronatum, ſed ipſum infernalem ſerpentem, contrito capite ſuccumbentem: haſtæ autem Virgineæ coronam annectamus ex oleâ, in Signum glorioſiſſimæ de peccato Protoparentum Victoriæ, ſecuri, devotam ejus memoriam, ac venerationem, fontem nobis futuram, longè majoris virtutis, quàm Palladis ille, à Plinio deſcriptus, adeò, ut contra quoscunque, ardentiſſimos etiam, cupidinis æſtus, præſentiſſimum exinde remedium haurire valeamus.

### §. 7. *Anagramma.*

pVra, IaM LIbera à CVLpa ADæ. 378.

*Intemerata Virgo! jam munda es à culpâ.*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS LV.

### §. 1. *Scriptura.*

379. In SoLe ConCepto, nVLLa MaCVLa peCCatI.

Pſal. 18. v. 6. *In Sole poſuit Tabernaculum ſuum.*

c. 17. v. 30. QUid lucidius Sole? admirabundus olim exclamabat Eccleſiaſticus. & benè; hic enim, teſte S. Ambroſio, eſt *oculus mundi*, L. 4 hexā c. 1. *jucunditas diei, Cœli pulchritudo, naturæ gratia, præſtantia creaturæ*, verbo, ut S. loquitur Dionyſius: L. 1. c. 4. de div. nom. *Imago expreſſa Divinæ bonitatis.* Exclamabo nihilominùs ego potiùs cum Ambroſio: *Quid ſplendidius illâ, quam ſplendor elegit?* L. 2. de Virg. vel: quid lucidius illâ, quæ *Electa ut Sol*, ab ipſomet Cœleſti Sponſo, c. 6. v. 9. Sacris in Canticis, deprædicatur? Hæc enimverò juxtà Solem Cantuariæ, D. Anſelmum, *Sol diei myſtici*, vel juxta Doctorem mellifluum *Viva Solis imago* Serm. 2. in Pent. meritò nuncupatur. quemadmodùm enim Sol omnî tempore ſplendidiſſimus, omnem à ſe caliginem excludit; ita MARIA nunquam fuit in tenebris, ſed ſemper in luce, juxta illud: *Et tenebræ eam non comprehenderunt.* Jo. 1. v. 5. ſicut Sol omnium Planetarum, ſiderumque reliquorum clarorem adeò ex-

excedit, ut ſint, quaſi non ſint, & videri non poſſint: ita Virgo Beatiſſima Beatorum omnium, ſtellarum inſtar, in Cœlis radiantium claritatem eminenter excedit, teſtante hoc ipſum D. Petro Damiano, his verbis: Serm. in Aſſumpt. *MARIA veri prævia luminis, in illâ inacceſſibilî luce perlucens, ſic utrorumque Spirituum hebetat dignitatem, ut in comparatione Virginis nec poſſint, nec debeant apparere.* Sicut Sol omnibus lucet, influxu ſuo omnia conſervat, illuſtrat radijs, calefacit ardore, nemo invenitur, Pſal. 18. v. 7. *qui ſe abſcondat à calore ejus*, ita MARIA in omnes maternæ ſuæ miſericordiæ radios diffundit, clientes ſuos in bono conſervat, intellectum illorum illuſtrando, Divinoque amore cor inflammando: ut benè de eâ Doctiſſimus Idiota dixerit: Prolog. de V. M. *Longè poſitos illuminat radijs miſericordiæ ſuæ: ſibi propinquos per ſpecialem devotionem, conſolationis ſuavitate, præſentes ſibi in patriâ excellentiâ gloriæ: & ſic non eſt, qui ſe abſcondat à calore ejus.* Sicut Sol eſt parens lucis, ſic MARIA parens illius, Jo. 8. v. 12. qui de ſeipſo fatetur: *Ego ſum lux mundi.* in quo Sole, tanquam in puriſſimo Tabernaculo, recondi Chriſtus ipſe voluit, ſplendor Patris, Pſalmiſtâ id affirmante, his verbis: *In Sole poſuit Tabernaculum ſuum.* verbo: MARIA *Sol eſt* (ut ſupra nominatus Idiota eam deſcribit) Part. 14. contemp. 13. de B. V. *clarus per ſapientiam, purus per continentiam, fulgidus per famam, calidus per charitatem, & exaltatus per CHRISTI Conceptionem.* En quomodò lucidiſſima etiam Eccleſiæ ſidera nil hoc Sole Mariano unquàm lucidius viderint! Sed nonnè Sol humanis quandoque oculis paſſus Ecclypſin, ſive maculis quibusdam caliginoſis obfuſcatus videtur? aſt fallimur omnes, ſplendidiſſimo hoc Cœli oculo, licèt per Lunæ, aut molîs terræ interpoſitionem, nobis quandoque abſcondito, plenâ interim luminis claritate indeſinenter gaudente. Sic fallitur etiam ille, qui in MARIA, Sole noſtro puriſſimo, vel minimam aliquando maculam reperire, aut in ejus Conceptione vel momentaneam deprehendere Ecclypſin conatur; Manſit enimverò Sol iſte ſolus gratiarum lumine pleniſſimus, medijs etiam formoſus in undis, ſub ipſo nimirùm univerſalî peccati originalîs diluvio, pulchritudinem ſuam ritè conſervans. Nec ſilentio hìc prætereundum, *Solem* quandoque etiam *Phæbum*, ac *Apollinem* nuncupari: nec ſine myſterio; cùm enim *Apollo*, teſte Plutarcho, latinè idem ſignificet, ac *Solus ſine multis*, *Phæbus* autem idem prorſus ſit, ac *Purus*: ſequitur, per prolationem unici illius verbi *Sol*, idem ſignificari, ac *Sol*, *ſolus ſine multis*, *purus eſt.* Quis autem hìc non videt, hoc idem prædicatum, hanc eandem prærogativam, Mariano noſtro Soli congruere? *Sol* ergo erat, ut vidimus, MARIA, verùm etiam omnes animæ juſtorum, in gratiâ Divinâ conſtitutæ *Soles* dicuntur. ubi tamen diſcrimen illud attendendum, quod hi omnes in conceptione ſuâ fuerint ſub Ecclypsi peccati originalis, econtrà Virgo Beatiſſima, utpote ex millibus electa, ac digniſſima Mater Numinis futura, ſicque *ſoli Divino condita Soli*, ſola illa hanc gratiam tam illuſtrem, tam eximiam, tam extraordinariam obtinuerit, ut *ſola ſine multis*, imò ſine ullo altero *pura*, absque peccato originalî fuerit concepta. Quisquis ergò ſpurciſſimam hanc originis maculam affingere MARIÆ vellet, aliud certè non efficeret, quàm, quòd ſagittas ſuas contra ſereniſſimum Solis conſpectum evibraret; cùm certum interim maneat illud Poëtæ:

*Solem nulla ſagitta ferit.*

vel illud Senecæ:

*Quæ infra Solem, non turbant Solem.* Epiſt. 92.

Hinc licèt Aſtrologi quidam, reperto Teleſcopij uſu, credant quandoque ſe videre in hoc lucidiſſimo Planetarum Principe nubeculas quasdam, aut maculas, nihilominùs quod iſti maculas cenſent, nil aliud eſt, quàm copia radiorum, ſeſe in arcto collidentium, ita ut non in Sole maculæ, ſed error in ſpectantibus ſit reprehendendus.

dus. Eundem in modum, pro Coronide, de Sole Mariano diſcurrendum: Copia radiorum eſt, quod maculam repræſentat: error certè in ſolis ſpectantium oculis conſiſtit, qui tantam puriſſimæ lucis copiam ferre non poſſunt. Ne ergò nos hujuscémodi erroris arguamur, lucem Marianæ Conceptionis puriſſimam admiremur potiùs, quàm, ut ſuperbè eam examinantes, in dubium vocemus. ſic ejus influxu hìc in terris mirificè vivificati, digni reddemur, ſtare aliquando ante conſpectum Divini Solis in Cœlis.

## §. 2. *Authoritas.*

380. S. IaCobVs MaIor, InsIgnIs ILLIbatæ Defenſor.

1. *Illa Virgo, illa MARIA, illa Sancta, præſervata fuit à peccato originalî, in primo inſtantî ſuæ Conceptionis, & libera ab omnî culpâ, & qui ita non ſenſerit, non conſequetur ſalutem æternam.* Apud Copecium diſcurs. 1. de Concept. & apud Velasquez de Concept. fol. 339.
2. *MARIAM non tetigit primum peccatum.* S. Theſiphon diſcipulus S. Jacob. ex ejus ore, ibid.
3. *Fecit celebrare devotiùs Feſtum immaculatæ Conceptionis, quod prædicavit in Hiſpaniâ S. Jacobus, & incepit ab Apoſtolis, hoc in Concilio decernentibus.* Julianus in Chronic. de Bern. Archiepiſc.
4. *Jacobi prædicatione celebratur in Hiſpaniâ Feſtum immaculatæ, & illibatæ Conceptionis.* Flavius Dexter in ſuâ perpetuâ Hiſtoriâ ad finem Sæc. 4.

## §. 3. *Ratio.*

381. FaMVLI aDſtantes LaterI PrInCIpIs InsIgnes.

IN L. 1. Cod. *de Præpoſitis laborum*, dicitur: *Quos lateris noſtri decor illuſtrat.* per quæ Imperator innuere vult, quòd adſtantes lateri Principis ab eo illuſtrentur. Ergo multò magìs illuſtrata fuit Beatiſſima Virgo à Filio ſuo Divino, cui non ſolùm à latere adſtitit, eumque in lateribus ſuis nutrivit, verùm etiam de ſuis caſtiſſimis viſceribus generavit. Atqui Beatiſſima Virgo nullo modo fuiſſet illuſtrata à Filio ſuo Divino, ſi in peccato originalî concepta fuiſſet. Ergo, &c. Aſſumpt. Prob. Ille dici non poteſt illuſtratus, in quo eſt privatio omnîs ſplendoris, & nitoris. Atqui peccatum originale eſt privatio omnis ſplendoris, & nitoris Divini. Ergo ſi Beatiſſima Virgo fuiſſet concepta in peccato originalî, illuſtris dici non poſſet, nec digna, quam lateris Chriſti decor, præ reliquis, tanquam Matrem illuſtraret.

## §. 4. *Hiſtoria.*

BIrgItta, à MARIA sIne Labe fIDeLIter InſtrVCta. 382.

SAnctam Birgittam, dulciſſimo DEI Genitricis alloquio frequenter dignatam, pluribusque ab illâ acceptis revelationibus inſignem, nemo eſt, qui neſciat. Hanc ergo devotiſſimam ſibi famulam ita, die quadam, Mater gratiæ eſt allocuta: *Veritas eſt, quòd egò concepta fui, ſine peccato originalî; quia ſicut Filius meus, & ego nunquam peccavimus, ita nullum conjugium fuit, quod honeſtius eſſet, quàm illud, de quo proceſſi.* Lib. 6. Revel. c. 49. Cùm prætereà vidua hæc Religioſiſſima à Viro quodam magnæ Authoritatis, ſuper hâc ſingularî Virginis Deiparæ Conceptione interrogaretur, in hæc verba illi reſpondit: *Si Matri placuerit miſericordiæ, interrogabo eam ſuper hac re, & quidquid mihi reſponderit, indicabo tibi:* Fecit, ut promiſerat, interrogansque ardentiſſimis precibus, MARIAM, in extasî (ut ſæpiùs aſſolebat) poſita, tale ab illâ reſponſum obtinuit: *Crede Filia, quoniam rectè ſentiunt omnes ij, qui me præſervatam ab originalî maculâ, & credunt, & confitentur: malè autem, qui contrarium ſentiunt, præſertim, ſi opinioni illi cum temeritate adhæreant.* Trithemius in Chronic. Hirſaug. Anno 1369.

§. 5.

## §. 5. *Symbolum.*

383. IMago SoLIs, De ſpeCV-
Lo pVro.




Quò purum magìs eſt Speculum, cui lumina Phœbus
Inijcit, hoc rutilat Solis imago magìs.
Quo magè pura fuit, *Speculum ſine labe*, MARIA
Hoc magè Sol genitus clarior inde fuit.

*Speculum ſine maculâ DEI Majeſtatis, & imagò bonitatis illius.* Sap. c. 7. v. 26.

## §. 6. *Antiquitas.*

384. EqVVs VIVVs, obſerVatâ EphesI Inter pICtVras effIgIe ALeXanDrI, eqVo InsIDentIs, aDhInnIens.

MAgnum profectò apud poſteros nomen ſibi promeruit celeberrima illa Apellis, artificioſiſſimi Pictoris officina, quam Epheſi conſtitutam ipſe etiam Macedonum Rex, Magnus Alexander, ſuâ ſæpiùs præſentiâ illuſtrare conſueverat. Divertebat fortè dictus Alexander in eâdem officinâ, ubi artificioſiſſima ſuiipſius equo inſidentis effigies, inter alia artis miracula, primo loco collocata propendebat; verùm longè alia animo volvens negotia, cùm nihil minùs, quàm de pictura Rex cogitaret, nec ad eam, pro Apellis voto attenderet, quidam tandem equus, Regium inter comitatum adſtans, tabulam hanc, & in eâ pictum equum, quem viventem putabat, conſpicatus, mirum in modum cœpit adhinnire, ſubſultare, alioſque applaudentis geſtus tam ſpecioſè edere, ut magna inde omnium creverit admiratio. Hinc occaſionem Apelles ſumpſit, pravum Regis judicium publicè ſugillandi, adeò, ut exclamare non ſit veritus: *Dij immortales! animalia hominibus longè præcellunt, ſinceriusq́; de rebus, quàm illi dijudicant!*

Liceat autem, hoc pictoris reſponſum aliò applicare, atque ad parùm religioſos Catholicos, & præſertim hæreticos, tam pravè de MARIÆ Conceptione ſentientes, cum ſummo eorum dedecore detorquere, dicendo: Beſtias, infideles ſcilicèt, ac Turcas hoc ijs nomine præſtare, quòd meliùs, majorique cum reverentiâ, ac ſanctiùs, quàm ipſi, de Matris CHRISTI honore loquantur, ac ſentiant, ut alibi demonſtravimus. O pudor! ô dedecus! ô animas Turcis deteriores, inque DEI Matrem puriſſimam Ethnicis ipſis injurioſiores.

## §. 7. *Anagramma.*

DeIpara sIne Labe, næVo, & MaCVLâ. 385.

*Naevum, et maculam ignorâſti Deipara!*

Verſio litteralis,

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrá Deiparâ.

## CONCEPTUS LVI.

### §. I. *Scriptura.*

386. ConCepta DeIpara, VerbVM orIs.

Pſal. 44. v. 1. *Eructavit Cor meum Verbum bonum.*

QUamvìs per hoc *Verbum*, è Corde Divino eructatum, ipſe communiter intelligatur coæternus æterno Patri Filius, juxta illud
c. 1. v. 1. Joannis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud DEUM, & DEUS erat Verbum*; attamen juxtà Theologorum doctrinam, non unum tantùm, ſed duplex dari Verbum, nemo ibit inficiàs, mentis ſcilicèt primum, & verbum oris alterum. Ex quo facilis fieri poteſt deductio, & pia quædam interpretatio: Unigenitum quidem DEI Filium fuiſſe *Verbum mentis*, MARIAM autem, digniſſimam ejus Genitricem, extitiſſe *Verbum oris*, illâ ipsâ de ſe teſtimonium perhibente, dum ait: *Ego*
Eccl. c. 24. v. 5. *ex ore Altiſſimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam.* Nec mea hæc tantùm, ſed doctiſſimorum quorundam Virorum devota eſt in Virginem cogitatio, quorum unum adduxiſſe ſufficiat Pereſium, *in Lapidicin: Sac.* ita ſermocinantem: *Verbum*, ait, *id eſt, Filius procedit ex corde Patris, ex ore ejus MARIA: illa fuit intranea productio, hæc externa.* Et ſanè de utroque hoc *Verbo*, verba illa intelligenda: *Eructavit Cor meum Verbum bonum*; quia Filij puriſſimi puriſſima quoque extitit Mater, eodem ipſo Pſalmo præclara utriusque encomia latè proſequen-
Pſal. 44. v. 3. te, e. g. de Filio: *Specioſus formâ præ filijs hominum, &c.* de MARIA: *Specie*
v. 5. 12. 14. *tuâ, & pulchritudine tuâ: & concupiſcet Rex decorem tuum: Omnis gloria ejus Filiæ Regis ab intùs, in fimbrijs aureis, circum-* v. 7.
*amicta varietatibus.* De Filio: *Sedes tua in ſæculum ſæculi.* de MARIA: *Aſtitit Re-* v. 10.
*gina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circumdata varietate, &c.* Quid autem hæc omnia, niſi perclariſſimas tam Filij Divini, quam Matris Divinæ laudes, decora, ac prærogativas, verbo, ſummam tam *Verbi mentis*, quàm *Verbi oris* bonitatem manifeſtant? ſi ergo MARIA *ex ore altiſſimi* prodivit, & quidem, ut ipſa teſtatur, *ante omnem creaturam*, aſſerendum utique indubitanter erit, eam jam bonam fuiſſe, ante omnem creaturam, nec ſuam aliquandò bonitatem, per peſſimam Mali guſtationem, vel ad momentum amiſiſſe, ac per conſequens, immaculatam prorsùs, ſummoque bono intimè ſemper unitam extitiſſe. Quòd ſi de Judithâ, formoſiſſimâ illâ viduâ, ac Heroinâ invictiſſimâ, Sacræ paginæ teſtantur: *Nec erat qui loqueretur de illâ* c. 8. v. 8.
*verbum malum*, quis de conceptâ Deiparâ, *Verbo oris* Divini, loqui audeat tam *malum verbum*, e. g. quòd concepta fuerit in peccato originali? *tam malum verbum*, quòd, vel momento, turpis extiterit, in conſpectu DEI? *tam malum verbum*, quòd fuerit quondam infelix Sathanæ captiva? *tam malum* denique *verbum*, quòd atrocis adeò maledictionis, ut illa protoparentum fuerat, participem ſe aliquandò reddiderit? ſequamur potiùs mitiorem graviſſimi authoris Tertulliani ſententiam, de hoc *Verbo* Virgineo, ſic diſcurrentis: *DEUS imaginem ſuam à dia-* de carne
*bolo captam, æmulâ operatione recuperavit:* Christi
*in Virginem adhuc Evam irrepſerat verbum* c. 17.
*ædificatorium mortis, in Virginem æque introducendum erat DEI Verbum extructorium vitæ, ut quod per hujusmodi ſexum abierat in perditionem, per eundem ſexum redi-*

redi-

*redigeretur in ſalutem.* Eructemus ergo corde, & ore *Verbum bonum*, credendo, & deprædicando MARIAM *Verbum bonum: Verbum* Verbo incarnato omni momento gratiſſimum, *Verbum*, cujus bonitatem explicare, pro dignitate, nec Angelica ſufficit lingua, nec humana: *Verbum* denique immaculatum, à ſolo æterni Patris *Verbo* immaculato, pro meritis deprædicandum.

## §. 2. *Authoritas.*

387. S. IaCobVs MInor, ab ADæ Labe abſoLVens.

1. *Commemorantes Sanctiſſimam, immaculatam, glorioſiſſimam Dominam noſtram, Matrem DEI, & ſemper Virginem MARIAM, omnem vitam noſtram Chriſto commendemus.* In Liturgiâ S. Jacob. Apoſt. in 6.a Synod. can. 32. memoratâ.
2. *Dignum eſt, ut Te verè beatam dicamus Deiparam, ſemper benedictam, & omnibus modis irreprehenſibilem, honorabiliorem, quàm Cherubim. Tibi, O plena gratiâ! univerſa creatura gratulatur, quæ es Templum ſanctificatum, &c.* Ibid, circa fin.
3. *Filia primorum Parentum, Sancta, immaculata, & perfecta, atque omnî bonitate, veritate, ſanctitate, & ſinceritate plena, in quâ ſunt omnes reconditi theſauri Sapientiæ, & ſcientiæ DEI.* Apoſt. Serm. in tranſitu B. V. apud Amadæum, raptu 8.

## §. 3. *Ratio.*

388. reDDenDa CæſarI, qVæ ſVnt CæſarIs.

PHariſæis Chriſtum tentantibus ſimulque interrogantibus: *Licetné cenſum dare Cæſari?* Matth. 22. v. 17. reſpondit ille: *oſtendite mihi Numiſma.* & oblato denario, *ait illis JESUS: Cujus eſt imago hæc, & ſuperſcriptio? dicunt ei: Cæſaris. Tunc ait illis: Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt DEI DEO.* Ex quâ reſponſione ita argumentari licet, pro immaculatâ Conceptione. Numisma, vel denarius, ejus eſt abinitio poteſtatis, & poſſeſſionis, cujus ille exhibet figuram, & imaginem: Sed Beatiſſima Virgo fuit ab æterno Numisma, referens ſimilitudinem, & figuram Verbi Divini, quia ab æterno erat deſignata, electa, & prælecta in Verbi Divini Matrem. Ergo Beatiſſima Virgo ab æterno jam erat ſub poteſtate, & poſſeſſione Verbi Divini. Atqui contrahens in ullo inſtanti peccatum aliquod, ſive originale, ſive actuale grave, eſt ſub poteſtate, & poſſeſſione diaboli, & non DEI. Ergo cùm Beatiſſima Virgo ab æterno fuerit ſub poteſtate, & poſſeſſione Verbi Divini, illi reddenda, & immaculata dicenda eſt, utpote quæ hoc ipſo nunquam potuit contrahere peccatum originale.

## §. 4. *Hiſtoria.*

SerMo De ConCeptIone InVersVs. 389.

DIes Conceptioni Sacra imminebat, cùm celebris quidam Theologiæ Magiſter, in univerſitate Pariſienſi, Sermonem Concionatorium ad populum habiturus, proponere conſtituerat, Virginem DEI Genitricem, non ſecùs, ac alios quoscunque, in peccato originalî conceptam fuiſſe. Hic, cùm noctem præcedentem, proferendæ dictioni ſui invigilando, tranſigeret, apparentem ſibi habuit clariſſimam, non Angelorum tantùm, ſed & Sanctorum Doctorum, multitudinem: plena præterea majeſtate ſedes parata videbatur, quam Regina, Sole ſplendidior occupabat, quæ ſic eum eſt allocuta: O Magiſter! quid ego unquam mali tibi feci, quòd contra meum hodie honorem tanto conamine, verba facere intendas? quibus dictis, pœnitentiam eidem impoſuit, ac flagellari quantocyùs ab Angelis præcepit. Dorſum flagellis præbuit tremebundus Orator, veniamque

cum lachrymis à Virgine genuflexus poſtulavit. Tandem puriſſima Cœlitum Regina, ad Archangelum Gabrielem converſa: *Vade*, inquit, & *inverte in ore ejus ſermonem*, *docens*, *quid mane hodierno Univerſitati Pariſienſi proponere oporteat?* Obſequentiſſimus ad imperium Reginæ ſuæ Gabriel, ad Concionatorem ait: *Aperi os tuum, & implebo illud!* Et ecce! mentem, ac memoriam viri confeſtim ſermo occupavit pulcherrimus, quo etiam clarè demonſtrabatur, Virginem Beatiſſimam ſine omnî prorsùs peccato concipi decuiſſe. Hunc proinde non tantùm cum ſummâ ampliſſimi Auditorij ſatisfactione, ac fructu haud exiguo, mane ſequentî, populo Pariſienſi propoſuit, verùm etiam inverſum ſibi ab ipsâmet puriſſimâ Cœli Regina ſermonem, ultrò confeſſus eſt. *Franciſcus de May: Serm. de Concept. Virg.*

## §. 5. *Symbolum.*

390. RegI sCrIptVro haVD offerenDa Charta fæData.




Scribere ſi quidquam cupiat Rex, pura Papyrus
Convenit: hoc folium nulla litura decet.
Dum cupit æternum Rex Regum in Virgine Verbum
Scribere, da Puram! Nulla litura decet.

*Ne dederis maculam, in gloriam tuam.* Eccli. c. 32. v. 24.

## §. 6. *Antiquitas.*

sCIpIo, genItorIs De ManV 391.
hoſtILI LIberator.

INter alia præclara Scipionis fortiſſimi geſta, ob quæ plerumque *Romani ſanguinis ultor* audijt, non exiguam certè promeretur laudem, factum illud generoſum, amorisque filialîs ſpecimen eximium, quo conſpiciens, proprium genitorem Annibalem, collatis ad Trebiam, Italiæ fluvium, cum Imperatore ſignis, ab hoſtium copijs infeliciter circumventum, ac jamjam in diram captivitatem abſtrahendum, mox, non obſtante præſentiſſimo propriæ vitæ diſcrimine (amore alas, ac animum addente) unico obarmatus ſcuto, ſolus in medium exercitum, generoſiſſimo involavit auſu, idque tam felicî ſucceſſu, ut Patrem ſolus ipſe, è manu hoſtilî, glorioſè liberârit, ac priſtinæ ſecuritati reddiderit.

Quòd ſi tanta fuit Scipionis hujus in proprium genitorem reverentia, ut pro eo, à quo vitam accepiſſe ſe noverat, liberando, propriam vitam periculo exponere non dubitârit; qualis, obſecro, fuerit Numinis in futuram Filij Genitricem reverentia? certè non dubitandum, in eo conflictu, in quo Adam, protoparens noſter, turpiter ab infernalî hoſte circumventus, in miſeram nos omnes, unà ſecùm, tradidit ſervitutem, non niſi in turpi impoſterùm maculâ concipiendos, Divinum mox Filium, *ſcuto bonæ voluntatis* ſuæ obarmatum, amore erga Matrem urgente, accurriſſe, in mediam infernalium armatorum aciem irruiſſe, & MARIAM, unà nobiſcum in ſervitutem originalem abducendam liberâſſe, ſicque felicî ſucceſſu, ab omnî eam maculâ præſervâſſe. Non dubitavit Scipio, ut vitam genitori conſervaret, propriam periculo vitam exponere; deprædicandus tamen longè magìs Numinis in MARIAM amor, qui, ut ori-

originalem Genitrici ſuæ innocentiam, omnî vitâ pretioſiorem, conſervaret, nullum timuit vitæ propriæ periculum, imò prævisâ Sacratiſſimæ ſuæ futuræ paſſionis, ac mortis, humanâ in carne ſubeundæ, merita jam tum Matri præſervandæ miſericorditer applicavit.

§. 7. *Anagramma.*

AVe anIMa DILeCta, pVra à Labe! 392.

*Virgo mea dilecta! Tu manes anima pura.*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LVII.

§. I. *Scriptura.*

393. InteMerata DILVCVLò.

Pſal. 45. v. 6. *Adjuvabit eam DEUS mane diluculò.*

PRæclarè Regius quondam Propheta de Chriſto, & MARIA, in ſpiritu eſt vaticinatus: *Non*
Pſal. 90. v. 10. *accedet ad Te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo*; hoc quippe in puriſſimâ Virginis Conceptione omnimodè novimus adimpletum; enimverò, ſi per *flagellum* ſæpiùs, Sacris in paginis, *peccatum*, peccatíve ſupplicium intelligitur, teſtante idipſum
Pſal. 31. v. 10. Pſalmiſtâ, his verbis: *Multa flagella peccatoris*, tale profectò flagellum, ſicut non acceſſit ad Chriſtum, ſic neq; appropinquare unquàm potuit Virgineo ejus *tabernaculo* (MARIÆ) à DEO
Pſal. 45. v. 5. ſpecialiſſimè Sanctificato: *Sanctificavit tabernaculum ſuum Altiſſimus.* in cujus medio, puriſſimo ſcilicet dilectiſſimæ Genitricis corde, Divina gratia omni tempore ſedem fixit, nec commoveri unquàm, vel ad momentum, in
Ibid. malum voluit: *DEUS in medio ejus, non commovebitur.* Ne autem crederemus, dicti *tabernaculi*, Virginis Deiparæ Sanctificationem, fuiſſe ſimilem aliorum, qui materno adhuc in utero, poſt contractam tamen communem peccati maculam, fuère ſanctificati, ſtudiosè apponitur: *Adjuvabit eam DEUS manè diluculò.* quid enim *diluculum* Virginis aliud dixeris, niſi beatiſſimum Conceptionis momentum? quid *Mane*, niſi lætiſſimam ejusdem Nativitatem? Quæ cùm ita ſint, juvet quantumvìs DEUS Sanctos aliquos, *ad Solis occubitum*, ut bonum juvare latronem voluit, cui ſalus in ipſis vitæ extremis obtigit: juvet aljos *ad veſperum*, ut juvare placuit Magdalenam, in peccatis inveteratam, lachrymis tamen peccata diluentem, juxta illud: *ad veſperum demorabitur fletus*: juvet *ad* Pſal. 29. v. 6.
*meridiem* alios, ut adjuvit Martyres, in ſupremo perſecutionis æſtu, & calore, pro fide conſtantiſſimos: juvet quosdam *ad tertiam diei horam*, velut Apoſtolos, ad primam Chriſti vocationem quantocyùs omnia relinquentes: juvet denique alios, eosque perpaucos *mane*, ut Hieremiam, & Joannem Baptiſtam, in utero ſanctificatos, ſtatim poſt Auroram, cæptâ jam naturalî vitâ; Attamen ad Beatiſſimam Virginem, *quasì diluculum præ-* Oſeæ. 6. v. 3.
*paratus eſt egreſſus ejus.* dicere poterat:
*Prævenerunt oculi mei ad te diluculò.* adjuvit Pſal. 118. v. 148.
namque DEUS MARIAM, favore penitùs extraordinario, atq; omnîs gratiæ præventione, non *mane* tantùm, ut illos paucos, verùm *mane diluculò*, bono manè, ſum̃o mane, in ipsâ ſcilicèt fœtûs animatione eam Sanctificando, jux-

juxtà illud Hieronymi, in hunc textum: *Auxiliabitur ipſi DEUS, in exordio matutino*, ita ut, quod in alijs fuit *ſanctificatio* per peccati jam contracti liberationem, in MARIA fuerit omnigena *præſervatio*, ne in peccatum incideret. O felix ergò *diluculum*, jam à primo creationis Deiparæ articulo eam Sanctificans, & tantâ informans gratiâ, ex quâ cadere non potuit! O felix *diluculum*: in quo verificabatur Prophe-
Eccli. 39. v. 6. tia illa: *Cor ſuum tradet, ad vigilandum diluculo, ad Dominum, qui fecit illum*, ſeu potiùs *illam*, nempe MARIAM! O felix *diluculum*, omnîs jam tum, in conceptione nempe, caliginis excluſivum! Optimè idcircò in hunc conceptum, locutus fuiſſe videtur patien-
c. 3. v. 9. tiſſimus Job, per illa verba: *Expectet lucem, & non videat, nec ortum ſurgentis Auroræ*, id eſt (ut Doctoris Angelici
3. p. q. 27. a. 2. ſonat expoſitio) *Beatiſſimæ Virginis, quæ in ſuo ortu, à peccato originâlî immunis fuit.* Hanc igitur Virginem, ideò *intemeratam diluculò*, quia à DEO *mane duluculò* adjutam, devotis proſequamur affectibus, ut qui *diluculò* in peccato concepti, *mane* per Baptiſmum reconciliati ſumus, poſtmodùm verò ad horam diei tertiam, in juventute nempe, ad vitia admodùm proclives, in adultiorî demum ætate, tanquàm in *meridie*, in peccatis, proh dolor! adolevimus, ſaltem *ad veſperum*, reliquo nempe vitæ noſtræ ſpatio, eâ adjuvante, pœnitentiam ſeriam agamus, *intemeratè* imposterùm vivamus, atque ad feliciſſimum Beatitatis *diluculum*, ac *mane* æternùm perennaturum, ejus precibus pervenire ſtudeamus.

## §. 2. *Authoritas.*

394. IaCobVs GenVensIs, LabeM DeLens.

1. *MARIA Lunam ſub pedibus habuit, quia nulla culpa unquam in eâ prævalere potuit.* Serm. 2. de Aſſumpt. MARIÆ.

2. *MARIA fuit ſine maculâ, per omnîs peccati immunitatem. ipſa quidem liberum arbitrium in bono confirmatum habuit, & ideò nulli peccato conſcientia patuit. Non habuit admixtionem originalîs, quia fuit in utero à Spiritu Sancto ſanctificata: nec etiam habuit admixtionem mortalîs, quia fuit à Patris potentiâ confirmata, nec etiam habuit admixtionem venialîs, quia fuit à puritate Filij impregnata.* Serm. 3. de Aſſumpt.

## §. 3. *Ratio.*

HaVD ConVenIt, ſponſaM gratIâ Carere. 395.

Juxta univerſalem mentem, & ſenſum totius Eccleſiæ, Beatiſſima Virgo fuit vera ſponſa Spiritûs Sancti. Ergo conveniens eſt, ut ſit immaculatè concepta. Prob. Conſ. Maximè conveniens eſt, ut ſponſa ſit ſemper amica, & conjuncta ſponſo, & nunquàm ejus gratiâ careat, vel ab eo ſeparata ſit: Sed ſi Beatiſſima Virgo contraxiſſet peccatum originale, non ampliùs fuiſſet amica Spiritûs Sancti, ſed ejus inimica, & ab eo ſeparata: Ergo per hoc, quòd Beatiſſima Virgo ſit ſponſa Spiritus Sancti, conveniens eſt, ut ſit immaculatè concepta. Min. conſtat, quia homo per peccatum grave ſeparatur à DEO, ejusque inimicus efficitur, ſimulque gratiâ privatur: Sed peccatum originale, juxta Fidem, eſt verum aliquod grave peccatum. Ergo vel dicis Beatiſſimam Virginem eſſe ſponſam Spiritûs Sancti. vel non? ſi ſecundum: contradicis toti Eccleſiæ; ſi primum: eoipſo implicitè tenes, eam fuiſſe immaculatè conceptam, conjunctiſſimam Spiritui Sancto, & nunquam ejus gratiâ caruiſſe, juxta illud Cant. c. 6. *Dilectus meus mihi, & ego illi, &c.*

§. 4.

## §. 4. *Hiſtoria.*

396. ILLIbatæ DEI MatrIs præſer-VatIo ab AngeLIs ſoLennIzata.

SAnctimonialis, admodùm DEO, ac Virgini ejus Genitrici devota, dum nocte quadam admirabunda perſiſteret, eò, quòd Sancta Mater Eccleſia tunc nondum celebraret Feſtum Conceptionis Virginis Deiparæ, mirabilis ei, & peramæna viſio deſuper eſt oſtenſa. Enimverò, cùm tenui ſomno paulisper indulgeret, vox ad eam Divina dirigitur, hujus tenoris: Quare turbata miraris, quòd Eccleſia DEI non celebrat Feſtum Conceptionis Matris meæ? veni ergo mecum! & oſtendam tibi hac de re omnem veritatem. Perterrita primùm inſolitâ locutione Religioſa Virgo, quis es tu, inquit, qui loqui dignaris mihi? cui vox confeſtim reſpondit: Ne dubites, Filia! quia ego ſum via, veritas, & vita. Tunc enimverò, mirum in modum, confortata, vocemque audacter ſubſecuta, ad locum tandem pervenit pulcherrimum, & valde delectabilem. Hìc vocem iterum audijt, dicentem ſibi: Ne dubites, amica mea! ſed pro certo habeas, quòd poſtquàm rebelles Angeli de Cœlo ad tartara ſunt detruſi, boni Angeli, in gratiâ DEI æternùm confirmati, omnî anno, Feſtum Conceptionis dilectiſſimæ meæ Genitricis, in Cœleſtî curiâ ſolenniter celebrârunt; cùm enim in mente Divinâ illam noverint, ex ſingulari privilegio, ab æterno præſervatam, ideò ab Angelis talis MARIÆ præſervatio feſtiviſſimè ſolennizata eſt. Scias prætereà, eum, qui devotè in terris hanc ipſam Feſtivitatem celebrabit, veniam omnium peccatorum conſecuturum, & poſt temporalem hanc vitam, æternâ tandem in Cœlis perfruiturum. *Bernardin. de Buſti Serm. 8. de Concept.*

## §. 5. *Symbolum.*

MIra CreatorIs LaVs, ab ALaVDâ. 397




Aurorâ rutilante, ſuum mox laudat Alauda
Factorem, dulci ſidera voce ſequens.
Concelebrat concepta ſuum, ſine labe MARIA,
Inſtanti primo (Dulcis Alauda) DEUM.

*Habebis laudem ex illâ.* Rom. v. 13. c. 3.

## §. 6. *Antiquitas.*

SIgrIDIs, BIrgIttæ Mater, à perICVLo LIberata. 398.

SIgridis, Birgeri, Viri illuſtriſſimi, ex Regio Suecorum ſanguine oriundi uxor, tam virtute, quàm nobilitate conſpicua, cùm gravidam ſe perſentiſcens, nihilominùs piæ peregrinationis causâ, Mare traijcere conſtituiſſet, jamque navim, ut putabatur, ad omnem firmitatem inſtructam, cum pluribus alijs, tam de familiâ, quàm exteris conſcendiſſet, exortâ repentè tempeſtate, fractis armamentis, ruptis funibus, dilaceratâ denique navî, in extremum devenit, tam propriæ, quàm prolis, vitæ periculum. Periêre jam ſubmerſi, & undis ſpumantibus ſuffocati complures, reliqui haud ſemel operti fluctibus, turgido æſtu in diverſa raptabantur: cùm

 ecce!

ecce! extremùm periclitanti Sigridi auxilium tandem tulit, juvenis quidam Princeps, Henricus nomine, ipſius Suecorum Regis filius, eamque, non ſine miraculo, in vitâ diſponente Numine conſervavit. Periculo erepta, ac ob gravem cum morte luctam, plus ſolito, ad capiendam nocte quietem diſpoſita, incognitam quandam perſonam ſibi apparentem habuit, hiſcé eam verbis alloquentem: *Salva evaſiſti Sigridis: veruntamen non aliam ob cauſam, quàm propter bonum illud, quod geris in utero.* Porrò hæc proles alia non erat, quàm dilecta DEI ſamula, S. Birgitta, quàm cùm paullo poſt feliciter enixa fuiſſet, Sacerdos quidam ſingularî Sanctitate celebris, ſedentem in clarâ nube Virginem conſpexit, librum manibus tenentem, vocemque audijt, hæc nuntiantem: *Nata eſt Birgero filia, cujus vox mirabilis, per univerſum audietur orbem*, quod quàm in Birgittâ jugiter fuerit adimpletum, pauci ignorant.

Quòd ſi miſericordiſſima DEI manus, adeò Sigridem protegere, ac in vitâ ſervare voluit, præcisè propter filiam, quam materno ſub corde gerebat, & quæ Sancta aliquando mulier, ac perfectum virtutis exemplar alijs futura erat, quantò magìs credere oportet, Altiſſimum, potentî ſuo brachio, MARIAM à diro culpæ originalîs naufragio conſervâſſe, quæ non tantùm virtutum omniū perfectiſſima magiſtra, ſed & Mater olim Filij ſui Divini futura, mundo exoptatiſſimam hanc Prolem, noſtræ ſalutis pretium, progignere debebat? *Scripſit de Sigride Surius, Ribadeneira, & alij, in vitâ S. Birgittæ, ad diem 8. Octobris.*

### §. 7. *Anagramma.*

Vna nItIDa, pVrè ConCepta Mater. 399.

*Salve, ô unica nitida gemma, pura Mater!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS LVIII.

### §. I. *Scriptura.*

400. InIMICVs In DeIparâ non profICIens.

Pſal. 88. v. 23. *Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.*

Quod in ſervi quondam ſui, Davidis Regis, favorem Dominus pronuntiavit, dicens: *Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei*, hoc idem in *Ancillæ* ſuæ, MARIÆ, ſingulare privilegium Sanctiſſima Trinitas jam ab æterno pronuntiâſſe videtur: *Nihil proficiet inimicus in eâ*, id eſt, quamvìs omnem ſit moturus lapidem tartareus inimicus, ut hanc in ſuam aliquando poteſtatem redigere queat, per peccatum aliquod, ſaltem originale, vel ad inſtans, *nihil* tamen *proficiet* in eâ, imò ſupernâ quâdam virtute perterritus, maledictus hic iniquitatis filius, *non apponet nocere ei*, quæ innocentiſſimo Numinis Filio in Matrem præparata, hoc ipſo, ab omni omninò peccato Divinitùs eſt præſervata. Hoc jugiter præſenſiſſe videtur Purpuratus Vates illis verbis: *Super Aſpidem, & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem.* Pſal. 90. v. 13. in Beatiſſimâ enim Virgine non ſolùm nihil profecit *Leo*, & *Draco* actualium peccatorum, ſed nec

*Aſpis*

*Aſpis*, & *Baſiliſcus*, quibus originale peccatum adumbratur; quia ſicut *Baſiliſcus* ſerpentum Rex, & caput eſt (ut indicat ipſum Nomen græcum, ex quo latinum deductum eſt) qui ſolo oculorum aſpectu etiam ex diſtanti loco homines occidit, ita peccati originalîs teterrimus Baſiliſcus, ex diſtanti illo Paradiſi loco, per Adami oculos, velut per cancellos, in nos proſpiciens, peſtiferâ faſcinatione lethaliter nos omnes infecit! ſolâ tamen Maria exceptâ, in quâ *nihil profecit inimicus.* Nec adeò mirum, tantum fuiſſe Virgini robur, ad reſiſtendum illi, cui totus reſiſtere orbis non valebat; ſciendum enim, ab eodem ſpecialiſſimè fuiſſe adjutam, qui Davidi, ne *proficeret in eo inimicus*, adjutorium præſtitit, quandò nimirùm in eodem
v. 22. Pſalmo ait: *Manus enim mea auxiliabitur ei, & brachium meum confortabit eum.* ubi potentiſſimi hujus adjutorij effectum è veſtigio ſubjungens, ait: *Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non apponet nocere ei.* ſic enimverò eadem quoque manus auxiliabatur Mariæ, Divinâ bonitate ejusdem Conceptioni auſpicatiſſimæ manum miſericorditer ſupponente, ut verificatum fuerit illud, quod idem Propheta Regius alibi prædixit: *cùm ceciderit, non collidetur, quia Dominus ſupponit manum ſuam.* ſic, inquam, brachium quoq; Divinum confortabat eam: *Fecit* enim *potentiam in brachio ſuo* Altiſſimus, Matrem à dirâ infernalîs inimici potentiâ penitùs eximendo: ut jure meritò S. Germanus ſcriptum reliquerit: *Omnia in Virgine ſunt admirabilia, & vires naturæ excedentia, in quâ DEUS ſuam exercuit potentiam.* Hinc non immeritò Cupreſſo aſſimilari poterit Virgo Beatiſſima; quemadmodùm enim arbor iſta ridet ventos, nullusque ei Aquilo nocere poteſt, ſic licèt primo illo Conceptionis momento, in Mariæ exitium Eurus, Notusque ruerint, & conſpirârint (diabolum intelligo, & peccatum Originale) nihil tamen proficiebant, nec ullâ ei ratione nocumentum inferre poterant. Verbo: Cupreſſus Maria fuit; ſicut enim, teſte S. Ambroſio, *ſolam hanc Arborem ventus nunquam deſpoliat, ſola nunquam veteri exuitur amictu*; ſic Virgo Beatiſſima nunquam gratiæ honore deſpoliata, vel primo charitatis amictu exuta fuit. Sic nimirùm omnis infernalîs inimici conatus in Maria erat irritus, nec proficere in hac ſolâ quidquam poterat ille, qui tantam aliquandò ſtragem toti reliquo humano generi intulit: *Congruebat* nimirùm (ut Seraphicus ait Bonaventura) *ut Virgo ita vinceret diabolum, ut neque ei ſuccumberet ad modicum. Nec ſuſtinebat juſtitia*, juxta S. Cyprianum, *ut vas illud electionis communibus laceſſeretur injurijs, quoniam plurimùm à cæteris differens, naturâ communicabat, non culpâ.* Ceſſate ergo, Marianæ innocentiæ, ſi qui ſupereſtis, inimici! ceſſate, & erubeſcite, quotquot MARIAM peccatricem ſtatuitis, qui tam ſiniſtrè de ejus meritis loquimini, honorem ejus adeò turpiter denigratis, de privilegijs illius controverſiam prorsùs inutilem movetis, qui Conceptionem ejus Sanctiſſimam tam fœdis originariæ labis maculis conſpurcare intenditis, denique innocentiæ ejus jura tam indignè, blasphemeque calumniamini, iterum dico, ceſſate! *nihil* enim *proficietis in eâ*, cùm & ipſe tartareus iniquitatis filius, *nil in illâ proficiens*, non *appoſuerit nocere ei.* Tu verò mulierum validiſſima, orci terror! nos, tuæ Sanctiſſimæ, ac ab omnî labe alieniſſimæ Conceptionis juratos propugnatores, viciſſim fortiter defende! effice, ut nullo momento proficiat impoſterùm inimicus in nobis, aut Filius iniquitatis apponat nocere nobis! verbo: fideles tuos, tuæque præ omnibus reliquis, innocentiæ devotos, maternâ pietate, *ab hoſte protege, & horâ mortis ſuſcipe.*

[Marginal notes: Pſal. 36. v. 24. — Orat. de Zona Virg — Serm. 4. in Pſ. 118. — In 3. Sent diſt 3. p 1. a. 1. q. 1. — L. de card. Chriſti oper. c. de Nat. — Eccleſia.]

* * *

## §. 2. *Authoritas.*

401. IDIota, VoLens ab orIgInaLI ILLIbataM.

1. *Tota pulchra es MARIA, tota pulchra es in tuâ Conceptione, quia ad hoc ſolùm effecta, ut eſſes Templum DEI altiſſimi.* De contempl. B. V. c. 2.

2. *Nullo genere vacâſti virtutum, O Virgo glorioſiſſima! non in parte, ſed in toto, & macula peccati, ſive originalîs, ſive actualîs, ſive mortalîs, ſive venialîs non eſt in Te, nec unquàm fuit, nec erit, ſed adeſt omnis gratia naturalium bonorum, ſpiritualium chariſmatum, & cœleſtium donorum.* Ibid.

3. *Tuæ glorioſæ animæ nihil unquam affuit turpitudinis, vitij, aut peccati, & nihil defuit ſpiritualîs pulchritudinis, gratiæ, & virtutis.* Ibid.

4. *Angelicæ naturæ peccato vacillaverant, ideò Te glorioſam Virginem MARIAM ædificavit, in domum ſolidam, & fortem, quæ nullo modo vacillare poſſet.* Ibid.

5. *Excidit columnas ſeptem, ad te fortiter, & ſublimiter ſuſtentandam. ſeptem columnæ, quibus firma ſemper ſtetiſti, ſunt ſeptem dona Spiritûs Sancti, quæ requieverunt in te, & nunquam te deſeruerunt, per quæ ſtetiſti firmiter, & perſeveranter in omnî gratiâ.* Ibid.

6. *Inveniſti gratiam Cœleſtem, quia fuerunt in Te ab originalî labe præſervatio, Angelica ſalutatio, Spiritûs Sancti ſupervenientis obumbratio & Filij conceptio.* De eâdem contempl. c. 6.

## §. 3. *Ratio.*

402. MaLæ fIDeI, InVtILIs præsCrIptIo.

SI Beata Virgo in aliquo inſtantî contraxiſſet peccatum originale, diabolus eam verè poſſediſſet, & contra eam præſcripſiſſet, quia homo per peccatum grave poſſidetur à diabolo. Sed Beata Virgo nunquam potuit poſſideri à diabolo. Ergo etiam nunquam potuit contrahere peccatum originale. Min. Prob. juxtà Regulam illam Juris in Sexto. *Poſſeſſor malæ fidei ullo tempore non præſcribit*, adeoque nec verè poſſidet. Atqui dæmon ſemper fuiſſet malæ fidei poſſeſſor. Ergo MARIA nunquam potuit ab illo poſſideri. Min. Prob. Ille eſt malæ fidei poſſeſſor, & conſequenter nec præſcribere poteſt, contra quem ſemper poſſum afferre juſtam & legitimam exceptionem, de tradendâ mihi re, cujus poſſeſſio ad me ſpectat: Sed DEUS potuiſſet ſemper excipere contra diabolum, de tradendâ ſibi Beatiſſimâ Virgine, cujus dominium ſemper ad eum pertinuit, juxta illud Scripturæ: *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum.* Ergo dæmon ſemper fuiſſet *malæ fidei poſſeſſor*, reſpectu Beatæ Virginis, & inutiliter præſcripſiſſet.

## §. 4. *Hiſtoria.*

ArgVMenta sIne peCCato ConCeptæ ContrarIa, à SCoto soLo resoLVta. 403.

INſtituenda erat, Anno Milleſimo Trecenteſimo, Pariſijs in Galliâ, ſolennis Diſputatio, ad inveſtigandam veritatem, ac fundamentum immaculatæ Conceptionis, idque negotium imponebatur Viro Clariſſimo, Joanni Duns, Franciſcano, juſſu Sedis Pontificiæ, cujus Legati, præter magnam Doctiſſimorum Virorum multitudinem, & ipſi pariter, ſuâ præſentiâ, Actum condecorabant. Approperans ergo jamjam decertatoriæ arenæ Scotus, cùm fortè oculos in altum elevâſſet, vidit, ſupra portam Aulæ Accademicæ, marmoream Virginis Deiparentis imaginem, coram quâ flexis mox genibus, auxilium humiliter poſtulavit, feliciterque obtinuit; Vix enim ſuccinctam illam, ſed maximæ virtutis Oratiunculam: *Dignare, me laudare te, Virgo ſacrata! da mihi virtutem contra hoſtes tuos!* finierat: cùm ecce! immobilis

aliàs

aliàs, ex duro lapide, ſtatua caput inclinare, exauditamque orationem, ac Victoriam mox ſubſecuturam, ſpectantibus pluribus, præſignificare. Et ſanè, tam ardenter Diſputationem ſibi impoſitam Scotus & cæpit, & proſecutus eſt, ut ducenta Adverſariorum argumenta, in contrarium objecta, ſatìs gravia licèt (velut alter Samſon, funes à Dalilâ applicatos) dexterrimè reſolverit, cunctis, in hoc negotio, illud clarè obſervantibus, quod Matth. 10. v. 20. ſcriptum: *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Sanctus, qui loquitur in vobis.* Hinc mitum videri minimè debet, quòd unus ex adſtantibus, qui in maculam hactenùs conſtanter inclinaverat, totaliter convictus, altùm præ admiratione exclamârit: *Tu es ex tribus unus, aut Angelus de Cœlo, aut Diabolus ex inferno, aut certè Scotus de Duno.* Cæterùm vix finis Diſputationi huic glorioſæ erat impoſitus, cùm integra paullò poſt Sorbona, præcipua illa Pariſiorum Univerſitas, ſolennî ſeſe juramento obſtrinxit, omnibus impoſterùm viribus, immaculatam MARIAM defendere, quam aliæ poſtmodùm Univerſitates complures (quas inter non ultimum certè locum obtinet Alma, & Archi-Epiſcopalis Univerſitas noſtra Salisburgenſis) laudabiliſſimè ſunt ſecutæ. Imago autem ſupradicta, in hodiernum adhuc diem, inclinato capite conſpicua, in memoriam inſignîs miraculi, aſſervatur, Scotus verò, haud immeritò, ſubtilîs exinde Doctoris ſibi Nomen promeruit. *Poierus Soc. J. in tripl. Coron: Virg. tract. 1. c. 3. ſtellâ 7. Barry 8.và Novemb. fol. 570. & alij.*

## §. 5. *Symbolum.*

FrVſtra Laborat affIngens CVLpaM DeIparæ. 404.




Siſyphe, quid tantam fruſtrà ſuper ardua molem
Volvere prætendis? quò magìs alta, ruet.
Deſine ſic lapſam nævo maculante MARIAM
Dicere: nî ceſſes, fractior inde cades.

*Qui voluit lapidem, revertetur ad eum,* Prov. c. 26. v. 27.

## §. 6. *Antiquitas.*

DraCo, ab AtILIo RegVLo pereMptVs. 405.

RElatum à Scriptoribus habetur, in Africâ, apud Bagradam Flumen, tantæ magnitudinis anguem, ſeu potiùs Draconem delituiſſe, ut Atilij Reguli, inſignîs Romanorum Belli-Ducis exercitum, non tantùm uſu Amnîs, ad extinguendam frigidâ ſitim, longo tempore prohibuerit, verùm etiam plurimos jam bellatores, aquam hauſturos, partim hiantî rictu devorârit, partim diris caudæ voluminibus implicatos, morti tradiderit. Non poterat tanta Belluæ immanîs atrocitas diu Regulum latere; hinc quamprimùm id cognovit, generoſo prorsùs auſu, validam militum manum in beſtiæ conſpectum addu-

 cens,

cens facilè eam telorum impetu proſternendam cogitabat; verùm ſpe fruſtratus, cùm taliter eam nullâ ratione perforandam cognoſceret, plurimos præterea, ſuis è militibus, veneno ſæ beſtiæ halitu, identidem inſici experiretur, Baliſtarum etiam tormenta adhibuit, quibus æquè non niſi aerem verberando, incaſsùm laboravit: donec tandem crebris, ac ponderoſis ſilicum verberibus, indefeſſo labore, debilitatam peremit, belluam, omnibus certè cohortibus, & Legionibus, ipsâ Carthagine viſam terribiliorem. Dicunt, occiſæ à Regulo immanîs belluæ corium, centum vigenti pedes longitudine excedens, Romam tandem delatum, ibidem, ad æternam glorioſi triumphi memoriam, publicè expoſitum fuiſſe. *Valer: Max. l. 1. c. 8. Aul. Gell. l. 6. c. 3. T. Livius, &c.*

Verùm quid bellua hæc, utcunque formidabilis, reſpectivè ad infernalem illum Draconem, venenoſiſſimo halitu, non aliquot tantùm milites, ſed totum humanum genus, per originalîs peccati virus inficientem? Hic Draco non tantùm impedit uſum aquæ Divinæ, ſcilicèt gratiæ, è fontibus Salvatoris hauriendæ, verùm etiam plurima alia animæ nocumenta infert, niſi vulnus, per voluntaria Sacri Baptismatis remedia, denuò curetur. Verùm Maria, ſola generoſiſſima Heroina, in ſuâ Conceptione, monſtro huic immani obviam proceſſit, nullîsque alijs armis, quàm ſilice uſa (*Petra autem erat Chriſtus*) objecto nimirùm Chriſto Salvatore, ex ipsâ in Matrem electâ carnem aſſumpturo, debilitavit, contrivit, proſtravit, atque antequàm in ipſam fatale virus originalîs noxæ rransfundere poſſet, glorioſiſſimè detriumphavit.

### §. 7. *Anagramma.*

tV, ConCepta regIna! pVra DeI Menſa. 406.

*Tu, O Regina immaculata! pura Dei menſa.*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparæ.

# CONCEPTUS LIX.

### §. I. *Scriptura.*

407. AngeLorVM regInæ CVſtoDes AngeLI.

Pſal. 90. v. 11. & ſeq. *Angelis ſuis mandavit de Te, ut cuſtodiant Te in omnibus vijs tuis: In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum: ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.*

Comentar in Matth. Magna dignitas animarum! admirabundus olim exclamavit Divus Hieronymus, *ut unaquæque habeat ab ortu Nativitatis in cuſtodiam Angelum delegatum.* ut enim Paulus ait: *Omnes ſunt adminiſtratorij Spiritus, miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis.* Hæbr. 1. v. 14. O! qualis igitur, & quanta dignitas Virginis Deiparæ? quæ non tantùm ab ortu Sanctiſſimæ ſuæ Nativitatis, ſed ab ipſo etiam Conceptionis puriſſimæ exordio, aſſiſtentem habuit Angelorum innumerabilẽ multitudinẽ, qui omnes, ut adminiſtratorij ſpiritus, miſſi ſunt à Cœleſti Rege propter eam, quæ concipienda erat, ut mundo daret Authorem ſalutis.

id

Id enimverò affirmare non dubitat Doctor mellifluus, per hæc verba: *InnumerabilemBeatorumSpirituum militiam, ad miniſterium tantæ Principis delegatam, nullatenùs ambigimus, utpotè, qui cuſtodirent lectum Salomonis gratiſſimum, ac providerent, ne præparatum æterno Regi cubiculum aliquis hoſtis invaderet.* & ſanè, quid magìs conveniens, quàm ut MARIA, conſtituta jam Angelorum Regina, frequentî mox Spirituum Angelicorum cuſtodiâ muniretur? idipſum clarè ſentiente S. Fulberto Carnotensî, ac ſic diſcurrente: *Quanta putamus proviſio Angelorum circa tam DEO gratiſſimos Parentes, ab initio ſuæ procreationis (id eſt MARIÆ) & excubatio ſuper tam ingentem Sobolem? nulli profectò dubium eſt, quòd circà eam jam tunc omnis frequentia Cœleſtium agminum invigilabat, utpote, quam ſupra ſe exaltandam minimè ambigebant.* & nonnè hoc merebatur Virgo, Angelis omnibus longè præſtantior? Fortes ſunt Angeli: Fortiſſima ac invictiſſima, totâ vitæ ſuæ periodo, MARIA. Ardent in DEUM amore Angeli: ignea erat ad DEUM, & homines MARIA. Intelligentiæ ſunt Angeli: Sapientiſſima Virgo. Ad diverſa DEUS munia Angelis utitur, utpote in miniſterium hominum miſſis: ad præcipuum omnium, quod operatus eſt unquàm, aut operaturus eſt officium DEUS, aſſumpta eſt Virgo, ut nimirùm DEUM pareret. Hinc credibile admodùm eſt, quod Divus Vincentius refert: *In feliciſſimâ illâ MARIÆ Conceptione, mandante mox Numine præſentia adfuiſſe tria Cherubinorum millia,* non alium certè ob finem, quàm quia *mandatum* ipſis de MARIA fuerat, ut *cuſtodirent eam in omnibus vijs ſuis, inq; manibus illam portarent, ne fortè offenderet,* in aliquo inſtanti, *ad lapidem* culpæ originalîs, *pedem ſuum.* Quid ergo mirum, ſi tot, ac tantis, tamque validis protecta cuſtodibus, non ſolùm non offendit unquàm ad lapidem offenſionis, verùm etiam glorioſo pede *ſuper aſpidem, & baſiliſcum* infernalem inambulans, *nihil proficiente in eâ* (ut nuper diximus) *inimico, conculcavit Leonem & Draconem?* Certè (ut idem Vincentius ſuprà adductus refert) Angelici hi ſpiritus ſolennem jam tum Feſtivitatem, in Reginæ ſuæ puriſſimæ, ac immaculatè conceptæ honorem, ſummâ lætitiâ, ac gratulatione in Cœlis celebrârunt. Nec reticenda hìc Divi noſtri Anſelmi devota pro puriſſimâ hac Angelorum Reginâ ſententia: *Angelos, ait ille, alijs peccantibus à peccato ſervavit, & fœminam Matrem ſuam futuram, ab aliorum peccatis exortem ſervare non potuit? in æternitate conſilij ſui ſtatuit, eam Reginam fore Angelorum, & in conſortium conceptam eſſe crederemus peccatorum?* Abſit. Dicendum potiùs, MARIAM in inſtantî illo feliciſſimæ ſuæ Conceptionis, longè excellentiorî, quàm Angelos, fuiſſe gratiâ præditam? nam, ſi hi in gratiâ conditi eam conſtitutam Reginam ſuam in exordio maculatam conſpexiſſent, gloriari certè etiamnùm poſſent, puriorem ſibi fuiſſe originem, quàm illi, ſicque ei inſultare, velut turpî aliquandò peccati maculâ conſpurcatæ Reginæ. Ne ergò ſervi Reginam tantam deſpiciant, omninò dicendum eſt, ex imperio, quod MARIA habet ſuper Angelos, inferri, non ſolùm à peccato eam originalî fuiſſe immunem, verùm etiam in ſuâ Conceptione multò excellentiorî gratiâ donatam fuiſſe; cùm Regina utique (ut alibi probavimus) in excellentijs nobilitate, & gratijs ſervo excellere debeat. Imò aſſerere non vereor, MARIÆ à communî lapſu exemptionem in magnam ceſſiſſe gloriam non tantùm Chriſti ejus Filij, ſed etiam Angelorum omnium, quorum ruinæ per Virginem reparantur, quique tali Reginâ in omnem æternitatem gloriabuntur. Cæterùm, ut & nos, una cum Angelis, talî Reginâ, ab omnî labe puriſſimâ, æternùm in Cœlis gloriari poſſimus, MARIAM ab adminiſtratorijs hiſcé ſpiritibus in Conceptione jugiter cuſtoditam, ſicq; per Divinam providentiam, ſollicitè ab omnî labe præſervatam, corde, ore, ac calamo fateamur.

Serm. Laus MARIÆ.

Serm. de Nativ. Virg.

Serm. 2. de Nativ. Virg.

Ibid.

Serm. de Concept.

§. 2.

## §. 2. *Authoritas.*

408. S. IgnatIVs MartLJr, pIè De ConCeptIone ſentIens.

*Et quidam notificavêre, eandem Matrem DEI, omnium gratiarum eſſe abundantem, & omnium virtutum, ac gratiæ fœcundam.* Epiſt. in Jo.^em

## §. 3. *Ratio.*

409. ILLIbata, IpsIs AngeLIs aLtIVs noMen hæreDItans.

PAulus Apoſtolus, ad Hebræos ſcribens, c. 1. v. 4. hæc de Chriſto habet: *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius, præ illis, nomen hæreditavit; cui enim dixit aliquando Angelorum: Filius meus es tu?* &c. ex quo inferre videtur Doctor gentium, per hoc, quòd Chriſtus Dominus præcellentius nomen cæteris omnibus, etiam ipſis Angelis hæreditaverit, bene concludi, eum omnibus, etiam ipſis Angelis, excellentiâ, dignitate, & gratiâ longè anteire. Atqui pariformiter de Reginâ Angelorum, nempe MARIA, dicere poſſumus: *Tanto melior Angelis effecta, quantò differentius, præ illis, nomen hæreditavit*; cui enim dixit aliquando fœminarum: *Mater mea es tu? &c.* quod tamen in MARIA verificatum, de quâ Præſulum gemma Auguſtinus, Serm. 43. exrpreſsè hæc habet: *ſicut in Cœlo habuit Patrem immortalem & æternum, ſic & in terrâ habuit Matrem, omnî corruptione carentem.* Ergo, quia omnibus Angelis, & hominibus MARIA excellentius *Nomen* hæreditavit, nempe vocari, & eſſe *Matrem DEI*, hoc ipſo, juxta doctrinam S. Pauli, omnibus Angelis dignitate, & gratiâ præivit. Subſumo. Sed Angeli fuerunt creati in gratiâ, & conditi absque omnî peccato, ſicut & Adam, quod erat magna excellentia, & gratia, Ergo multò magìs Beatiſſima Virgo debuit gaudere hac excellentiâ, & præſervari à peccato originalî; aliter enim, ſi fuiſſet condita in peccato, non ſolùm non præcelleret, ſed deterior illis eſſet, in nullo, niſi in ſolo *Nomine* Maternitatis Chriſti, ſuperior.

## §. 4. *Hiſtoria.*

PVero CaDente; MARIA InVoCata. 410.

IN Civitate quâdam Italiæ, cui Bergomo nomen, quædam habitabat mulier, laudabilîs vitæ, ac ſingularîs præſertim in Deiparam, ejusdémque immaculatam Conceptionem devotionis. Huic filiolus erat, quatuor annorum, ut amæna ætatulæ illius innocentiâ præditus, ita unicum Parentum delicium, domeſticorum, ac familiæ univerſæ oblectamentum. contigit, Matrem, puerulo ſecum delato, ſolarium ſuum conſcendere, ac Sole jam ad occaſum vergente, pro aurâ amænīorî captandâ liberiùs ibidem deambulare. Sed ecce! dum infans quoque, à Matre ſibiipſi dimiſſus, circumcurſitat, inexpectato infortunio, antequam retineri ab illâ poſſet, è ſolario præceps delabitur. Quid hic ageret afflictiſſima mater, quæ propriam potiùs vitam, quàm filiolum ſibi adeò dilectum erat perditura? vix cadentem advertit infantulum; cùm ad puriſſimam Divini infantis genitricem humiliter recurrens, ſuppliciter eam rogavit, ut propter honorem, Sacri immaculatæ ſuæ Conceptionis myſterij, præſtò eſſe in auxilium dignaretur, ac filium, quem ipſa non ſatis cuſtodierat, illa ſollicitior Mater, à præſentiſſimo miſerandi casûs periculo liberaret. Vix preces mulier afflicta finierat, ac citiſſimo curſu, per ſcalas, ad inferiora ſe receperat, quid de filio ageretur, quem mortuum credebat? exploratura: cùm ecce! penitùs reperit incolumem, ac licèt ad duriſſimas alliſus petras, ex illâ ſolarij altitudine pericu-

riculoſiſſimè deciderit, ſine ullâ prorsùs læſione infantem reducit, non ſine ingentî omnium admiratione, ac ſummâ, erga invocatam Deiparam gratitudine, ob tantum beneficium, ad memoriam ſuæ Sacræ Conceptionis, receptum. *Bernardin. de Buſtis, Serm. 8. de Concept.*

## §. 5. *Symbolum.*

411. A MaCVLæ pVtreDIne LIbera.




Tam citò non poterit carnes vitiare putredo,
Quas condire ſolent grana ſapora Salis.
Numinis à maculâ liberam ſed qualia ſervant
Grana Salis Matrem? Gratia ſola ſalit.

*Pactum Salis eſt ſempiternum.* Numer. c. 18. v. 19.

## §. 6. *Antiquitas.*

412. HOMerI FOLIa, ALeXanDro Chara.

EA erat magno Macedonum Regi Alexandro, de Homeri doctrinâ exiſtimatio, ut Librum quendam ab eodem mirâ arte compoſitum, non niſi aureâ in arcâ, gemmis compluribus rutilante, omnî ſollicitudine aſſervandum curârit, expreſsè pronuntians: Folia hæc non aliam, quam talem pretioſiſſimam thecam, pro meritis depoſcere.

Ita ſanè MARIA, *Liber generationis JESU CHRISTI*, cujus primum folium, eſt puriſſima, ac prorsùs intemerata charta, referens pro frontiſpicio Agnum immaculatum, cujus DEUS Pater ipſemet Author, Spiritus Sanctus, ejusdémque gratiæ plenitudo, contentum, Liber, cujus cenſuræ loco, præfixa ſunt innumera Sanctorum Patrum Encomia, &c, nec debuit, nec potuit alio ſcriniolo recondi, quàm Beato Divæ Annæ utero, quem DEI charitas deauravit, ac Gratia ejus, MARIÆ præambula, exornavit. Annam quippe, multis coruſcam gratijs, MARIÆ exordijs antecedere DEUS voluit, ut Prolis tantæ digna Mater, ipſa, & non alia ſuis eam abderet viſceribus, vel ideò nomen iſtud: *Anna* ſortita (quod apud Hebræos *Gratiam* ſignificat) utpote, quæ ex ipſo jam nomine *gratioſa*, Filiam conceptura erat, in ipſo jam conceptionis momento, hac exuberante gratiâ pleniorem, quia ſine labe, in viſceribus ſimul *Annæ*, & in viſceribus *gratiæ* conceptam.

## §. 7. *Anagramma.*

DEI aMans, pVrè ConCepta VIrgo. 413.

*En Dei amans, pura, et immaculata Virgo!*
Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*



De

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LX.

## §. I. *Scriptura.*

414. VIrgIneæ MatrIs pVrVs IntroItVs, eXItVs qVoqVe à Labe CVſtoDItVs.

Pſal. 120. v. 7. & 8. *Dominus cuſtodit Te ab omni malo, Cuſtodiat animam tuam Dominus: Dominus cuſtodiat introitum tuum, & exitum Tuum.*

O Mortalium in mundum hunc immundum turpem *introitum!* quem fœda mox peccati originalîs macula ita comitatur, & coinquinat, ut concipiantur filij iræ, & victimæ inferorum. Fateri equidem quivis noſtrûm, cum Davide, cogitur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea!* (Pſal. 50. v. 7.) & *quis poteſt dicere: mundum eſt cor meum, purus ſum à peccato? &c.* (Prov. 20. v. 9.) Sed neque *exitus*, materno ex utero, ſuâ caret miſeriâ; Quis enim neſcit, vix editum infantem, vehementiſſimos inter matris parturientis dolores, mox ſuam, lachrymabilî clamore, miſeriam indicare, fœdiſſimamque ſceleris appendicem inconſolabiliter deplorare?

Veruntamen non ſic glorioſiſſima Virgo Deipara, felix illa Beatorum parentum Joachimi, & Annæ progenies, quam *Dominus cuſtodivit ab omni malo*, animamque ejus conſervavit puriſſimam; Hæc enimverò non in Nativitate tantùm ſuâ, ſeu *exitu* ex gratioſo Matris utero, *gratiâ plena*, ac ab omnî labe reperiebatur immunis, verùm etiam in ipſo Conceptionis *introitu* (privilegio nulli unquàm alteri conceſſo) puriſſima, & ab omni maculâ penitùs fuit à Domino cuſtodita. quod clarè inſinuâſſe videtur magnum Eccleſiæ Lumen, S. Auguſtinus, ijs verbis: *Hâc Virgine exceptâ, ſi omnes Sanctos, & Sanctas, cùm hìc viverent, congregare, & interrogare poſſemus, utrùm eſſent ſine peccato? unâ voce clamâſſent: ſi dixerimus, quoniam peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, &c.* (L. de nat. & grat. c. 36.) Sola ergo MARIA, *ab omni malo* cuſtodita, de puro *introitu, exituque* puro gratulari ſibi his verbis poterat: *In me gratia omnis viæ*, (Eccli. 24. v. 25.) cujus pacificus fuit ingreſſus, nobis interim humanam noſtram, tam in conceptûs *introitu*, quàm in *exitu* partûs, miſeriam nunquam ſatis ingemiſcentibus. Hìc in memoriam revoco, enormes, quas David fecerat expenſas, in Templi illius ſplendidi adornationem, quod Salomon poſtmodùm, filius ejus, extruxit; Has ipſemet recenſens, & populum ad ſuppeditanda liberaliter neceſſaria admonens, ne cui id novum, ac ſuperfluum videretur, cauſam ijs tantorum ſumptuum his verbis ſuggeſſit: *Opus grande eſt; neque enim homini præparatur habitatio, ſed DEO.* (1. Paral. c. 24.) idipſum & mihi de MARIÆ (quam Templum nuper præſtantiſſimum, Conceptu 42. deſcripſimus) puro *introitu*, & *exitu* repetere liceat, ac monere, ne cui mirum, ac ſuperfluum videatur, ſi adeò ſe in Virginem hanc liberalem, munificum, effuſum, ac prodigum, DEUS oſtendit, ut tot in illam gratias accumulârit, tot prærogativas in illam contulerit, tantâ ejus animam providentiâ *ab omni malo* cuſtodierit: cuſtodierit inquàm, non *exitum* ſolùm, ſed & *introitum*, ab originali præſervando; *opus* namque *grande erat, neque homini præparabatur habitatio, ſed DEO* ipſi ter Optimo, Maximo. ex quo non obſcurè licet colligere, quod

de

de hac ſolâ Numinis habitatione, nempe MARIA, intelligendum ſit illud Pſalmiſtæ: *Diligit Dominus portas Sion.* ſi enim duas placeat portas conſtituere, ſi tam *introitum*, id eſt, *conceptionem*, quàm *exitum*, id eſt *mortem* velimus conſiderare, ſanè nullius alterius puri hominis hæ duæ portæ cuſtoditæ videntur; cùm *introitus*, quo in peccatis concipimur, odio dignus ſit, & *pretioſa* tantùm *in conſpectu Domini Mors* (ſeu *exitus*) *Sanctorum ejus*: at verò Beatiſſimæ DEI Genitricis, per *Sion* ſignificatæ, ambas portas diligit, & cuſtodit, tam illam, quâ abſque peccati maculâ, per conceptionem, in vitam eſt ingreſſa, quàm eam, quâ vel ex utero materno in lucem, vel ex hoc mundo poſtmodùm rectà in Cœlum, per mortem eſt egreſſa. Placeat miſericordiſſimo Numini, id nobis infeliciſſimis Adæ filijs concedere, ut quibus *introitus* per conceptionem plurimùm fuit infauſtus, ac propriâ in Adamo culpâ, peſſimè cuſtoditus, ſaltem Beatus ſit, MARIA intercedente, ex hac vitâ *exitus*, & felix ad æternam beatitatem *introitus*

Pſal. 86. v. 6.

Pſal. 115. v. 15.

## §. 2. *Authoritas.*

415. S. ILDephonsVs, InnVens Labe CarenteM.

1. *Quomodò Spiritu Sancto eam replente non ſine peccato originalî fuit, cujus etiam Nativitas glorioſa, in omni Catholicâ Eccleſiâ CHRISTI ab omnibus felix, & beata prædicatur? Enimverò, ſi non beata eſſet, & glorioſa, nequaquam tam feſtiva celebraretur ubique, ab univerſis. ſed quia tam ſolenniter colitur, conſtat ex auctoritate Eccleſiæ, quòd nullis, quando nata eſt, ſubjacuit delictis, nec contraxit, in utero ſanctificata, originale peccatum.* Homil. 2. de purif. Virg.
2. *Conſtat, illam ab omni peccato originalî fuiſſe immunem, per quam non ſolùm maledictio Matris Evæ ſoluta eſt, verùm etiam & benedictio omnibus condonatur.* Ibid.
3. *Beata Virgo, plena gratiâ, quantum aliena fuit à culpâ, Spiritu ſancto in eâ cooperante, in totum extranea etiam fuit à maledicto primæ damnationis.* Ibid.
4. *Non enim libentes vobis verecundiam incutimus, chariſſimæ! qui non ſine magno pudore de ijs loquimur, ſed eximiæ pietatis honorem vobis, & decus virtutis, Beatiſſimæ Virginis pudicitiam prædicare incorruptam, & incontaminatam, & ab omni contagione primæ originis confiteri alienam.* Ibid.
5. *In quâ vexilla virtutum micârunt, nullum peccatum primæ originis, ut cruciaretur, viguit.* Ibid.
6. *Propter quod uterus ejuſdem Virginis per Arcam figuratur, quæ cuncta Sacramentorum arcana in ſe habuit: habuit enim panem vivum illum, qui de Cœlo deſcendit, habuit & legem teſtamenti novi, quia legislatorem genuit, in quo ſunt omnes theſauri Sapientiæ, atque Scientiæ. Et ideò rectè Arca Sacramentorum DEI Virgo MARIA fuit, ſupra quàm ſanè propitiatorium, & Cherubim hinc indè obumbrantia figurantur, quia MARIÆ nullum extrinſecùs obrepſit peccati contagium, ſed intùs omnis cuſtodia legis.* Serm. de Aſſumpt.

## §. 3. *Ratio.*

Integra CaVſa, aD bonVM neCeſſarIa. 416.

JUxta commune Philoſophorum Axioma: *Bonum ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu.* Sed humanitas Chriſti eſt aliquod bonum, imò ſummum bonum, propter unionem Hypoſtaticam, & Beata Virgo eſt illius cauſa; cùm ſecundùm humanitatem non agnoſcat Patrem, bene verò Matrem. Ergo hoc bonum debet eſſe ex integrâ causâ. Atqui integra cauſa non adſtrueretur huic bono, ſi in primo duntaxàt inſtanti, cauſa hæc, nempe Beata Virgo, contraxiſſet labem originariam; quandoquidem fuiſſet diminuta naturæ bonis, & quod potiſſimùm integritati cauſæ officit, bono integritatis, in primo inſtantî, ſpolia-

liata. Ergò, vel cum Neſtorio blaſphema, humanitatem Chriſti eſſe malam (nam *malum ex quolibet defectu*) aut fateâre cum Eccleſiâ, Beatam Virginem in primo inſtantî Conceptionis integerrimam, & dices *Bonum ex integrâ causâ.*

## §. 4. *Hiſtoria.*


417. HoſpItaLe, & ConfraternItas InſtItVta, In honoreM DeIparæ sIne Labe.

HIſtoriæ locò haud immeritò annotandum cenſeo, dignum æternâ memoriâ zelum Franciſci Ximenij, Eccleſiæ Toletanæ Archi-Epiſcopi, in promovendo Deiparæ, ſine labe Conceptæ cultu, ac honore, quem tùm vel maximè orbi manifeſtavit, cùm Toleti æquè, ac Compluti, ſplendidum, ſuis ſumptibus, hoſpitale è fundamentis extruxit, ampliſſimíſque fundavit redditibus, ſub titulo, ac protectione Virginis immaculatè conceptæ: in cujus præthereà honorem Confraternitatem in dicto Hoſpitalî inſtituit, quorum Confratrum id eſſe deberet officium: circuire nimirùm tribus vicibus, tam de nocte, quàm veſperî, plateaſque omnes, ac compita viſitare, ut ſi quos inveniſſent, hoſpitium non habentes, cum omni eos humanitate, ac charitate, ob amorem immaculatæ Virginis introducerent, ijsdemque, omnî poſſibili ſtudio, deſervirent. quo pietatis officio, quantum ſibi MARIÆ patrocinium, tam Confratres illi omnes, quàm devotiſſimus præſertim Archi-Præſul promeruerit, facilè ſibi quisque habebit perſuaſum, ac ipſemet experietur, ſi ſimile quoddam charitatis opus, in honorem immaculatæ, quocunque demùm modo, proximo impendere ſtuduerit. *Ex Joann. Reinhardo Ziegler Conc. funeb. & Calendar. Beatæ Virg. ad diem 8. Nov.*

* *
*

## §. 5. *Symbolum.*

DVo pVnCta reCtIſsIMa. 418.




Pendet ab extremis rectiſſima linea punctis,
Reſpondent medio punctula bina ſuo.
Sic geminum extremum (Mors, & Conceptio) puræ
Virginis, illæſum, ſicuti vita, fuit.

*Ambulavit pes meus iter rectum.* Eccli. c. 51. v. 20.

## §. 6. *Antiquitas.*

VasConIs FernanDII, nIMIa IaCtantIa. 419.

TEmporibus illis, quibus in Hiſpaniâ cum Chriſtianis promiſcuè habitabant Mauri, mutui frequenter invicèm fiebant excurſus. Cùm ergo in quodam hujusmodi certamine, pro capiendâ Maurorum Civitate, viriliter Hiſpani decertarent, ſtrenuus quidam eques, Vaſco Fernandez nomine, hoſtes generosè inſectando, omnes commilitiones ſuos adeò tranſilivit, ut per medias etiam hoſtium phalanges, ad certum pertigerit murum, cui chartam, majoribus litteris conſcriptam, ſequentis tenoris, nimiùm jactabundus affixit: *Huc pervenit Vaſco Fernandez.* Vidit fortè anathema hoc alius quidam, ex hiſpanis militibus, qui ad ſimile poſtridiè

ridiè certamen rediens, longè ulteriùs, quàm Vaſco, penetravit, non quidem ex jactantiâ, ſed tacito prorsùs nomine, haud diſſimilem chartam muro alicui affigens, his ſcriptam litteris: *Huc non pervenit Vaſco Fernandez.*

Eundem planè in modum, cùm Sancti cujusdam viri comendamus encomia, dicere ſolemus e. g. *Huc pervenit Auguſtinus*, ad gradum nimirùm, quo Doctorum Doctor, & Sanctorum Patrum magnus eſt Pater. quò pervenit Franciſcus? pervenit ad impreſſa ſibi Sacratiſſima Chriſti vulnera. quò Benedictus? pervenit, ut eſſet *omnium Monachorum Pater, & Dux*: imò eò pervenit, ut in mortalî etiamnùm vitâ, admitteretur ad ipſum DEI, omnia creantis, conſpectum. quò Bernardus? pervenit ad tangenda ore ſuo ipſius Deiparæ Sacratiſſima ubera, ex quibus diffluens lac in os ejus intravit. quò Paulus? ad tertium certè penetravit cœlum. quò Joannes? ad Chriſti ipſius pervenit pectus, & ad nomen filij Matris ejus. quin etiam ille alius Joannes quò pervenit? ad eam certè dignitatem, ut dicat DEI Filius: *Inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſtâ.* Matth. 11. v. 11. cùm & in utero matris Sanctificatus fuerit. & huc pervenit Joannes Baptiſta: huc reſpectivè Evangeliſta: Paulus, Benedictus, Bernardus, Franiſcus, &c. at cùm de Matre DEI, ſine labe conceptâ loquimur, non debemus dicere: *Huc pervenit MARIA*, ſed dicendum: *Huc nemo pervenit, quo MARIA.* vel ſi placet Chronographicè, dicere poterimus: *QVo DeIpara ConCepta, neMo perVenIt.* non Auguſtinus, non Franciſcus, non Benedictus, non Bernardus, non Thomas, non Paulus, non Joannes Evangeliſta, non etiam pervenit huc ipſemet Baptiſta, licèt poſt conceptionem, in utero ſanctificatus. verbo, hùc non pervenerunt omnes ſimul electi, tam terrigenæ, quàm Cœlites, in unum conferti, ac congregati, ita ut omnium Sanctitas, gratia, ac celſitudo, ſi ſummâ unâ computetur, minimè quidem ad eum perventura ſit gradum, quem Virgo Deipara in ſuâ Conceptione puriſſimâ tranſcendit.

### §. 7. *Anagramma.*

CatenaM, VeL Væ ADæ, sIne Labe, Ignoras! 420.

*Catenam, vel vae primi Adam tu ignoras!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ

# CONCEPTUS LXI.

### §. I. *Scriptura.*

421. DeIpara, In Ipſo beLLI prInCIpIo obVMbrata.

Pſal. 139. v. 8. *Obumbrâſti ſuper caput meum, in die belli.*

CONſultiſſimè pijſſimus quondam Rex, ac Propheta David, tot bellis circumdatus, tot periculis expoſitus, tot hoſtibus, tam exteris, quàm inteſtinis, ad internecionem quæſitus, Divinum frequenter poſtulabat auxilium, Cœlique protectionem implorabat, talia ad Dominum emittens ſuſpiria: *A reſiſtentibus dexteræ tuæ cuſtodi me, ut pupillam* Pſal. 16. v. 8. *oculi: ſub umbrâ alarum tuarum protege me!* Expertus enimverò ſæpè ſæpiùs fuit, quàm

quàm ſecurus ſubſiſtat ille, media quamvìs inter pericula, qui validiſſimis Divinæ protectionis alis jugiter obumbratur.

Sed nonnè idipſum experta, puriſſima quoque Numinis Genitrix MARIA? quæ in ipſo mortalîs vitæ principio, ad bellum confeſtim evocata, glorioſam retulit de hoſte victoriam, omnibus licèt reliquis, ſimilî conflictu miſerè debellatis. Veruntamen, quale fuerit bellum illud, qualíve commiſſum tempore, perquiritis? Audite! *Diem belli* fuiſſe exiſtimo, & etiamnùm eſſe, illud cujuslibet conceptionis *inſtans*, in quo dæmon, inuſtâ originalî maculâ, dominari ſolet de animâ.quemadmodùm enim in bello, una decertantium pars, quà poteſt, alteram invadit, poſſeſſionibus privat, Urbes, ac mænia demolitur, bona diripit, ac ipſam etiam vitam quandoque extinguit, multos præterea in diram ſervitutem abducit, inque ſummam eos detrudit calamitatem; ſic per peccatum originis, homo nobiliſſimè à DEO creatus, & in ſummâ dignitate, pulcherrimâque juſtitiæ poſſeſſione collocatus, eâ deijcitur, Divinâ gratiâ ſpoliatur, ac in eam detruditur calamitatem, ut ſtatim ab ipſo conceptu fiat immundus, & naturâ ſit iræ filius, peccati ſervus, morti obnoxius, ſed & hujus mundi principi, Satanæ ſubditus, ac demùm, ſive corpus ejus, ſive animam ſpectemus, à primævo illo ſtatu, qui Adæ adhuc innocenti contigit, in alium longè deteriorem commutatus. Sed quid? Triumphabat ergò, aut dominabatur infernalis inimicus de ipſâ etiam MARIÆ Virginis puriſſimâ animâ? privabátne illam quoque pretioſiſſimâ gratiæ, ac juſtitiæ poſſeſſione? minimè. ſedit hæc potiùs *in die belli*, ſeu primo illo inſtanti ſecuriſſima, ſub umbra illius, quem deſideraverat, Filij, ex puriſſimo quondam utero ſuo, in ſalutem omnium, progreſſuri, ac infinitis paſſionis ſuæ meritis mundum redempturi. ſic enim, Sacris in canticis ipſa loquitur: *Sub umbrâ illius, quem deſideraveram, ſedi.* quod clariùs inſinuare videtur, cum Davide dicendo: *Obumbrâſti ſuper caput meum, in die belli.* quemadmodùm enim *dies belli*, ut ſuprà diximus, inſtans eſt conceptionis, ſic *caput* eſt vitæ principium, à conceptione deſumptum. quod innuere videtur præclara doctiſſimi Abulenſîs in hunc locum expoſitio, ſic de feliciſſimâ Virginis obumbratione, ac ſingularî victoriâ diſcurrentis: *Principium vitæ Beatæ Virginis obumbratum fuit, ab inſtantî conceptionis, ex vi præviſionis meritorum CHRISTI, & nullam contraxit maculam originalem: unde gratias agens DEO, pro tanto beneficio, dixit: obumbrâſti ſuper caput meum in die belli.* hæc ille: O feliciſſimam ergò Divini adjutorij MARIÆ impenſi *umbram!* O ſingularē è præviſis Chriſti meritis, protectionem, omnîs prorsùs peccati imò peccati *umbræ*, jam in ipſo belli, ſeu conceptionis principio excluſivam! verè MARIÆ tam gratioſe conceptæ congruit illud Ovidij: Cant. 2. v. 3.

*Caput inſuperabile bello.* L. 12. Metam.

cui Seraphicus etiam Bonaventura meritò gratulabundus accinit, his verbis: *O MARIA! Dominus tecum fuit, tecum eſt, tecum erit. Tecum fuit in conceptione, Te obumbrans adversùs omnia peccati originalîs ignea tela.* Nos verò, qui in hac *die belli*, confeſtim miſerè devicti, originale vulnus accepimus, ejusdemque cicatricem etiamnùm circumferimus, obumbrari ſaltem impoſterùm ſtudeamus: & quemadmodùm (atteſtantibus Apoſtolorum actibus) in plateas ejecti ſunt infirmi, & poſiti *in lectulis, ac grabatis, ut veniente Petro, ſaltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus ſuis*, ſic provolvamur & nos, in animâ per peccatum ſauciati, ad portam Divinæ miſericordiæ, ut, interveniente MARIA, ſine labe conceptâ, ſaltem umbra illius nos obumbret, quatenùs ab omnibus animæ noſtræ infirmitatibus liberati, ad viſionem beatificam ad- In Spec. Virg. c. 9. c. 5. v. 14. & ſeq.

mit-

mittamur, absque omni umbrâ clariſſimam.

## §. 2. *Authoritas.*

422. S. IoannIs ChrIJſoſtoMI, De InnoCente, aVrea ſententIa.

1. *Magnum reverà Virgo hæc mundi miraculum eſt; ecquid enim, in rerum univerſitate, queat hac majus, & ſublimius inveniri? ſola hæc Cœlum, & terram amplitudine ſuperavit; quidnam illâ Sanctius? non Prophetæ, non Apoſtoli, non Martyres, non Patriarchæ, non Prophetæ, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Cherubin, non Seraphin, non aliud denique quidpiam inter creatas res, viſibiles, aut inviſibiles, unâ hac majus, aut excellentius inveniri poteſt.* Homil. in Hypopant. Dom.
2. *Memoriam agentes Sanctiſſimæ, incontaminatæ, ſuper omnes benedictæ, glorioſæ Dominæ noſtræ, & ſemper Virginis MARIÆ.* In Liturgiâ *pro Sanctiſſimâ immaculatâ, ſuper omnes binedicta Dominâ noſtrâ Deiparâ.* Tom. 5.
3. *Verè dignum eſt, glorificare Te Deiparam, & ſemper beatiſſimam, & penitùs immaculatam matrem DEI noſtri, honorabiliorem Cherubim, glorioſiorem incomparabiliter Seraphin.* Ibid.
4. *Miſſus eſt ſervus incorporeus, ad Virginem immaculatam: miſſus eſt à peccato integer, ad corruptionis expertem.* Orat. in Annunc.
5. *Reſtauratur per MARIAM, quod per Evam perierat, redditur per MARIAM vita, quæ per Evam fuerat interempta.* Hom. de Arbor. Adam.
6. *MARIA Abolitio antiquiſſimæ, rigidiſſimæ ſententiæ.* In Canon. S. Eliæ Proph.
7. *Alabaſtrum nullâ infectum immunditiâ.* Orat. 3. de Annunc:

## §. 3. *Ratio.*

423. reDeMptorIs noſtrI ConCeptIo IVſta In orIgIne.

CHriſti Redemptoris noſtri conceptio fuit juſta, juſtitiâ originalî, absque omni peccato. Ergo etiam Conceptio Beatiſſimæ Virginis. Conſeq. Prob. Nullus poteſt naſci cum juſtitiâ originalî, niſi à parente, habente juſtitiam originalem: Sed Chrſtus natus eſt in juſtitiâ originalî. Ergo Chriſtus debuit naſci à matre habente juſtitiam originalem. Atqui peccatum originale eam deſtruit: Ergo per hoc, quòd conceptio Chriſti fuerit ſine peccato, etiam B. Virginis debuit eſſe ſine peccato. Confirm. Juſtitia originalis Chriſti fuit ejusdem perfectionis cum illâ, quæ fuit Adami: Atqui hæc non tantùm dicit privationem omnîs peccati, verùm etiam principium carens omnî peccato. Ergò etiam juſtitia originalis Chriſti non tantùm dicit privationem omnîs peccati, verùm etiam Matrem (tanquam ſui reſpectivè principium) carentem omnî peccato.

## §. 4. *Hiſtoria.*


FerDInanDI VICtorIa, ab ILLIbatâ DeIpara. 424.

LAborabat per complures annos, licèt irrito conamine, Ferdinandus III. Sereniſſimus Rex Catholicus, quatenùs inclytam, & hactenùs inexpugnabilem Granatenſem Urbem ex infidelium manibus eripere, ac expugnare poſſet. quem in finem, tamdiù fruſtrà attentatum, ad Virginis tandem Deiparæ adjutorium confugiens, votum, unà cum Reginâ, Conjuge ſuâ Iſabellâ, edidit, quòd ſi ejus interceſſione, de prædictâ Urbe deſideratam reportaret Victoriam, mox Templum principale, ſeu Cathedrale ibidem, in immaculatæ Conceptionis honorem, magnificentiùs extruendum, conſecrandum, ac eidem Virgini, ſine labe conceptæ, ſolenniter dedicandum, curare vellet. Nec irrita ceſsêre vota; paullò enim poſt, Anno nimirùm Chriſti Milleſimo, Quadringenteſimo, Nonageſimo ſecundo, primâ Januarij, ſupranominata potentiſſima Civitas, nullo ex Ferdinandi militibus, homine inter-

terfecto, in victrices Regis glorioſi manus ceſſit, Rege ipſo Boaldo ſeſe Ferdinando ſubmittente, ac omnia ſuæ ditionis loca principaliora ultrò evacuante. Mauris igitur omnibus jam Regno feliciter expulſis devictam Urbem ſolenniter introgreſſus Rex, alterâ ſtatim die, magnam captivorum Chriſtianorum (quos inter complures etiam Sacerdotes numerabantur) multitudinem, priſtinæ libertati reſtituit, ac unà cum ſuis infinitas, poſt DEUM, grates Matri ejus immaculatæ referens, ejusdem potentiſſimæ interceſſioni inſignem hanc victoriam adſcripſit, votumque prædictum fideliſſimè protinùs adimplevit. *Cartagena lib. 1. hom. 19. §. 4. de arcanis Deip. P. Antonius Baling. &c.*

## §. 5. *Symbolum.*

425. ChrIJſtaLLo DesVnt VMbræ.




Hic globus, è purâ Chryſtallo, luce refulget
Undique cadentî: non habet umbra locum.
Candet Chryſtallo Conceptio clarior omnî
Virginis: hinc maculæ non habet umbra locum.

*Dedit illi claritatem æternam.* Sap. c. 10. v. 14.

## §. 6. *Antiquitas.*

VIrgInIs, MILItI ſponſanDæ, 426.
proteCtIo à GaLeâ.

EA bellatoribus Romanis conſuetudo, ac conceſſa à Ducibus ſuis erat licentia, ut quotiescunque Urbem aliquam, generoſâ armorum dexteritate, occupâſſent, & reſiſtentibus pertinaciter incolis, transſcenſis nihilominùs muris, victores extitiſſent, tum enimverò in omnes omninò, quos intrà muros inveniſſent, tanto vindictæ impetu irruere poſſent, ut nè ipſis etiam infantibus, materno in utero, parcendum eſſet. Quòd ſi tamen militi, prædis, ac necibus intento, ſpecioſa aliqua occurreret Virgo, cujus amore in tantum capi ſe ſentiret, ut eam ſibi in ſponſam deligere vellet, galeam ipſe ſuam, proprio capiti detractam, Virgini tali imponere deberet, quæ deinde Galea ſignum eſſet protectionis, & liberationis à morte, adeò quidem, ut ultrà non liceret reliquis militibus, quantumvìs ſæviſſimis, ejusmodi puellam vel in minimo lædere, utpotè commilitonis cujùsdam ſui electam dilectiſſimam ſponſam. quòd ſi verò furijs adeò quis eſſet exagitatus, ut cœco quasì impetu in talem Virginem irruere tentaret, hæ ſolùm voculæ erant periclitanti proferendæ: *Galeata ſum.* quibus expreſſis, certiſſimam ſibi protectionem, vitæque conſervationem conciliabat.

Modò, quis ignorat, totum Adamiticum genus, ab irato ob transgreſſionem Numine, agmini infernali in prædam datum, non juſtitiâ tantùm originalî privandum, ſed & in animâ, nemine excepto, ſine miſericordiâ, dirè per originale occidendum? ita quidem, ut nec infanti materno in utero parcatur, eoque ipſo momento, cùm dici poteſt: *Factus eſt homo in animam viventem. Gen. 2. v. 7.* infantulus occidatur in animâ, juxta illud: *In omnes homines mors pertranſijt. Rom. 5. v. 13.* Attamen ſola excipi-

cipiebatur, & ſingularî protectione gaudebat Virgo ſpecioſiſſima, MARIA, quam Pater Cœleſtis in filiam, ex millibus dilectam, Filius in immaculatam Matrem, Spiritus Sanctus in intactam Sponſam delegerat, quæ hiſce ſeipſam verbis defendit: *ab æterno ordinata ſum.* Prov. 8. v. 23. pro quo alij legunt: *coronata*, alij: *galeata ſum.* Quamvìs ergò tartarei milites in eam, omnî modo, armis originalîs maculæ tentârint irruere, non tamen permiſſum eis erat, vel in minimo illam attingere, quæ galeâ ſalutis ab ipsâ Sanctiſſimâ Trinitate induta, ſpecialiſſimo modo à communî ruinâ cernebatur protecta.

### §. 7. *Anagramma.*

VIrgo pIa,
MVnDè ConCepta. 427.

*Virgo! en eras pia, munda, et immaculata.*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXII.

### §. 1. *Scriptura.*

428. VIrgo à DoMIno ab InItIo ConCeptIonIs poſſeſſa.

Proverb. c. 8. v. 22. *Dominus poſſedit me, in initio viarum ſuarum.*

QUis audeat contradicere, ſi DEUM, quem potentiſſimum omnium noſtrûm Creatorem ex Fide agnoſcimus, legitimum hoc ipſo Dominum, ac *poſſeſſorem* noſtrum humillimè agnoſcere non dubitemus? Tunc enimverò perfectè nos poſſidet, quandò Divinis ejus mandatis humiliter obſequentes, Sanctiſſimam ejus voluntatem adimplere in omnibus nitimur. Econtrà peccatores, qui Divina ſpernentes præcepta, diaboli voluntatem exequuntur, legibusque mundi in DEUM impijs impiè ſubſcribunt, ab ipſo potiùs diabolo, quàm à DEO poſſideri, certiſſimum eſt.

Hinc gratulari ſibi præ reliquis omnibus glorioſa poterat Virgo Deipara, dicendo: *Dominus poſſidit me, in initio viarum ſuarum*, utpote quæ nunquam peccati mancipium, à Domino in initio viarum ſuarum, id eſt, ab æterno, in mente Divinâ poſſeſſa, & *antequam quidquam faceret à principio*, in immaculatam immaculati Agni deſtinata eſt Genitricem. Atque ut ſingularem hanc Virginis prærogativam ex ipſo Conceptûs Themate clariùs eruamus, ſingula Textûs illius verba attentiùs perpendere juvabit. Et certè in primo jam vocabulo: *Dominus* non exiguum latet myſterium. cur enim dicitur: *Dominus poſſedit me*, & non potiùs: *DEUS poſſedit me?* Sed ecce! cùm in Conceptione Beatæ Virginis, Creator generis humani, tanquam abſolutus Dominus, nullo poſitivo jure adſtrictus, ſe geſſiſſet, gratioſè cum illâ diſpenſando, in univerſalî Lege de contrahendâ labe peccati originalîs, ideò ad id ſignificandum, non verbum *DEUS*, ſed *Dominus* uſurpavit. Ut autem Verbi *Poſſedit* efficaciam ſimiliter comprehendamus, notare imprimìs oportet, DEUM, ut univerſi Creatorem, ac Dominum, in omnes creaturas ſuas, præſertim ratione donatas, ex doctrinâ D.
Thomæ, non proprietatis modò jus, 2.a 2.æ
ſed *poſſeſſionis* habere, quamdiù vi- q. 10.

delicèt illius in amore vivunt, ac in gratiâ perſiſtunt: ubi verò per peccatum gratiâ excedunt, ſuâ quoque DEUM *poſſeſſione* cedere, ac dæmonem in corde illo habitaculum ſubire: certiſſimum præterea eſſe, & generalî jam conſuetudine introductum, ut juxtà vulgatam Juris Regulam, *fructus ſint poſſidentis.* His ergò ſuppoſitis, cùm certo ſit certius, MARIAM ſemper, & *ab initio* æternitatis à DEO *poſſeſſam*, ſequitur, indubitatum pariter eſſe, univerſos animæ ejus fructus, opera omnia, ac cuncta ejus propoſita, & intentiones in gratiâ fuiſſe, ac conſequenter ſine omnî peccato extitiſſe, ſicque ſine originarij denique delicti inquinamento conceptam fuiſſe. Quod de ſeipsâ Virgo jugiter prædicans, *Flores mei*, inquit
Eccli. 24. v. 23. *fructus honeſtatis, & honoris.* ac ſi diceret: Anima mea flores emiſit, ac Domino fructus tulit, non quidem inſipidos, verminantes, putridos, peccatum, ac neſcio, quam ſilveſcentiam redolentes, ſed fructus bonos, dulcedine, & honore plenos, ac gratiam undequàque ſpirantes. Cæterùm verba etiam: *in initio viarum ſuarum* mirum in modum faciunt ad immaculatam Virginis Conceptionem illuſtrandam; ut enim exponit D.
in c. 4. Job. Thomas, nomine *viarum* optimè poſſunt intelligi *via* miſericordiæ, & *via* juſtitiæ, teſtante idipſum Davide:
Pſal. 24. v. 10. *Univerſæ viæ Domini miſiricordia, & veritas.* ubi obſervandum, primo loco poſuiſſe miſericordiam, quia hæc adeò illi placet, ut ad illam exercendam opus non habeat extrinſeco aliquo excitante; Juſtitia verò, ut illam exequatur, indiget irritante & impellente: quia ergò miſericordia præcedit juſtitiam, ideò vocat illam *initium viarum ſuarum*: unde cùm B. Virgo ait: *Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum*, ſignificat, DEUM miſericordiæ ſuæ innitentem, non juſtitiæ, ab inſtantî illam Conceptionis *poſſediſſe*; nam ſi juſtitiâ, & non miſericordiâ uti voluiſſèt, non ab Ipſo, ſed ab hoſte per peccatum originale ab initio poſſideri MARIA incepiſſet. Ab hac autem pacificâ poſſeſſione nunquam illam excidiſſe, vel ex eo perſpicuum eſt, quòd caſus ille non poterat eſſe, niſi vel quia DEUS illam à ſe pelleret, vel quia ipſa voluntariè ab ejus poſſeſſione ſe ſubtraheret, vel tandem, quia per vim, ac violentiam ab infeſtiſſimo humani generis hoſte è manibus DEI raperetur: conſtat autem, DEUM neminem venientem ad ſe unquàm expuliſſe, ipſo dicente; *Eum qui venit ad me, non eijciam foras*: Jo. 6. v. 37.
nec Beatam Virginem jugum Divinæ ſervitutis à ſe unquam abieciſſe, quæ ſemper humilem ſe ancillam profeſſa, *Ecce*, ait, *Ancilla Domini*: nec tan- Luc. 1. v. 38.
dem in dæmonis prædam datam fuiſſe, Chriſto dicente: *nec rapiet eas quiſquam* Jo. 10. v. 28.
*de manu meâ.* Poſſeſſa fuit ergò *in initio viarum* DEI MARIA, id eſt, Concepta in miſericordiâ, & miſerationibus. Quòd ſi juxta Regij Vatis effatum, *Beati immaculati in viâ, qui ambulant in* Pſal. 118 v. 1.
*lege Domini*: quis non Beatam præ reliquis omnibus, ac ter Beatam dicat eam, quæ non *in viâ* tantùm, ſed *in initio viarum ſuarum* immaculata, à Domino in primo inſtanti, imò ab æterno, perfectiſſimè eſt poſſeſſa, de quâ etiam ipſe fatetur DEUS: *Poſſedi* Eccl. 51. v. 28.
*cum ipsâ cor abinitio?* Huic ergò gratulemur, per hanc, cùm *in initio viarum* actum nobiſcum ſit, ſaltem *in viâ immaculati*, ac tandem in Patriâ *Beati* effici ſtudeamus.

## §. 2. *Authoritas.*

## S. Ioannes DaMasCenVs, 429. pVgnans pro InnoCente.

1. *O Beatos Joachim lumbos, ex quibus prorsùs immaculatum ſemen profluxit! O præclaram Annæ vulvam, in quâ tacitis incrementis, ex eâ auctus, atque formatus fuit fœtus ſanctiſſimus! O beatum ventrem, qui vivum Cœlum, Cœlis ipſis latius peperit.* Orat. 1. de Nativ. B. V.

2. *Natura gratiæ cedit, ac tremula ſtat, progredi non ſuſtinens. quoniam itaq, futurum erat, ut DEI Genitrix, & Virgo, ex Annâ oreretur, natura gratiæ fœtum antever-*

*revertere, minimè auſa eſt, verùm tantiſper expectavit, dum gratia fructum ſuum produxiſſet.* Orat. 1. Ibid.

3. *O Sanctiſſima! quæ Principatus, & Poteſtates fefelliſti, immaculata conſervata in DEI Sponſam.* Ibid.

4. *Gratiæ abyſſum invenit, quæ duplicis virginitatis navē incolumem ſervaverat, animamque non minùs, quàm corpus virginem cuſtodierat: unde etiam corpori virginitas conſtabat.* Orat.1.de dormit.B.V.

5. *Hodiernâ die Heden Spiritualem novi Adam Paradiſum ſuſcipit, in quo condemnatio abrogata, ad quem ſerpens aditum non habuit.* Orat. 2. de Aſſumpt.

6. *Animam meam tibi charam accepi, quam à peccati labe puram ſervâſti* Orat. 2.

7. *MARIA eſt lucerna fulgoris, terræ fines illuſtrans, omninò aureo lumine prædita, tota pulchra, & tota immaculata, quæ lucem occaſu carentem Fidelibus protulit.* Can.inSS.Mart.Eul. & Eulamp.

### §. 3. *Ratio.*

430. ADaMI, & EVæ, pVra ConCeptIo.

EST de convenientiâ Matris DEI, ut eam conſervet in primo inſtanti ſuæ Conceptionis, eo modo, quo conſervavit Adamum, & Evam in primâ ſuâ productione. Atqui primos parentes conſervavit in innocentiâ, ſine peccato: Ergò ſimiliter de convenientiâ eſt, ut ſuam Matrem conſervet, in primo inſtanti Conceptionis, ex meritis ſuæ paſſionis, in innocentiâ, ſine omnî peccato. Nec obſtat, quòd MARIÆ Conceptio præſuppoſuerit Adamum peccantem, & conſequenter ejus peccatum, in decreto executivo; quia tamen in decreto intentivo, præceſſit omnes creaturas, ipsâ de ſe teſtante: *ab initio & ante ſæcula creata ſum,* ſufficienter ſalvatur, quòd fuerit electa in Matrem DEI, ante ipſum peccatum.

### §. 4. *Hiſtoria.*

431. SangVIs, De ConCIonatore prorVMpens.

MIrabile admodùm eſt, ac non ſine ſpeciali Numinis diſpoſitione permiſſum, quòd dum Firmis in Piceno, Italiæ Urbe, Concionator quidam, puræ Virginis Conceptioni parùm addictus, contra eandem gratioſæ præſervationis ſingularitatem, publicè concionari exorſus fuiſſet, cruor ſubitò ſanguineus, tanto cum impetu, de ore cœperit perorantis prorumpere, ut propter indeſinens calidi liquoris profluvium, nunquàm hactenùs tam atrociter perpeſſum, Sermonem inchoatum proſequi omninò prohibitus, infecto quod intenderat negotio, domum reverti fuerit coactus, cunctis, qui dictionis argumentum intellexerant, Divinam ſuper hoc attentato diſplicentiam non vanè conjectantibus. *Bernardin. de Buſti. Serm. 9. de Concept.*

### §. 5. *Symbolum.*

432. FaCVLa, tenDens In sVbLIMe.




Quomodocunque placet, faculam gere; tendit in altum,
Verte, reverte: tamen flamma ſuperna petit.
Conceptum, Vitam, Mortem quoque verte reverte
Virginis: At ſimilem crede fuiſſe facem!

*Fumus ignis inaltatur.* Eccli. c. 22. v. 30.

### §. 6. *Antiquitas.*

433. ArIobarzenIs In fILIVM DILeCtIo.

ARiobarzenes, potentiſſimus Cappadociæ Rex, ubi filium aliquandò ſuum, longè infrà ſe collocatum, & viliore admodùm loco, pro ſuâ fortunâ conſpexiſſet, confeſtim pro eâ, quâ in genitum ſuum ferebatur dilectione, ex Throno Regio deſcendens, Diadema in caput illius tranſtulit, híſce eum verbis, ut ſuum in locum ſuccederet, hortatus: *Volo te Regem, & Regnum in te transfero: ſufficit Patri, modò regnet Filius, ſanguis ejus.* Quid hìc ageret Filius, adeò à Rege, genitore ſuo dilectum ſe conſpiciens? Tacitæ ſine voce lachrymæ ubertim defluxêre per ora, inhorruit corpus, dilapſum Diadema eſt, quod tam inopinatò fuerat impoſitum, nec quò juſſus erat, progredi potuit. Verùm, ô ingens amoris vis! Regno nihilominùs ſe abdicat læto animo Pater, & Filius, quantumcunque proteſtatus, Cappadocum ab ipſo Rex ſalutatur. Nec finis tam facilè certamini huic, Patrem inter, ac filium, prorsùs admirabili fuiſſet impoſitus, niſi voluntati Patris, Pompeij quoque Magni, tunc fortè pro tribunalî ſedentis, auctoritas acceſſiſſet. Hinc filius, ſine morâ, Rex proclamatus, ac Regio Diademate publicè eſt redimitus.

Quis jam audebit aſſerere, amorem Filij DEI, ſuccubuiſſe amori qualicunque humano, qui, quà DEUS eſt, Pater Virginis MARIÆ eſt? an non quà DEUS, & quà Filius, invitat Matrem ſuam dilectiſſimam ad Regna? dum miram ejus pulchritudinem his verbis deprædicans: *Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in Te*, Cant. 4. ſtatim invitationem ſubjungit: *Veni de Libano, Sponſa mea, veni de libano! veni, Coronaberis.* Ibid. v. 8. Ubi non unum tantùm, ſed triplex *Veni!* attentiùs eſt conſiderandum, non unum ſolùm, ſed ter repetitum invitamentum; Invitatur nimirùm à DEO Patre, tanquam *Filia*, à DEO Filio, ut *Mater*, à DEO Spiritu Sancto, tanquam *ſponſa*, tripliciter dilecta, quia tripliciter præſervata à quocunque peccato. Quis ergò non piè crediderit, hanc Triados Sacroſanctæ Filiam, Matrem, & Sponſam, nunquam extitiſſe filiam, ſponſamque Luciferi? quis dixerit, originalîs peccati contagione, ullo momento fœdatam, ac vel ideò cœleſtî aliquandò Regno fuiſſe indignam? &c.

### §. 7. *Anagramma.*

VnICa DEVM CIbas. 434.

*Mundi Regem unica alis, O amata, et pura!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXIII.

### §. I. *Scriptura.*

435. VIrgIneæ DEI MatrIs ante abIJſſos ConCeptIo.

Prov. c. 8. v. 24. *Nondùm erant Abyſſi, & ego jam concepta eram.*

ABy ſſos, de quibus hìc Virgineam DEI Matrem Sapientiſſimus mortalium loquentem inducit, alias non eſſe, quàm Abyſſos peccati, æternæ mortis, ac damnationis, ex celeberrimi illius Archi-Diaconi, in Decretum Gratiani ſcriben-

bentis, in cap. *Nonnè.* Diſtinct. 37. expreſſis verbis,non obſcurè colligitur; Ait enim inter alias *Abyſſi* explicationes, eam dici poſſe ab *A*, quod idem eſt, ac *Sine*, & à verbo *Byſſus*, quod genus quoddam lini candidiſſimi ſignificat: ex quo ingenioſè deducit, idem eſſe *Abyſſum*, quod *ſine Byſſo*, ſeu *ſine candore.* Quo ſuppoſito, aptè profectò per *Abyſſum* intelligitur *Peccatum*, quod candore Divinæ gratiæ animam privat, & nigram reddit,
Thren. c. 4. v. 3. juxta illud Jeremiæ: *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum.* Quòd ſi verò expoſitio hæc aliquam fortaſſe novitatem redolere uni alteríve videatur, eaque præplaceat, quâ communiter *Abyſſus* pro infinitâ quaſi aquarum congerie, abſque fundo accipitur, idipſum non minus præſenti favet Conceptui, Abyſſum cum peccato conferenti: quid enim aliud Regius propheta per *Abyſſum* intelligit, quàm *peccatum?*
Pſal. 41. v. 8. dum ait: *Abyſſus abyſſum invocat:* quod utique idem eſt, ac dicere: impius de peccato in peccatum prolabi-
Proverb. 18. v. 3. tur, imò *cùm in profundum venerit, contemnit.*

In has igitur *Abyſſos*, quamvìs omnis Adami progenies, tum per noxam originalem, tum per actualia peccata quotidiè labatur, æternùm certè damnanda, niſi DEUM hominem ſibi liberatorem, tum per Baptiſmi undas, tum per Pœnitentiæ lachrymas reconciliet, tamen Beatiſſima Numinis Genitrix conceptam ſe gloriatur ante abyſſos, dicendo: *Nondùm erant abyſſi, & ego jam concepta eram,* eò quòd antequàm in illas incideret, jam Divinâ præventa gratiâ, per eandem fuerit ab omni peccato, tum originalî, tum actualî penitùs præſervata, & liberata, ſicque ſingulariter concepta, ut *abyſſi* nullo unquam momento aliquid juris in eam ſibi vendicare potuerint. Aiunt Juriſperiti, negativam partem in controverſijs difficilìs admodùm eſſe probationis; unde hoc potiſſimum ſupereſt remedium, ut accuſatus probet, cùm delictum ſibi impoſitum patratum fuit, longè ſe ab eo loco tunc temporis abfuiſſe. Non diſſimiliter in propoſito noſtro conceptu, cùm mors peccati originalìs ex Adamo, primo parente noſtro ortum habuerit, omnibus ejus filijs per naturalem propagationem ab ipſo deſcendentibus mors illa imputatur, tanquam prævaricatoribus, in ipſo capite contentis; at Beatiſſima Virgo apertiſſimè probat, ſibi non imputandam eſſe hanc mortem peccati, quia antequàm eſſent *abyſſi* originalìs culpæ, etiam in æternâ permiſſione, permittente omnes ab Adam naturalî viâ propagatos infici, jam ipſa in mente DEI concepta, & in Divinâ voluntate præordinata erat. atque hinc eſt, quòd licèt in profundâ illâ abyſſo, ac profluvio originalìs peccati ſubmerſi fuerint omnes ab Adamo progeniti, ut in ſenſu myſtico de illis intelligi poſſint ea Exodi verba: *Submerſi ſunt in mari* c. 15. v. 5.
*rubro, Abyſſi operuerunt eos, deſcenderunt in profundum, quaſi lapis,* Beatiſſima tamen Genitrix, ex ſpeciali Filij ſui beneficio, in Conceptione ſuâ ſubmergi non potuit, ipſâ dicente: *Nondum erant abyſſi,* peccati originalìs, *& ego jam concepta eram,* in mente DEI. Hæc omnia optimè perpendens Divus noſter Joannes Damaſcenus, Virginis illibatæ cliens devotiſſimus, *MARIA,* Orat. de
ait, *ſtatim ab initio gratiæ abyſſum invenit,* Aſſumpt.
*quæ animam non minùs, quàm corpus Virgineum cuſtodiret.* & quid, ſi MARIAM ipſam *Abyſſi* nomine appellarem? non errarem certè, cùm ab ipſis etiam SS. Patribus talî frequenter nomine fuerit honorata. Audiatur Anaſtaſius Sinaita: *Abyſſus eſt MARIA, ex quâ Angeli* L. 4. Ana-
*verum ſolem exortum viderunt.* pariter gog. contempl.
Henricus Suſo: *Abyſſus inexhauſta di-* Medit. de
*vinæ miſericordiæ MARIA.* cum quibus compaſſ. M.
doctiſſimus etiam ſentit Idiota, *Abyſſus* inquiens, *multarum gratiarum MA-* de B. V.
*RIA, ex qua peccatores hauriunt gratiam* p. 14. con-
*inceſſanter.* ſicut autem, formato olim templ. 24.
ſphærico hoc mundo, dum tenebræ fuiſſent ſuper faciem *abyſſi*, non eſt aſpernatus Spiritus Domini volare ſuper illas aquas, imò tamdiu ſuper ijs

ſubſiſtere voluit, ad inſtar ſollicitæ gallinæ ova foventis, & vivos ſatagentis pullos educere, quouſque poſteà formata extiterit lux iſthæc, ornatum cœlum, exculta tellus, mundúſque totus affabrè fabricatus: ſic, cùm tenebræ eſſent ſuper *abyſſum* peccantis Adami, quæ etiam Marianam involuturæ *abyſſum* videbantur, placuit Divino Spiritui jam tum, magnâ ſollicitudine ſuper MARIAM quieſcere, ut luce gratiæ, mirum in modum, ante omnes peccati abyſſos illuſtrata, ardentiſſimâ charitate, virtutumque omnium elegentiâ, nullo non momento fuerit ornatiſſimè exculta, ſicque in dignam DEI Genitricem elegantiſſimè ab initio conceptionis fabricata. O ergo feliciſſima Divinæ miſericordiæ Abyſſus! O Virgo ter immaculata, quia *ante abyſſos concepta!* Ecce ad te confugimus: *Abyſſus, abyſſum invocat*, nos ſcilicet miſeri peccatores, tuam maternam pietatem! id unicum ſuppliciter flagitantes, ut ea nobis eſſe velis, quæ à Seraphico Bonaventurâ deprædicaris, nimirùm *Abyſſus, abyſſum invocans, interpellando pro nobis profundiſſimam miſericordiam Filij tui.* In Spec. Virg.

## §. 2. *Authoritas.*

436. IoannIs hIeroſoLIJMItanI, pro DEI GenItrICe sIne Labe, ſententIa.

*Beata MARIA de naturâ humanâ aliter fuit orta, quia in ſuo ortu non fuit onerata amaritudine delictorum, ſed inſtar illius nubeculæ fuit levis, per immunitatem peccatorum, & dulcis per plenitudinem chariſmatum.* De inſtitut. Monachorum. c. 32.

## §. 3. *Ratio.*

437. DEI patrIs, aC FILII, MIra æqVaLItas.

CHriſtus redemptor noſter, antequàm humanam aſſumeret carnem, ab æterno erat tantæ Sapientiæ, ac potentiæ, in eligendo ſibi Matrem, omnîs corruptionis expertem, quantæ fuit Sapientiæ, ac potentiæ Pater æternus, in producendo quoad intrà ab æterno coæquale ſibi Verbum: Atqui Pater æternus non potuit aliud Verbum producere, niſi ſibi gratum, ac expers omnîs corruptionis: Ergo etiam Redemptor noſter non potuit aliam eligere Matrem, niſi ſibi gratam, atque omnis corruptionis expertem. Sed peccatum originale tollit amicitiam DEI, ac incorruptionem animæ, & corporis. Ergo Chriſtus non potuit talem Matrem eligere, quæ haberet peccatum originale. Maj. Prob. Eadem Sapientia, Potentia, & Voluntas tanquàm prædicata abſoluta, ſunt in omnibus tribus Perſonis Divinis. Ergò ſi in Patre fieri aliter non potuit, quàm quòd produxerit Verbum ſibi gratum, atque expers omnîs corruptionis, etiam in Filio aliter fieri non potuit, quàm quòd elegerit Matrem ſibi gratam, atque omnîs corruptionis expertem.

## §. 4. *Hiſtoria.*

LVes MeDIoLanensIs, Voto Ceſſans. 438.

TEmpore Blanchorum, quo lues contagioſa ipſam Ciſalpinæ Galliæ Metropolim, Civitatem nempe Mediolanenſem pervadebat, ac locum hunc, populi multitudine refertiſſimum, crudelî plurimorum ſtrage jamjam depopulata fuerat, reſidui Urbis incolæ, ad ſpiritualia converſi remedia, Virginem præſertim Beatiſſimam in auxilium vocârunt, votum, in ejusdem honorem, unanimiter facientes, quòd ſi deſperatis aliàs rebus ſubvenire, ac potentî ſuâ apud Filium interceſſione, Civitatem crudelî peſte liberare dignaretur, Feſtum immaculatæ Conceptionis, hactenùs nondum celebrari ab ijs ſolitum, ſolennî ſingulis annis

nis, ritu peragere vellent. Et ſanè placuit Superis pium promiſſum, ac Beatiſſimam Numinis Genitricem in miſerorum civium pertraxit ſubſidium; Enimverò, vix votum emiſère, cùm, ceſſante omnî contagio, ab ulteriori periculo penitùs ſuère abſoluti. Crevit jam, ex die illâ, ſingularis ergà Virginem ſine labe conceptam devotio; quamvìs enim primus jamjam Mediolanenſium Dux ſummo ſemper amore erga immaculatam Deiparæ Conceptionem exarſerit, atque ad exhortationem Magiſtri Petri de Candiâ, jam ante adeptum Ducatum, Matrem miſericordiæ devotiſſimis frequenter precibus, per dictum Sanctiſſimæ Conceptionis privilegium, invocare conſueverit, (ut mirum videri non debeat, vel ideò Petrum hunc, ad ſummi Pontificatûs apicem, ipſum verò ad Ducis Mediolanensîs dignitatem, paullò poſt evectos fuiſſe) tamen dicto per Virginem beneficio, toti Civitati Mediolanenſi tempore peſtîs exhibito, devotio hæc, ingens per totam viciniam ſumpſit incrementum. *Bernardin. de Būſti Serm. 9. de Concept.* Ubi prætereà notandum, diverſas tam Italiæ, quàm Hiſpaniæ Civitates, à peſtiferâ lue ſimiliter liberatas, voto facto, majorî celebritate ſupradictum Conceptionis Feſtum peragendi. ex quibus Genua Anno 1579. Florentiæ Anno 1633. Civitas Hueſca Aragoniæ Anno 1450. Civitas Meſſina Anno 1650. ac ſpecialiter Roma, tempore Alexandri VII. cùm enim in Vigiliâ ejusdem Feſti, multi tam Religioſi, quàm ſæculares, orando, ac jejunando puriſſimæ Virginis opem imploràſſent, peſtis confeſtim decreſcere, perque immaculatam hanc DEI Genitricem, paullò poſt ex toto ceſſare viſa eſt. ut meritò altefatus Chriſti in terris Vicarius, inſtitutâ ſolenni Proceſſione ad S. MARIAM in Porticu, talem liberationem potentiſſimo MARIÆ auxilio gratus adſcripſerit. *Diar. Marian. Franciſci Marcheſe.*

## §. 5. *Symbolum.*

HeLIotropII, aD SoLIs Iter, 439.
MIra ConVersIo.




Solis amicus ego, convertor ſemper ad iſtum,
Hunc ſequor, ad metam tendimus ambo parem.
*Solis* amica parens *Divini*, ſemper ad iſtum
Vertitur: Hinc maculam neſcit uterque parem.

*Ad me converſio ejus.* Cant. c. 7. v. 10.

## §. 6. *Antiquitas.*

MeDVſa terrIfICa, obtrVnCata. 440.

PErſeus, generoſiſſimus Juvenis, cùm mandatum à Pallade accepiſſet, ut vindictam de Meduſâ ſumeret, eò quòd plurimos illa homines, eam aſpicientes, convertiſſet in lapides, mox promptum ad juſſa, licèt ardua, ſeſe exhibuit: cui hunc in finem Mercurius ipſe Talaria, & falcatum enſem ſuppeditavit, Pluto Galeam, Pallas Ægidem ære adeò ſplendidam ſubminiſtravit, ut Gorgoniam faciem poſſet impunè aſpicere. Hiſce ergo confiſus Numinum armis, non dubitavit, Meduſæ in occurſum procedere, quam à tergo animosè adorſus, caput illi validiſſimo impetu amputavit, illudque, com-

complicatis licèt anguibus terrificum, feliciter tamen à ſe obtruncatum, Palladi detulit. *Lucan. l. 9.*

Quid jam Meduſa ſuperbiens, terrifica, & ad hominum nata perniciem denotat, niſi ſuperbi Luciferi, in mortalium, ſuum aliquandò in locum ſubrogandorum, perditionem intentiſſimi, indefeſſam audaciam, cruentis indeſinenter cladibus etiamnùm intentam? Quid Perſeus, raræ virtutis Heros, à Pallade ſubmiſſus, niſi mulierem illam fortiſſimã, ac Amazonum omnium facilè Principem, MARIAM? à Divinâ ſapientiâ, eum in finem, ſubmiſſam, ut immaculatâ ſuâ Conceptione, vindictam de hoſte infernali ſumeret, tot ſtragibus, in Adami poſteros commiſſis, ſuperbo? quem in finem, non ficta quædam Poëtarum Numina: Mercurius, Pallas, Pluto, &c. ſed tota Sacroſancta Trinitas, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, arma Divinæ protectionis validiſſima MARIÆ ſuppeditavit, quibus freta, inimicum auſu generoſiſſimo aggreſſa, infernalem Meduſam gloriosè proſtravit, vipereumque caput, toti orbi terrificum, primo conceptionis articulo, valido impetu contrivit, ac gloriosè conquaſſavit, &c.

## §. 7. *Anagramma.*

DeIpara! Te pVrè ConCeptaM IVro. 441.

*Ave! Te dignam juro, ſine maculâ partam.*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXIV.

## §. I. *Scriptura.*

CLara LVCerna VInCens
442. peCCatI NoCteM.

Proverb. c. 31. v. 18. *Non extinguetur in nocte Lucerna ejus.*

O Denſiſſimas infauſtæ noctis tenebras, quas originale peccatum, omnî, proh dolor! extincto Divinæ gratiæ lumine, mundo invexit! O ſomnolentum, ac prorsùs incurium propriæ felicitatis cuſtodem Adamum! quem illis Iſaiæ verbis non immeritò alloqui poſſumus: *Cuſtos quid de nocte? cuſtos, quid de nocte?* c.21.v.11. quid enim mirum, ſi peccatum originale *nocti* comparetur, ſi hâc ipsâ ſimilitudine Divus quoque Chriſti collactaneus uti voluit, hæc habens: *Quid autem eſt nox frigida, & obſcura, niſi originale peccatum, frigidum concupiſcentiâ, obſcurum ignorantia?* Bernard. Serm. 4. ſuper Salve. & ſanè horrendam hujus *noctis* caliginem attentiùs conſiderans celeberrimus ille patientiæ Princeps Jobus, cohibere ſe non potuit, quin in hæc verba prorumperet: *Noctem illam tenebroſus turbo poſſideat, non computetur in diebus Anni, nec numeretur in menſibus: ſit nox illa ſolitaria, nec laude digna.* c. 3. v. 6. & 7. In hac igitur denſiſſimâ peccati originalis *nocte*, quamvìs ob impiam Protoparentum noſtrorum Divinæ Legis transgreſſionem, omne illis, eorumque poſteris gratiæ lumen fuerit extinctum, juxta illud: *Mandatum lucerna eſt, & Lex lux*: Prov. 6. v. 23. ut verificatum quoque fuerit illud: *Lucerna impiorum extinguetur*, Prov. 24. v. 20. minimè tamen fuit extinctum, nec in illâ communî caligine comprehenſum gratiæ lumen in Deiparâ, dum conciperetur, ſic atteſtante Evangeliſtâ: *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non* Jo. 1. v. 5. *com-*

*comprehenderunt*, quæ hanc ipſam ob cauſam à S. Cyrillo *Lucerna inextincti luminis*, [Hom. 6. contra Neſtor.] & à Leone Imperatore *Lucerna perpetuò lucens, & nunquam extincta, per quam à tenebroſâ peccati morte liberati ſumus, & liberamur &c.* [Orat. de Aſſumpt.] deprædicatur. Adducere hìc poſſem longam, per omnia ſæcula, Patrum, & Doctorum ſeriem, qui ut *lucernæ ardentes* luxerunt in domo Domini, niſi ſupervacaneum prorſus videretur, lucernas proferre in meridie, cùm interim hi omnes unâ voce proclament, non extinctam in *nocte* Conceptionis Marianæ lucernam originalîs innocentiæ. Quis ergo dubitet, de Maria & non de alio quodam intelligendum eſſe illud: *Non extinguetur in nocte lucerna ejus?* præſertim, cùm ille in Mariam venire, & ex eâ prodire ſtatuerit, qui totum ſerenat, irradiat, & infulgurat Paradiſum, de quo ſcribitur: [Apoc. 21. v. 23.] *Claritas DEI illuminavit eam, & lucerna ejus eſt Agnus.* Ex hoc enim facilè nobis perſuaſum habere poſſumus, eandem ipſam lucernam, illud ipſum candelabrum glorioſum, corpus quoque, & animam futuræ Genitricis perfectiſſimè illuminâſſe. Meliori proinde jure, quàm ſuprà nominatus Jobus, gloriari de ſe Maria poterat: [c.23.v.17.] *Non perij propter imminentes tenebras, nec faciem meam operuit caligo.* Quare? cauſam ipſa alibi inſinuat, Numinisque ſingulare adjutorium grato animo agnoſcens, Dominum adjuvantem deprædicat, dicens cum Pſalmiſtâ: [Pſal. 17. v. 29.] *Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine: DEUS meus illumina tenebras meas; quoniam in te eripiar à tentatione.* item: [Pſal. 16. v. 3.] *Probaſti cor meum, & viſitâſti nocte, & non eſt inventa in me iniquitas.* Sic enimverò, licèt alij quidam, cum Vate Regio, dicere poſſint: *DEUS, DEUS meus, ad te de luce vigilo:* [Pſal. 62. v. 1.] dicere tamen Maria cum eodem Pſalmographo ſola poterat: [Pſal. 76. v. 4.] *Anticipaverunt vigilias oculi mei*, utpotè quæ tanquàm *clara Lucerna*, à DEO jam abinitio ſuæ Conceptionis ſingulariter illuminata, ſemper fuit *Lucerna ſplendens ſuper candelabrum Sanctum*, [Eccli. 26. v. 21.] ac medias inter originariæ labis tenebras non tantùm inextincta, verùm etiam clariſſimis Divinæ gratiæ radijs jugiter reſplendens, omnem peccati *noctem* vicit, labisque neſcia, cunctam prorsùs caliginem perpetuò ex animâ proſcriptam habuit. O animam feliciſſimam ſimul, ac lucentiſſimam! quæ velùt jugis lucerna, ſemper permanſit accenſa, coram Divino Altari, & nunquam fuit extincta, ſed ſervavit lumen Divinæ gratiæ, præbendum viatoribus, unde poſſint videre viam ſalutis. Dico igitur, pro concluſione Conceptûs, idem, quod magnum olim Eccleſiæ lumen, S. Auguſtinus, auditoribus paternè è pulpito inculcavit: *O homo! ſi non potes Solem, ſaltem attende ad lucernam, ſi non potes DEUM, ſaltem hominem imitare!* [Serm. de S. Steph.] Dixerat hoc Auguſtinus de S. Protomartyre Stephano: dico ego idipſum de puriſſimâ Numinis Genitrice. Hanc lucernam attende, hanc DEI hominis Matrem imitare! & cùm non poſſis ab originalî, ſaltem ab actualibus, tam mortalibus, quàm venialibus peccatis pro viribus abſtine: ut mediante clarâ hac lucernâ, Virgine Deiparâ, per tenebroſam mortalîs vitæ caliginem, ad æternam claritatem pervenias.

## §. 2. *Authoritas.*

### S. IrenæVs, DeIparæ pVrè ConCeptæ aMator. 443.

1. *Conſentaneum erat, ut ſicut per fœminam, Adamum ſeducentem, mundus fuerat perditus, per fœminam CHRISTO inſervientem reſtauraretur.* Lib. 3. contra Valent.
2. *Prudentia ſerpentis in ſimplicitate columbæ devicta.* L. 5. c. 15. contra hæres.
3. *Adhuc protoplaſti peccatum, per correctionem primogenitæ, emendationem accipiens, &c.* L. 5. cap. 19.

## §. 3. *Ratio.*

444. DVo perfeCtè ContrarIa, non Manent VnIta.

BEatiſſima Virgo in primo inſtanti ſuæ productionis, ſeu Conceptionis, fuit Dominatrix dæmonum; ſic enim prædictum videtur Chriſto, per Davidem Pſal. 1 0 9. v. 2. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.* Ergo Beatiſſima Virgo non potuit tunc contraxiſſe peccatum originale. Prob. Conſeq. Implicat abſolutè, ut ſimul quis ſit reſpectu ejusdem Dominus, & ſervus. Atqui, juxta citatum Scripturæ locum, Beatiſſima Virgo erat jam tum Domina dæmonis, & ſimul fieret ſerva ejus, per peccatum originale, ut patet. Ergò, cùm hoc verificari nequeat, etiam verificari non poterit, quòd Beatiſſima Virgo contraxerit peccatum originale. Maj. Prob. Duo perfectè, & privativè contraria nequeunt ſimul eſſe unita, ſeu ſubjectari in eodem (numero) ſubjecto; ita implicat, evidenter, in eodem (numero) homine, mors & vita: gratia & peccatum, &c. quia nempe ſunt privativè oppoſita. Atqui dominium, & ſervitus ſimili modo ſunt privativè oppoſita. Ergo nequeunt ſimul manere, in MARIA, unita.

## §. 4. *Hiſtoria.*

445. CanDeLæ aCCenſæ ConſerVatIo, à DeIparâ, absqVe Labe ConCeptâ.

MIraculoſis planè eventibus annumeranda eſt, perpetua illa candelæ, à Joanne Anachoretâ accenſæ conſervatio; cùm enim celeberrimus hic eremicola, in partibus cujusdam villæ (Sochus nuncupatæ) 20. ferè milliaribus ab Hieroſolymâ, in quadam degeret ſpeluncâ, devotè aſſervabat affectuoſam Virginis immaculatæ Imaginem, Chriſtum Filium ſuis in ulnis geſtantem. hinc quotiescunque peregrinationem, pro more, ſuſcepturus erat, tum ad Montem Sinai, tum per vaſtam ſolitudinem, ad viſitanda Sanctorum Martyrum ſepulchra, quibus ſpecialiſſimè devotus, modò Epheſum pergebat ad S. Joannem, modò Euchaitam ad S. Theodorum: nunc ad S. Theclam, in ſeleuciam Iſauriæ, nunc ad S. Sergium, in Saraphas: tum denique Hieroſolymam, ad adorandam ibidem Sanctiſſimam Chriſti Crucem, & alia Sacra loca ſubeunda, accendere interim candelam ſolebat, ſpecialiter Sacræ illius Imaginis honori deſtinatam. Cùm ergò die quadam, coram dictâ Virginis illibatæ effigie, in preces effuſus perſiſteret, in hæc devotione pleniſſima prorupit verba: Sancta MARIA, DEI Genitrix ſemper immaculata! quandoquidem longiori me itineri proximè cōmittere ſtatui, diebus pluribus perficiendo; Obſecro! tuæ Tu candelæ curam habeas, eamque, ut jugiter ardeat, ac nunquam intereà extinguatur, conſerva! ut omnis exinde populus intelligat, in Te quoque gratiæ lumen conſtanter à DEO ſervatum, nullo fuiſſe momento extinctum; Hac enim ſpe fretus, ac in Tuum confiſus adjutorium, propoſitum iter conſolatus arripio. Dixit: & accensâ coram Imagine candelâ, arduo ſe itineri commiſit. Mirum dictu! poſt menſis unius ſpatium, ad eremum reverſus, ita candelam hanc ardentem reperiebat, ac conſervatam, prout illam ante diſceſſum accenderat: imò cùm poſtmodùm per duos, vel tres, imò per quinque, aut ſex quandoque menſes, cellâ ſuâ exeſſe contingeret, vel etiam ſi domi, per tempus aliquod, ſubſiſtere placeret, nunquam hanc candelam à ſeipsâ vidit extingui, Virgine Deiparâ evidens inextincti gratiæ ſuæ luminis teſtimonium, per hanc ſuæ Imagini dicatam candelam miraculosè demonſtrante. *Sophronius Prati Spirit. c. 80. cit. in Concil Nicæn. Act. 5.*

§. 5.

## §. 5. *Symbolum.*

446. LaMpas', ab ADæ Labe IneXtInCta.




Non nocet accenſo venti violentia lychno,
Quem, parte ex omnî, vitrea ſcuta tegunt.
Et ſuperare queat maculæ violentia Matrem,
Quam Sacra tet putam protegit ipſa Trias?

*Non extinguetur in nocte Lucerna ejus.* Prov. c. 31. v. 18.

## §. 6. *Antiquitas.*

447. poLIJpheMVs, atroX CIJCLops, RegIonIs sICILIæ, ab VLIJſſe IVVene eXoCVLatVs.

INter cætera Cyclopum portenta, illum Siciliæ tractum incolentia, ubi Ætna Mons formidabilî flammarum ejectamento pluriès clareſcit, ob corporis partim vaſtitatem, partim ob animi atrocitatem, plurimùm timebatur Polyphemus ille, qui paſtorem cùm ageret ovium, voraciſſimum ſimul hominum lupum agere conſuevit, quos ex inſidijs interceptos ad ſaxum violenter elidere, crudeliter enecare, artusque tabo fluentes inſolentî barbarie devorare, ſummis in delicijs habebat. Accidit, ut poſt varios caſus, marisque complura feliciter ſuperata diſcrimina, ad littus illud die quâdam appelleret Ulyſſes, juvenis generoſitate nemini illius ætatis ſecundus: verùm vix è navigio cum ſocijs ad terram deſcenderat; cùm ecce! ab atroci illo Cyclope adeò fuêre intercepti omnes, ut evadere ultrà difficillimum videretur, hominis ferini rabiem, humanum ſanguinem avidiſſimè ſitientis. Quid ergò ageret Ulyſſes, ſi præſens evadere vellet à voraciſſimo Gigante periculum? Audite! immani propinat monſtro vini generoſiſſimi poculum, cujus hauſtu ſopitus Gigas, mox humi reſupinus ſtertere cogebatur: quam occaſionem ſibi exoptatiſſimam ſine morâ arripiens Ulyſſes, Cyclopis rhonchos emittentis oculum, quem unum habebat, acuto ſtipite effodit, ſicque exoculato feliciter Gigante, victor cum ſuis ad navim reverſus eſt. *Homerus 10. Odyſſ. Servius. Virgil. &c.*

Formidabilis ille tartareorum Cyclopum anteſignanus Lucifer, eas inferioris terræ partes incolens, quæ longè majori, quam Ætna Mons, flammarum ſulphurearum ejectamento horrendùm illuſtrantur, voraciſſimum utique monſtrum ſe exhibuit, dum protoparentes noſtros, cum totâ illorum futurâ progenie, orcinâ prorsùs barbarie, in animâ enecavit, vixque conceptum hominem, primo ſtatim temporis momento, ſibi in prædam abſtulit, & etiamnùm aufert. Venit autem in mundum hunc immundum Virgo quædam puriſſima, Maria: Hæc Ulyſſem illum ſagacitate ſimul, ac fortitudine immensùm ſuperans, ut ſeſe è proximo periculo, ob debitum contrahendæ communîs labis eriperet, tartareo illi Polyphemo, tot jam ſtragibus fatigato, poculum exhibuit generoſiſſimi vini, *calicem* nimirùm *ſalutarîs*, quem bibiturus erat Filius ex ſe naſciturus, id eſt, Sacratiſſimam Chriſti Paſſionem, ac Mortem, pro omnibus in redemptionem, pro ſe autem in præſervationem

onem impendendam; ad cujus, non dico hauſtum, ſed primum tantùm odoratum, adeò debilitatus eſt Lucifer, ut omnibus viribus deficientibus, ac totus à pulchritudine puriſſimæ animæ excæcatus, nullam ei vim, aut nocumentum in Conceptione afferre potuerit.

§. 7. *Anagramma.*

AgnVM DEI pVra àpeC-
Cato parIes. 448.

*Verum DEI Agnum intacta à malo paries.*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXV.

§. I. *Scriptura.*

449. VIrgo pVrè ConCepta, nIgra
ſeD forMoſa.

Cant. c. I. v. 4. *Nigra ſum, ſed formoſa.*

QUid eſt hoc? dilectiſſima Spiritûs Sancti Sponſa, Virgo Beatiſſima! quòd Sacris in Canticis, nigro Temetipſam calculo deſcribere non verearis, dicendo: *Nigra ſum, &c.?* Ergóne Tu, quam nive candidiorem ſemper ſuſpeximus, quam telam mundam omni tempore credidimus, quam candidiſſimam pacis columbam hactenùs venerati ſumus, nigredinem induiſti, colori candido per omnia adverſantem? An neſcis, deſtitutam omnî luce nigredinem? quomodò ergò adhærere tibi hic color obſcurus poterit, quam omni ex parte luce veſtitam, corona ſtellarum duodecim in capite, Luna ſub pedibus, Sol toto in corpore exornat? *Quæ enim ſocietas luci ad tenebras?* 2. Corinth. 6. v. 14. An neſcis, nigredinis uſum in triſtibus plerumque eventibus, ac mortis caſibus adhiberi, & ad peccata potiſſimùm referri? Quomodò ergò tu *nigra* dicaris, in quâ nec triſtitia, nec peccatum ullo momento locum invenire potuit? *Dilexiſti* enim, *juſtitiam* (ut cum Pſalmiſtâ loquar) *& odiſti iniquitatem: propterea unxit Te DEUS, DEUS* Pſal. 44. v. 8. *tuus oleo lætitiæ*, omnem triſtitiam proſcribentis. An neſcis, exoſam plerumque reputari nigredinem? juxta illud Martialîs:

> *Hic niger eſt: hunc tu Romane caveto!*

Quomodo ergo Tu *nigra*, quæ nemini exoſa, ſed *Mater amabilis*, *Mater pulchræ dilectionis*, ab univerſalî Eccleſiâ communiter ſalutaris? Verùm audire mihi videor MARIAM ſic reſpondentem: *Nigra ſum*, fateor, ſed nónne nigra plerumque videntur, quæ à nobis ſunt remotiſſima? ſic & ego *nigra*, eò quòd ob peccatum originale, vobis quidem omnibus, non autem mihi, à conceptione adhærens, longè à vobis ſim remotiſſima. *Nigra ſum*, fateor, ſed & *formoſa*, non talî affecta nigredine, quæ formam dehoneſtet, ſed quæ potiùs mirum in modum adornet: *nigra*, non ob culpam, ſed ob humilitatem. *Nigra ſum, ſed formoſa: nigra* ob debitum contrahendi peccati, *formoſa* ob peccatum minimè contractum: *formoſa*, quia pulchrior reliquis omnibus creaturis: *nigra*, quia non tam pulchra, quàm Filius meus. *formoſa*, ſi ſola ſpectetur puritas mea: *nigra*, ſi modum attendere placeat pulchritudinis, utpotè non naturalîs, ſed privilegiatæ. atque adeò *decoloravit me Sol*, Cant. 1. v. 5. Divinus ſcilicet Filius meus, *Speci-*

*oſus*

Pſal. 44. v. 3. *oſus formâ præ filijs hominum : cujus* pulchritudini ſi meam comparare ſtuduero, quamvìs cæteroquin *tota pulchra*, tota ſine maculâ, imò *pulcherrima inter omnes mulieres* & dicar, & ſim; nigram tamen, & deformem omninò, reſpectu illius, me profiteor: *formoſa* quidem, ſi cum creaturis quibuscunque, *nigra*, ſi cum DEO componar. Nec nigrum ſemper colorem adeò deſpectum, ac infauſtum credite; quemadmodùm enim ij, qui ad metam jaculantur, nil magis deſiderant, ac exoptant, quàm ut ad centrum pertingant, ſeu punctum illud unicum, nigro plerumque colore ſignatum, cujus attactu victoriam cum præmio præ reliquis reportant, deq; colore illo *nigro* ſibi fauſtiſſimo non parùm gloriantur; ſic mihi & ego præ reliquis omnibus gratulari poſſum, de puncto Conceptionis meæ, quamvìs *nigro*, utpote in utero materno omnîs adhuc lucis experte, quod nimirùm ſola, aberrantibus in Adamo cæteris omnibus, atque à DEO, centro ſuo, per prævaricationem longè recedentibus, directiſſimè tetigi, jam tum *formoſa*, quamvìs *nigra*, & necdùm in lucem edita, quia purè concepta. O dignum tantâ Sponsâ reſponſum! O candidam *nigræ* Virginis, ſed *formoſæ* mentem! Pergat modò præfatus Martialis dicere:

*Hic niger eſt hunc tu Romane caveto!*

dicam ego idipſum de Virgine, ab omnî labe puriſſimâ:

*Hæc nigra eſt, hanc tu Mariane caveto!*

Sed quid? ergóne cavendum erit ab illâ, cujus totiès pulſare fores, ab ejúsque maternâ miſericordiâ opem præſtolari neceſſe habemus? verùm (omnî remoto ſcandalo) audi, quid ſentiam:

*Nigræ, ac formoſæ cùm veneris ante figuram,*
*Prætereundo cave! NB. ne ſileatur ave.*

Caveto præterea, tangere, ac impetere, pertinacî conatu, hoc *nigrum* punctum honoris Deiparæ, jaculo linguæ, niſi quam habere poteras miſericordiæ matrem, velis aliquandò experiri impietatis ultricem.

## §. 2. *Authoritas.*

### IVo CartnotensIs, pVraM DoCens. 450.

*Quomodò Matrem carnis ſuæ Sanctificaverit, deinceps audiamus, ut inde lætetur Catholicus, immundus confutetur hæreticus. Omnem quippe nævum, tam originalîs, quàm actualîs culpæ in eâ delevit, ſicque carnem de carne ejus ſumens, eandem in Divinam munditiam transformavit.* Serm. de Nativ. Dom.

## §. 3. *Ratio.*

### CICero, IVre, pro DoMo sVâ. 451.

Quandò in communî neceſſitate (ubi nempe debacchantes undique flammæ integram Civitatem, vel plateam in cineres, ultimamque præſentem perniciem redigere minitantur) ante omnia ſuæ quisque proſperitati, ac indemnitati proſpicit, ſe, domumque ſuam à graſſantibus flammis cuſtodire, & è præſentî manifeſto periculo eripere, ac præſervare, omnibus viribus, ac modis allaborat, nemini id à quoquam mortalium vitio vertendum eſt; cùm exinde ortum videatur commune adagium: *Cicero pro Domo ſuâ.* Sed Beatiſſima Virgo fuit Domus Chriſti Domini, in primo inſtantî Conceptionis, quamvìs nondum actu inhabitata, tamen in eam electa, & ab æterno præordinata, ut ibi per novem Menſium ſpatium habitaret. Ergo nec Chriſto vitio vertendum eſt, ſi in communî illâ neceſſitate, quandò mortifera peccati originalis flamma in univerſum genus humanum debacchari cœpit, omnesque jam Adæ filios

lios in extremam perniciem, & miſeriam præcipitavit, à tam deplorabili ruinâ ſalvam, & incolumem conſervare voluit, omnibusque ſuis viribus præſervare Domum ſuam, MARIAM, adhibitis etiam hunc in finem efficaciſſimis Paſſionis ſuæ Sacratiſſimæ meritis.


## §. 4. *Hiſtoria.*

452. BernarDI apparItIo, ob feſtIVItateM ConCeptIonIs.

DIvus noſter Bernardus, Claravallenſis Abbas clariſſimus, ut miraculis, & virtutibus illuſtris, ita Virginis Deiparæ cultor celeberrimus, cui hanc ipſam ob cauſam datum eſt, ex Matris Virgineæ apertis uberibus, dulciſſimum lactis nectar ſugere: quod bibere licuit, hoc melleis ſuis de MARIA ſcriptis jugiter eructavit. Hic poſtquàm Sanctis laboribus immortuus, Cœlos petijt, devoto cuidam Ordinis ſui Religioſo ſpectabilem ſeſe reddidit, totus lucidus, ac Cœleſtî quodam ſplendore gloriosè circumfuſus. Cæterùm cùm omne ejus indumentum puriſſimum eſſet, ac candidiſſimum, ſolo tamen in pectore, quædam nigerrimi coloris macula, licèt perexigua, obſervabatur. Miratus deſuper Religioſus, Divum ſuum Abbatem ita alloquitur: Pater Sancte! quid eſt, quòd tanto undique ſplendore coruſcans, Cœlique jam civibus feliciſſimè adſcriptus, modicam tamen illam nigri coloris notulam tibi adhærentem circumferas? cui Bernardus: Ne terreâre, Fili! cum tali equidem maculâ tibi volui comparere, eam præcisè ob cauſam, quòd dum viverem, licèt magnæ Cœlorum Reginæ cæteroquin devotiſſimus, atque author Hymni illius MARIÆ gratiſſimi: *Ave Maris ſtella, &c.* per modicum tempus, in quâdam extiti non verâ opinione, exiſtimans, Virginem hanc Beatiſſimam, originalem in Conceptione maculam contraxiſſe: Scito autem, & alijs notum facito, fuiſſe illam ſine omnî labe conceptam, ejusdemque Feſtivam memoriam meritò in terris celebrandam; cùm & in Cœlo, quod feliciter mihi datum eſt inhabitare, fieri Feſtum Conceptionis, jugiter expertus ſim. quibus dictis Apis hæc Mariana diſparuit, atque ad Cœleſte alveare, melle Divino pleniſſimum, ſe recepit, ingentî dulcedine in animâ Religioſi hujus relictâ. *Bernardin. de Buſti Serm. 8. de Concept. & in Officio diei 2. Lect. 5.*

## §. 5. *Symbolum.*

qVo pLVrIes In beLLo traIICIVntVr VeXILLa, 453.
hoC, MagIs eXCeLLVnt ſerVata.




Bellica quantumvìs monſtrent Vexilla frequentes
Sciſſuras; tamen hinc gloria major erit.
Quò magis impugnata, tamen Conceptio pura
Non timet hos ictus: gloria major erit.

*Sufficit tibi gratia mea; nam Virtus in infirmitate perficitur.* 2. Corinth. c. 12. v. 9.

§. 6.

## §. 6. *Antiquitas.*

454. ForMosVs CarCerI traDItVs.

TEmpus erat, quo Nicæas, periſſimus Athenienſium Conſul, ac cuſtos juſtitiæ tenaciſſimus (*Teſte Plutarcho*) certum quendam juvenem, gravîs cujusdam ſceleris reum inaudijt: quem proinde in judicium vocatum, ac poſt ſtrictum examen, delictum ſuum jugiter confeſſum, teterrimo addixit carceri, & vilîs inſtar mancipij, eò detruſum haberi juſſit. Erat cæteroquin reus hic juvenis admodùm formoſus, ac inſolitæ cujusdam venuſtatis: quam reliqui fortè Conſiliarij conſpicientes, ſic ſuas apud Nicæam preces unanimiter interponebant: Nicæa! Judex æquiſſime pariter, ac ſapientiſſime! quid agis? cur elegantis adeò ſpeciei juvenem, ſquallentî carcere clauſum retines? Peccavit fortè? Sed auro diſſolvendum ferrum, pecunijs vincula redimenda; neque enim dignum nobis videtur, ut tanta formæ elegantia, quæ reum hunc præſtantiſſimè exornat, adeò obſcuris arctæ cuſtodiæ tenebris abſcondatur: Dona ergo noſtris illum precibus, & quem damnavit culpæ gravitas, formoſa ſpecies abſolvat! Audijt Nicæas amicorum interventionem, & ob eandem captivi juvenîs inſignem pulchritudinem, è carcere illum quantocyùs educi curavit, ac indemnem priſtinæ libertati aſſeruit.

Quis jam, obſecro, pulchriorem unquam viderit creaturam, quàm Virgo fuerit Beatiſſima, Numinis digniſſima parens? nonnè hæc ex ore Gregorij Nicomed, *Orat. de Oblat.* eſt *pulchritudo pulcherrima pulchritudinis, pulchrorum omnium ſummum ornamentum?* nonnè hæc illa *pulchritudo admirabilis, quam* (Teſte Tuitiensî noſtro Abbate, l. 3. in Cant.) *admiratur, & collaudat Author ipſe pulchritudinis?* nonnè de Maria, multò magìs, quàm de Eſthere c. 2. v. 15. dici poteſt: *Erat formoſa valdè, & incredibilî pulchritudine, omnium oculis gratioſa, &c.?* de qua ipſe etiam Cœleſtis Sponſus teſtimonium perhibet, dicens: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Si ergò indignum æſtimârunt Athenienſes, formoſum juvenem, quamvìs prævaricatorem, carceri tradi, non certè decebit, ut, per minimam etiam temporis particulam, captiva ſatanæ credatur Virgo, quæ *tota pulchra*, ac *formoſa*, nullius unquam maculæ, ac prævaricationis particeps fuit.

## §. 7. *Anagramma.*

eCCe, parItVra agnVM DeI! 455.

*En paritura es Agnum Dei, O immaculata!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXVI.

## §. I. *Scriptura.*

456. ILLIbata DeIpara, LILIVM Inter ſpInas.

Cant. c. 2. v. 2. *Sicut Lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter Filias.*

NOn immeritò quidem, Sacris in Canticis, dilectus Paradiſi ſupremam amicæ, ac Sponſæ ſuæ puritatem demiratur, inque eâ ſummè delectatus, ſuaveolenti illam Lilio componit, è cruentis ſpinarum aculeis prognato, gratiſſimâ cum metapho-

taphorâ inquiens : *Sicut Lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Candidè enim fateor, candidiſſimam illibatæ Deiparæ, per *amicam* intelligendæ, Conceptionem humanis repræſentari intellectibus meliùs vix poſſe, quàm per figuram Lilij, quamvìs ſpinis undique circumdati. Enimverò, quid aliud per *Lilium*, quàm MARIÆ venuſtas, quid per *Spinas*, quàm immunis ab omnî labe puritas depingitur? Lilium certè æſtimatur à formâ ſuâ, ab odore, à virtute, à colore, quibus omnibus qualitatum ſpeciebus, Liliis omnibus præſtat Deipara; formam enim, & odorem quod attinet, ſi Petrum conſulamus Damianum, in
Serm. 3. de Nativ. B. V. hæc verba diſcurrit: *De ſpinoſâ progenie Judæorum nata, candeſcebat munditiâ virgineæ caſtitatis in corpore, flammeſcebat ardore geminæ charitatis in mente, flagrabat odore boni operis, &c.* & ſanè, quæ aut fragrantia, aut odorum ſuavitas, cum ſuaveolentiâ illius æquari valeat, quæ undique gratiam, ac beneficentiam, undique benignitatem ſpirat, ac dulcedinem? Virtutem Lilij ſi conſideremus (*teſte Plinio, ac Dioſcoride*) medicinalis eſt herba, abſolvit à leprâ, ac vertigine, debiles confortat nervos, ulcera ſanat, ac ſerpentum præſertim medetur ictibus; ut enim
L. 3. c. 90. ait Dioſcorides: *Folia illita ſerpentum morſibus ſubveniunt.* quod Plinius de radice præſertim affirmat, dum ait:
L. 21. v. 19. *Radices Lilij, multis modis, florem ſuum nobilitârunt, contra ſerpentum ictus, &c.* Si ergo MARIA à Cœleſti Sponſo *Lilium* dicitur, quis negabit, *Radicem* immaculatæ ejus Conceptioni reſpondere? cùm conceptio, radicis ad inſtar, totius vitæ ſit principium. & quid *ictus*, ſeu morſus ille ſerpentis aliud eſt, quàm culpa originalis, per infernalem colubrum protoparentibus afflata, & exindè in omnes homines transfuſa? à quo tamen morſu ſola excipitur Virgo Deipara, utpotè in ipsâ vitæ ſuæ *radice*, ſeu conceptione, omnes nocendi vires venenoſo ſerpenti adimens, ac in præſens veneni originalîs remedium, mundo quoque ſaucio, Filium aliquando Chriſtum progenitura. De Lilij colore quid referam? Albicat certè in folijs, quorum candor tantus, ut cum nivibus certet: quod Virginis integerrimæ & pudicitiam, & incomparabilem puritatem eximiè adumbrat, cùm & illa ſit *candor lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ.* Sap. 7. v. 26. Teneritudo prætereà Lilij tanta eſt ut nec exigui cuſpidis, aut acûs punctionem in folijs ſuſtineat: halitus tam ſuavis, ut omnium facilè florum fragrantiam ſuperet. Et nonnè hæc omnia clarè in illibatâ reperiuntur Deiparâ, quamvìs medias inter ſpinas progerminatâ? tantam enim in illâ obſervabis teneritudinem, ut nullum ſuſtineat ſpinarum aculeum, pulchrè idipſum aſſeverante Dionyſio Carthuſiano, his verbis: *Quamvìs multæ fuerint Virgines ſanctæ: tamen reſpectu Virginis Beatiſſimæ, quaſì ſpinæ fuiſſe videntur, in quantum aliquid culpæ habebant: & quamvìs in ſe fuerint mundæ, non tamen fuit in eis fomes prorsùs extinctus: fuerunt & alijs ſpinæ, qui ex earum intuitu, concupiſcentiâ pungebantur: Porrò Deipara Virgo ab omnî culpâ fuit prorsùs immunis, fuit fomes peccati in eâ plenè extinctus, & tamen incensâ charitate erat repleta. Quare intuentium corda ſic penetravit, ſuâ inæſtimabilî caſtitate Virgineâ, ut à nullo potuerit concupiſci, imò potiùs intuentium libidinem ſtatim extinxerit.* In c. 2. Cant. Hæc prolixè Dionyſius. Meritò ergò præclara illa Benedictini noſtri S. Ordinis Lumina, Ildephonſus, & Anſelmus, ambo Archi-Epiſcopalî dignitate inſignes, huic Sanctiſſimæ doctrinæ, de immaculatâ MARIÆ Conceptione, facem prætulerunt, totique Chriſtiano orbi accenderunt, ut vel ſic Marianum *Lilium inter ſpinas*, è *ſpinis* S. P. noſtri BENEDICTI, altiùs exurgeret, ac ſuaviùs redoleret: præſertim, cùm Divæ quondam Gertrudi noſtræ ipſamet Beatiſſima Virgo, candidiſſimi inſtar, & rutilantis *Lilij*, coram Sanctiſſimâ Trinitate ſe expandentis, comparere ſit dignata, hanc Salutationem ſibi in paucis gratiſſimam affirmans: *Ave candidum*

*Lili-*

*Lilium*, *fulgidæ*, *ſemperq́; tranquillæ Trinitatis!* cui Salutationi ſi & nos aſſueverimus, mediante candidiſſimo hoc *Lilio*, MARIA, à ſpinis peccatorum illæſi, ſerpentum infernalium morſus jugiter evademus.

### §. 2. *Authoritas.*

### S. IVſtInI MartIJrIs,
### 457. De ConCeptâ ſententIa.

1. *Nam DEI ſermonem audire, & exequi, virtutis eſt, animæque puræ, quæ tota ad DEUM ſpectat, quia non quamlibet de vulgo fœminam DEUS elegit, quæ Genitrix CHRISTI fieret, ſed quæ mulieres omnes virtute anteiret: non abs re ejusmodi virtutis nomine, Matrem ſuam beatam prædicari voluit, per quam virtutem, honore eo digna habita eſt, ut virgo Mater fieret.* Quæſt. 136.
2. *De Cœlo ad nos deſcendit, non corporalî deſcenſu, ſed Divinæ voluntatis efficaciâ, & ad eam diſpenſationem, uſus eſt ſequeſtrâ, Virgine ſtirpis Davidicæ, ſicut illi Regi promiſſum fuerat. Quomodo ſequeſtra eſſe potuit, ſi fuerit cum alijs hominibus obnoxia peccatis? An non propterea ſequeſtra erat inter DEUM, & hominem, ut ſe mediam exhiberet? & quomodo ſequeſtram ageret, cui opus erat reconciliatore, & ſequeſtro?* In expoſit. Fidei, de Trinit.

### §. 3. *Ratio.*

### SpVrIVs LegItIMatVs, æqVI-
### 458. VaLet CVrato à VVLnere,
### CVI Cohæret CICatrIX.

Baldus *c. final. de Translat. Epiſc.* ait: quòd *Spurius legitimatus, vel aliquâ aliâ ratione nobilitatus, ſimilis eſt ægro curato à vulnere, cujus ſemper aliqua remanet cicatrix.* Atqui etiam homines per peccatum, præſertim originale, dicuntur vulnerari, ſauciari, &c. Ergo licèt à vulnere peccati per gratiam curentur, tamen in eis ſemper remanet aliqua cicatrix. Jam ulteriùs infero ſic: Atqui in Beatiſſimâ Virgine nulla unquam fuit cicatrix: Ergò manifeſtum ſignum eſt, in Beatiſſimâ Virgine nullum unquam fuiſſe peccatum. Illatum Prob. Tota pulchra, & formoſa neceſſariò excludit omnem cicatricem: Sed Beata Virgo dicitur, in S. Scripturâ, *tota pulchra*, tota *formoſa.* Ergo in B. Virgine nulla potuit eſſe peccati cicatrix.

### §. 4. *Hiſtoria.*


### DeIparæ ILLIbatæ IMago,
### In LILIo pVro. 459.

Antonius de Guero, SS. Theologiæ Doctor, & S. Scripturæ in Univerſitate Valentinâ Profeſſor, poſtmodùm Congregationis S. Philippi Nerij Superior, vir doctus admodùm, ac Religioſus, cùm Xantivam aliquando eum in finem profectus eſſet, ut ibidem, pro Feſto Aſſumptionis Virgineæ, ad id ſpecialiter invitatus, peroraret: inaudijt, eâ ipsâ nocte repertam fuiſſe ad murum primariæ Eccleſiæ affixam ſchedam, his verbis exaratam: *MARIA concepta in peccato originalî:* hinc ſummè indignatus, pro tuendo Deiparæ honore, mox Thema propoſitum im̃utavit, ac qui priùs de Aſſumptione loqui parabat, de immaculatâ Conceptione ſermonem inchoavit, pro argumento aſſumens verba illa: *Sicut Lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Cæterùm placuiſſe hunc Oratoris pro Virgine Zelum ipſi Cœlo, eventus indicat paullò poſt ſubſecutus. Obambulans enim, poſt dies aliquot, 20. Auguſti, Anno 1653. veſperî, abſolutâ cœnâ, amænum quoddam pratum, conſpicit fortè, inter eundum, pulcherrimum quoddam, ac candidiſſimum Lilium, inter ſpinas progerminans. Hoc cùm attentiùs conſiderat, ac cultro pauliſper terram effodiens, radicem ſanctâ curioſitate examinat, perfectam detegit figuram immaculatæ Virginis, totam candidam, Solisque radijs in capite, capillis per humeros defluentibus, ac Dracone pedibus ſubſtrato. Ad quod miraculum, proprijs oculis ſpectandum, plurimis convocatis, novam Antonius Concionem exorditur, de eâ-

dem immaculatâ Conceptione, magno præſentium motu, ac pietate. Utque extaret jugis tantæ rei memoria, Eremitorium in loco, quo flos inventus fuerat, excitatum, ac adjuncto poſt aliquot annos Sacello, Virgini immaculatæ dedicatum, ac conſecratum fuit, Anno 1664. Cæterùm cùm dictus præclariſſimus vir, B. Virginem enixè rogaret, ut iterum eâ procurante tale Lilium reperire poſſet, precibus minimè fruſtratis, denuò in vepreto Lilium reperit, immaculatæ Conceptionis imaginem pulcherrimè in radice repræſentans. qui proinde Flos, auro incluſus, ipſique Hiſpaniarum Regi Philippo IV. pro acceptiſſimo munere transmiſſus, ab eodem maximâ reverentiâ fuit aſſervatus. *P. Michaël Pexenfelder Hiſt. 99. & ab ipſo citati.*

## §. 5. *Symbolum.*

460. DeIpara VIrgo, Inſtar LILIJ CanDIDa.




Floribus è reliquis toto mihi vertice præſtant
Lilia; nam tribuit candor, odorq́ue decus.
Exuperat cunctos concepta Maria Beatos,
Quam ſine labe ornant candor, odorq́; magìs.

*Sicut Lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Cant. c. 2. v. 2.

## §. 6. *Antiquitas.*

oDor RoſaCeVs, BeſtIas In fVgaM repeLLens. 461.

Cùm Achilles, in Trojanâ obſidione, Hectorem interfeciſſet, ejusq́ue cadaver canibus, lupis, alijsq́ue beſtijs devorandum obieciſſet, à Venere illud inunctum fuiſſe fertur, oleo ex roſis expreſſo: cujus fragrantiſſimus odor tantum effecit, ut omnes illas feras, utut famelicas, longè in fugam repulerit, adeò ut nulla vis illi corpori, taliter delinito, illata fuerit. *Virgil. l. 1. Æneid. Homer. l. 23. Iliad.*

Fabulam narravi: hoc interim absque ſcrupulo ſentiendum adjungens, quòd, cùm hoſtis infernalis, in Paradiſi medio, in illo ſerpentem inter ac hominem congreſſu, Adamum, Protoparentem noſtrum, in animâ per peccatum interfeciſſet, ejusdemq́ue corpus, id eſt, totum humanum genus (cujus ille caput fuerat conſtitutus) ex illo momento, lupis, leonibus, canibus tartareis, *quærentibus quem devorent*, fuiſſet miſerè objectum, puriſſima interim Virginis Deiparentis Anima ſpecialiter fuerit à feris illis cruentiſſimis præſervata, Divinâ nimirùm miſericordiâ ſingulariter eam inungente, oleo ex roſis expreſſo, id eſt, pretioſiſſimo ſanguine, ex roſeis Chriſti vulneribus, olim in redemptionem omnium effundendo; Hujus enim ſacratiſſimi liquoris inexplicabilis fragrantia, jam tum à longinquo, cerberum infernalem, omnesq́ue ex orco beſtias, utut in Mariæ Conceptionem famelicos dentes exacuentes, adeò in fugam abegit, ut nec minima ab ijs violentia Marianæ gratiæ, ac innocentiæ inferri potuerit.

## §. 7. *Anagramma.*

E ConCeptâ VIte Maternâ, generanDa VIta. 462.

*Munda, ac peralma Vitis! O genera vitam!*
Verſio litteralis.
*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum*

De

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXVII.

## §. I. *Scriptura.*

463. pVra DeIpara, LeCtVs SaLoMonIs.

Cant. c. 3. v. 7. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt!*

DOrmi, ſi potes, peccator, & molli impoſitus lectulo, pro libitu requieſce! non dormiet interim, nec ad momentum requieſcet, vel mala de peccatis conſcientia, vel acerbus de perpetratis dolor. Davidem recogitemus, non jam Regem, populis imperantem, ſed vile peccati mancipium, utpote turpî (proh pudor!) flagitio, lectum Regium contaminantem. Expertus certè mox ille fuit continuum remordentis conſcientiæ motum, horologij ad inſtar, diu, noctuque inquietum; quemadmodùm enim hoc, ob dependens ex funibus plumbeum, ferreúmve pondus, movetur continuò, quieſcit nunquam: ſic aggravata, & funibus peccatorum circumplexa Davidis conſcientia diu, noctuque movebatur, pulſabat, torquebat, ipſómet de ſe atteſtante: Pſal. 37. v. 4. *Quoniam iniquitates meæ ſupergreſſæ ſunt caput meum, & ſicut onus grave, gravatæ ſunt ſuper me.* & licèt per verba illa, dolore pleniſſima: *Peccavi Domino, &c.* facilè culpam extinxerit, veniamque ſupplex obtinuerit, necdum tamen quietem capere vel in lectulo poterat, utpote, qui locò ſomni ibidem captandi, amaras pœnitentiæ lachrymas, ſingulis noctibus, ſuper ſtratum Regium effundere ſolitabat, ut jugiter impleret illud, quod in Pſalmis promiſerat: Pſal. 6. v. 7. *Lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo:* Taliter nimirùm oportebat, peſſimè cuſtoditum, turpique prophanatum adulterio lectum à Rege pœnitente reconciliari.

Verùm jam à Rege ad Reginam, à lecto peccatis ſordido, ad lectulum ab omnî inquinamento mundiſſimum convertamur! ad illum ſcilicèt, in quo Cœleſtis requieſcere Salomon, Verbum Divinum, voluit, puriſſimam nempe Virginem Dei Genitricem; Hæc enimverò *lectulus* ille *Salomonis* juremeritò nuncupari poteſt, cujus in utero, Chriſti Deitas humanam ſibi deſponſans naturam, novem menſibus ſuaviſſimè requievit, in cujus virgineo, ac prorſùs immaculato ſinu, DEUS infans ſæpe placidè, tanquam in centro, conquievit: Hæc inquam lectus ille Salomonis eſt, quem *ſexaginta fortes ambiunt*, adeò ſollicitè à fortiſſimâ Numinis præſervantis providentiâ cuſtoditus, ut nulli alteri unquàm communis, nullius turpitudinis, aut delicti conſcius, omnîs fœtoris in perpetuum manſerit excluſivus. Verè lectulus ſuaviſſimus, placidiſſimus, quietiſſimus: totus præterea floridus, plenus Lilijs ſemper candicantibus; quia in ipſo Conceptionis principio, ab omnî ſceleris labe penitùs alienus. Optimè proinde, ſingularîs doctrinæ Author, Galatinus, ſuper illa ſponſæ in Canticis verba: *Ecce tu pulcher es, Dilecte mi, & decorus! Lectulus noſter floridus, &c.* c. 1. v. ult. Mariam ita loquentem in medium adducit: *Quemadmodùm ego abſque Originalî labe concepta ſum, ita tu quoque amicus meus, & ideò pulcher es, & formoſus: Lectulus noſter, id eſt, Conceptio noſtra, eſt florida, & odorifera, abſque peccati corruptione.* L. 7. c. 8. O præſtantiſſimum igitur Divini Salomonis lectum, Mariam! Hunc lectum Gillebertus ita graphicè de-

Serm. 16. in cant. depingens: *Bonus, ait, lectulus, in quo nullus languor eſt, niſi fortè Divini languor amoris, qui non verſatur in infirmitate, ſed in jucunditate: bonus lectulus, qui non rigatur lachrymis, qui non in tenebris ſternitur, qui nihil in ſe habet triſte, nihil tenebroſum, ſed totum lux, & lætitia eſt, &c.* Hunc ergò lectum puriſſimum ambiunt non ſexaginta ſolùm fortes, verùm quamplurimi potentes de potentibus, Reges ſcilicèt, & Monarchæ, ac Heroes ex Heroibus, Viri nimirùm totius Chriſtiani orbîs, ſapientiâ clariſſimi, & ſtylo, & linguâ, & calamo gigantes, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, propter timorem peccati originalîs, abhorrentes famam quaſi violatæ, & conſtupratæ quondam animæ Virgineæ, nolentes, Filium DEI traxiſſe ab adulterâ ſuum ſanguinem, volentes Filio mundiſſimo Matrem, per omnia (quantùm dari poteſt) munditiâ parem. His proinde fortibus & nos conjungamur, Lectumque Salomonis Divini devotè ambientes, junctis oris, ac calami viribus, cuncta, quæ huic immaculato lectulo, Virgineæ nimirùm puritati adverſantur, quasì uno gladio, fortiter arceamus, ac propulſemus!

## §. 2. *Authoritas.*

B. LaVrentIVs IVſtInIanVs,
464. eXIMIVs pVræ VIrgInIs,
ILLIbatæ DeIparæ,
faVtor.

1. *Ab originali delicto nullus excipitur, præter illam, quæ genuit mundi Salvatorem.* Lib. de gradibus perfect. c. 1. poſt medium.
2. *Nemo, ab ipſo mundi initio, uſque ad temporis plenitudinem (duntaxat Mediatore, ejusque Genitrice exceptis) jugum dominationis ejus evaſit.* In Faſcic. Amor. c. 7.
3. *Ab ipsâ ſui conceptione, in benedictionibus eſt præventa dulcedinis, atque à damnationis aliena chyrographo - - - Noverat opus ſuum ille, qui fecerat, & quale futurum erat, certiſſimè agnoſcebat: Hinc eſt, quòd Virginem ipſam tam longo imbre ſpiritus irroravit. Erat planè ſicut à carnis colluvie immunis, ita & ab omnî peccati labe extranea.* Serm. de Annunc.
4. *Quæ ſanctificata in utero, ac ab omnì culpæ originalîs fuit liberata contagio, gratiæ plenitudinem, quam mente perceperat, protendebat exteriùs: Ipſam Spiritus cuſtodivit à carnis colluvione immunem, à libidinis delectatione expertem, à ſæculi amore alienam, atque ab univerſorum criminum contagione immaculatam.* Serm. de Nativ. B. V.
5. *Illam profectò, adhuc in matris utero decubantem, adamavit Verbum, ſibique in Genitricem elegit, utpote ſuperabundantî jam benedictione præventam, jamque Sancti Spiritûs magiſterio deputatam.* Ibid.

## §. 3. *Ratio.*

SapIentIæ DIVInæ eſt, eLI- 465.
gere MeLIora, & perfe-
CtIora.

SApientis moderatoris, ac artificis eſt, ut ad aſſequendum finem, & ſcopum, ſemper ea media intendat, & eligat, quæ perfectiora, & aptiora eſſe videntur, & judicantur; Atqui Chriſtus Dominus eſt ipſa Divina, & æterna Sapientia. Ergo ipſius eſt, ut ad aſſequendum Divini alicujus operis, & myſterij finem (inter quæ Incarnatio, & Redemptio generis humani non infimum locum tenent) ea media eligat, quæ perfectiora, & aptiora eſſe judicantur: Atqui habere Matrem ſine maculâ, eſt perfectius, & aptius medium, ad Incarnationem, & Redemptionem generis humani: Ergo omninò de Sapientia Chriſti eſt, ut ad perficiendum opus Incarnationis, & Redemptionis, eligat Matrem ſine maculâ.

* * *

§. 4.

## §. 4. *Hiſtoria.*

### 466. InfIrMItas ConCeptIonIs aDverſarIo obtIngens.

DEcumbebat per longum tempus, gravî preſſus infirmitate, ac hecticâ febrî vix non depaſtus, Franciſcus de Corijs, Nobilis Eques Mediolanenſis: quem fortè viſitans quidam amicus, Sacerdotalî in dignitate conſtitutus, poſt alios de rebus Spiritualibus diſcurſus, ſermonem tandem inchoat, de opinione circa Conceptionem Beatiſſimæ DEI Genitricis: quam infirmus quidem penitùs immaculatam tuetur, Sacerdote eidem contradicente, utroque autem ſuam fervidè opinionem defendente. Tandem juſtâ commotus indignatione infirmus, in hæc verba prorumpit: Juſtiſſime rerum omnium arbiter DEUS! cùm gravis hæc, me inter, & Sacerdotem hìc præſentem, exorta ſit de Matris tuæ Conceptione controverſia: dignare, obſecro! claro quodam ſigno, noſtras inter opiniones veritatem commonſtrare. adeò nimirùm zelus Domûs Divinæ Franciſcum hunc comederat. Et ecce! precibus, pro honore immaculatæ Virginis, gratiosè exauditis, eodem momento, à gravî infirmitate ſuâ Nobilis liberatur, adeò quidem, ut ea confeſtim in adverſarium Sacerdotem irruens, tanto illum tempore vehementer diſcruciârit, quouſque in ſeipſum dolenter reverſus, ac juſtam D E I vindictam humiliter agnoſcens, opinionem mutârit, Virginiſque impoſterùm Conceptionem non niſi illibatam deprædicârit. *Bernardin. de Buſtis Serm. 7. de Concept.*

## §. 5. *Symbolum.*

### VIrgInIs ConCeptIo, frangIt IraM D E I. 467.




Tormenti validam vim non niſi mollia frangunt,
Ni molle objicias, Mœnia preſſa ruent.
Vim validam fruſtrat maculæ Conceptio puræ
Virginis: offenſi frangitur ira DEI.

*In me tranſierunt iræ tuæ.* Pſal. 87. v. 17.

## §. 6. *Antiquitas.*

### NaVta CæſarIs De tIMore CorreptVs. 468.

DE Julio Cæſare memorant inter alia Scriptores, quòd, cùm aliquando, cæſis ab hoſte copijs ſuis, ipſemet maturâ ſibi fugâ conſulere cogeretur, atque eum in finem, ſuper fluvium quendam, perexiguâ cymbâ ſolus transportaretur, valido ventorum impetu excitato, ac procellis inde ad horrorem inſurgentibus, nauta, ſeu vector Cæſaris, ob tantum tantæ Perſonæ iminens periculum, valde timere cœperit, ac trepidare: quem tamen Cæſar imperterritus hiſce verbis corripuit, ac mirum in modum animavit: *Nil metue! Cæſarem enim vehis, & fortunam, ac felicitatem ipſius.* Pauca verba, ſed ad depo-

ponendum omnem metum vectori illi ſufficientiſſima!

Quid porrò, devictis ab infernalî hoſte protoparentibus, ac cunctâ eorundem progenie, inſurgentibus hoc ipſo originalîs maculæ, Divinæque iræ procellis, ſibi metueret MARIA? Dicere certè cum Julio Cæſare poſſumus: nil metuendum fuiſſe illi, de tali labis periculo; Cæſarem namque vectura quondam erat, & mundo invectura, non terrenum quendam, ſed ſupremum Cœli terræque Monarcham, in cujus illa Genitricem ab æterno electa, nobis ſimul omnibus fortunam maximam, ac felicitatem ſempiternam erat allatura.

### §. 7. *Anagramma.*

ADæ MaCVLas, absqVe Labe IgnorâſtI. 469.

*Adam, et Evam, in maculâ, purè ignorâſti,*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS LXVIII.

### §. I. *Scriptura.*

470. pVLChra, sIne MaCVLâ peCCatI ConCepta.

Cant. c. 4. v. 1. *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es! Tota pulchra es, amica mea, & macula non eſt in Te.*

O *Pulchritudo admirabilis!* exclamat Rupertus Abbas! *O pulchritudo admirabilis, quam ſic admiratur, & collaudat pulcherrimus auctor pulchritudinis!* (Lib. 3. in Cant. c. 4.) Jactent nimirùm, quantùm volunt, Scriptores Ethnici Polidoros ſuos, Narciſſos, Parides, &c. jactent Meduſas, Helenas, Caſſandras, Lucretias, &c. Celebrent etiam ipſæ Sacræ paginæ Joſephos ſuos, Saules, Jonathas, Abſalones, celebrent Saras, Racheles, Eſtheres, Judithas &c. tanquam ob præclaram formæ elegantiam, præ reliquis orbi ſpectabiles: Celebrabimus & nos longè excellentiorem, imò tantam puriſſimæ Deiparentis pulchritudinem, quam Gregorius Nicomedienſis deſcripturus, aliud admirabundus dicere non poterat, quàm (Orat. de oblat.) *Pulchritudo pulcherrima pulchritudinis, pulchrorum omnium ſummum ornamentum!* & ſanè, quid juvat elegans corporis mortalîs venuſtas, ſi anima interim turpî aliquando maculâ fœdata, pulcherrimam Creatoris ſui imaginem deperdidit? Hoc quamvìs in alijs Adami filijs univerſim contigerit, haud tamen in MARIA, electâ illius Genitrice, qui *Specioſus formâ præ filijs hominum* (Pſal. 44. v. 3.) à Pſalmiſtâ deſcribitur. Hanc enim ſpecioſam ſpecioſi Filij Matrem Hugo de S. Victore ita venerabundus alloquitur: *Tota pulchra es*, ait, *pulchra es intùs, pulchra es foris,* (Serm. 9. de inſtit. Monaſt.) *intùs in corde, foris in corpore, intùs rubicunda, foris candida, rubicunda per charitatem, candida per caſtitatem, totum quod in te eſt, pulchrum eſt, & nihil ineſt tibi quod ſit ſordidum, in toto grata, in nullo ingrata, in toto places, in nullo diſplices, tota pulchra es, pulchra per naturam, pulchrior per gratiam, &c.* Quomodò ergò in tantâ tum animæ, tum corporis pulchritudine fœda aliquandò labes ſuſpicienda? quomodò non ſimpliciter tantùm pulchra, ſed *tota pulchra* dici poſſet, ſi in Conceptione, tanquam in ipſo capite, turpi maculâ fuiſſet infecta? Quòd ſi Dionyſio Areopagitæ fides: (Lib. de Divin. nomin. c. 4.) *Pulchrum appellatur ex eo, quòd omni ex parte pulchrum ſit, & plus quàm pulchrum, & quòd eodem modo ſem-*

*ſemper ſe habet, ita ut non oriatur, nec intereat, nec minuatur, neque partim pulchrum, partim turpe ſit, neque hoc tempore pulchrum ſit, illo non item.* Ex quo ſequitur, illud quod ſemel aliquâ labe aſperſum fuit, omninò *pulchrum* non eſſe, uti non omnî infamiæ notâ immunis eſt ſpurius, etſi primo, quo in utero conceptus, aut natus, momento legitimetur. Bene igitur Richardus de S. Victore ſuper hunc locum diſſeruit, quando dixit: *Nemo tam Sanctus, qui maculam non habuerit, & defectum, præter MARIAM; tota enim pulchra fuit, quam totam poſſedit gratia, quia nullum in eâ locum habuit peccatum.* Hinc meritò Cœleſtis Sponſus tantæ dilectiſſimæ ſuæ Sponſæ pulchritudini ſequentem imponere coronidem voluit: *Et macula non eſt in te.* quod non de præſentî tantùm, ſed de omni prorsùs tempore intelligendum, exponente ſic præter millenos alios devotiſſimo Idiotâ, dum ait: *Tota pulchra es, Virgo glorioſiſſima! non in parte, ſed in toto, & macula peccati ſive mortalîs, ſive venialîs, ſive originalîs non eſt in te, nec unquam fuit, nec erit.* Firmat Conceptum ipſamet Angelica Salutatio: ſuper quam D. noſter Bernardus ita diſcurrit: *Archangelus non ait: Ave MARIA replenda, ſed plena: non Dominus veniet in te, ſed Dominus tecum; quia inde totam eam ſibi rapuerat Spiritus Sanctus.* Quid autem eſt, *totam* MARIAM ſibi rapuiſſe Spiritum Sanctum, niſi ab initio uſque ad finem, totam MARIAM Spiritui Sancto conſecratam? ut ita nullum fuerit inſtans in MARIA, in quo eam Spiritus Sanctus non *totam pulchram*, totam ſine maculâ peccati conceptam invenerit, & plenè poſſederit. Hanc igitur devotè contemplemur: hujus pulchritudinem demirantes, cum D. Anſelmo exclamemus: *O pulchra ad intuendum, amabilis ad contemplandum, delectabilis ad amandum! vulnera corda noſtra amore pulchritudinis tuæ!* O omnimodis inquam pulchra! gratiâ plena, & virtutibus, peccatis aut vitijs nunquam coinquinata, & tota pura Concepta, non aliorum ad inſtar iræ filia, non ut reliqua Adami poſteritas peccato obnoxia, non cruentis maledictionum univerſalium decretis comprehenſa, ſed innumeris prærogativis præ omnibus alijs donata, à DEO inter omnes dilecta! Tu *Mater pulchræ dilectionis*: Tu ipſamet *pulchritudo, quam* (ut videre eſt apud D. Birgittam) *omnes videre optabant Patriarchæ, de quâ omnes cecinerunt Prophetæ, de qua omnes electi gaudent.* Tu *pulchritudo magnificentiſſima, Sacratiſſima, expreſſiſſimè referens DEUM*, monſtra te eſſe Matrem! Tu delictorum nobis in hac vitâ veniam, in aliâ verò Divinæ viſionis, in quâ omnis noſtra Beatitudo conſiſtit, pulchritudinem impetra.

c. 2. — Serm. 2. de Nativ. — Lib. de Excellent. Virg. c. 3. — Eccleſia. — L. 4. revel. c. 19. — Iſid. Theſſal. Orat. de Nativ. B. V.

## §. 2. *Authoritas.*

### S. Leo Papa, DICens LabIs eXperteM. 471.

*Originem, quam ſumpſit in utero Virginis, poſuit in fonte Baptiſmatis: dedit aquæ, quod dedit Matri; Virtus enim Altiſſimi, & obumbratio Spiritûs Sancti, quæ fecit, ut MARIA pareret Salvatorem, eadem fecit, ut regeneret unda credentem.* Serm. 5. de Nativ. Dom.

## §. 3. *Ratio.*

### Ob DeIparaM aLII LIberatI: Ergò potIVs ILLa. 472.

Juxta Philoſ. 2. Metaphys. *Propter quod unumquodque tale, illud magìs tale.* Sed propter Deiparam Virginem plurimi fuerunt liberati, tam à peccatis, quàm alijs quoque periculis: Ergò multò magìs Deipara debuit fuiſſe liberata, tam à peccato, quàm à periculo alio quocunque. Min. Prob. Licèt protoparentes noſtri Adam, & Eva, propter transgreſſionem Divini præcepti, totalem promeriti fuiſſent annihilationem, & exterminationem, cum totâ ſuâ poſteritate; immenſa tamen Divina clementia, prævidens in lumbis eorum B. Virginem, chariſſi-

riſſimam Sponſam Spiritûs Sancti, ex quâ unigenitus DEI Filius naſci, & huic mundo edi deberet, protoparentes noſtros, unà cum toto genere humano, ab æterno exterminio liberavit: ob ejusdem quoque amorem, Noe videtur præſervatus à diluvio, Abraham à cæde Regum, Iſaac ab Iſmaele, Jacob ab Eſau, populus Judaicus à manu Pharaonis, & captivitate Babylonicâ, David à Leone, Saule, & Goliâ, &c. quas omnes liberationes & præſervationes, multi SS. Patres à clementia Divinâ factas, in Beatiſſimam Virginem, DEI Genitricem, tanquàm cauſam reducunt. Ergò ut verificetur hoc Adagium Philoſophicum: *Propter quod unumquodque tale, illud magìs tale*, neceſſariò aſſerendum eſt, Beatiſſimam Virginem principaliùs à peccato, alijsque periculis, fuiſſe à DEO præſervatam, ac liberatam.

### §. 4. *Hiſtoria.*

473. InſtItVtIo orDInIs, De ConCeptIone DeIparæ.

BEatrix à Sylva, generis non minùs nobilitate, quàm virtutum ſplendore, in Luſitaniâ celeberrima, cùm ergà Deiparam, ac præcipuè ergà puriſſimam ejus Conceptionem, ſummâ ſemper devotione afficeretur, diu noctuque cogitavit, quomodò eam dignè honorare, ac exaltare poſſet; hinc cùm ei Beatiſſima aliquando Virgo comparuiſſet, candido, ac cæruleo ornatu amicta, novam intellexit Religionem, ſub illo habitu, & immaculatæ Conceptionis titulo, à ſe inſtituendam. quo conſilio cum Eliſabethâ Reginâ communicato, Toleti in Hiſpaniâ, Anno 1484. dictum Ordinem feliciter inchoavit, quem INNOCENTIUS VIII. Apoſtolicâ authoritate confirmatum, inſignibus gratijs auxit. Cùm autem inſtitutionis Bulla in mari infeliciter fuiſſet deperdita, ingens Beatricem invaſit mæror, qui tamen paullò poſt, invocatâ nimirùm per immaculatam Conceptionem ſuam Deiparâ, in gaudium plenum tranſijt. Quærens nimirùm aliquid ſuo quodam in ſcrinio pia Fundatrix, deſideratum hoc Diploma Pontificium, non ſine maximâ admiratione, ac gaudio, ibidem alijs chartis inſertum reperit, quod ipſemet Epiſcopus Accitanus, decernente Toletano Archi-Epiſcopo, mox ſolennî pompâ, publicè circumtulit, & in novum Virginis immaculatæ Parthenonen deportavit. Porrò, ut de Ordinis hujus Monialibus ampliorem habeas notitiam: vivunt illæ ſub directione quidem PP. Franciſcanorum, ſed ſub Regulâ propriâ, Benedictinæ in pluribus conformî, & (ut Bucellinus refert) S. Ciſterciensîs Congregationis conſuetudinibus addictæ. Ad habitum quod ſpectat, pallijs ſuis cæruleis inſertam deferunt imaginem illibatæ Virginis: nec aliud ijs Breviarium in ſingulos dies eſt præſcriptum, præterquàm Officium immaculatæ Conceptionis, exceptis duntaxat Dominicis, & Feſtis Solennioribus, quibus commune Eccleſiæ penſum perſolvunt. Dum invicèm Sanctimoniales iſtæ ſe ſalutant, aliud dicere non aſſolent, quàm: *MARIA ſine maculâ ſalve! &c.* Præmonita tandem à DEI Matre pia, ac frequentibus clara miraculis fundatrix, de imminente mortis horâ, Anno 1490. ætatis 66. Sanctiſſimè è vivis exceſſit: in cujus fronte, aurea eximij ſplendoris ſtella, ſtatim à morte, fuit conſpecta. *Vaſconcell. in deſcript. Regni Luſit. Raynaud. tom. 8. pag. 273. Bucell. Menol. 8. Octob.*

***

§. 5.

### §. 5. *Symbolum.*

474. AVro, & MARIÆ ConCeptæ, Deeſt rVbIgo.




Quantumvis ſoleat maculare rubigo metalla
Cætera; nulla Auro fœda rubigo nocet.
Dum maculat reliquos ſceleris ploranda rubigo,
Aurea Virgo! Tibi nulla rubigo nocet.

*Probabit me, quaſi Aurum.* Job. c. 23. v. 10.

### §. 6. *Antiquitas.*

475. TorneaMenta, In DIe nVptIaLI RegIs BrItannIæ CeLebrata.

MAgnæ Britanniæ referunt Annales: ad Nuptialem Eduardi (vel, ut alij volunt Henrici, Regis Angliæ) Solennitatem ſplendidiùs illuſtrandam, cunctis Regni Proceribus pretioſiſſima indicta fuiſſe torneamenta. Advenère, magno numero, Magnates Regni, armati clypeis, & ſymbolis ſuis. Primus, qui comparuerat, depictas in clypeo gerebat roſas, ſpinis circumdatas: quo innuere volebat, ſe velut roſam, per medias hoſtium ſariſſas penetrâſſe, ac ſanguine eorum aſperſum triumphâſſe. Alter oſtentabat candidum lilium: indigitare cupiens, fidelitatem ſuam erga Regem ita hactenus candidam extitiſſe, ut nulla eam turpitudinis macula unquam denigrârit. Tertius prodibat, in ſcuto monſtrans Erinacium, ſpiculis rigentem: ſignificans, cunctis ſe parem adverſarijs, ſemperque paratum ad hoſtium inſultus excipiendos. Quartus gloriabatur flore Heliotropij: monſtrans, ſe ad omnem Solis ſui, nempe Regis, nutum pendere. Quintus in ſcuto depictum gerebat ramum Myrrhæ, cui innexus ramus Gliceritæ: indigitans, cuncta, quæ pro Regis gloriâ deguſtâſſet amara, dulcia ſibi viſa fuiſſe. Sextus præferebat Anchoram, quæ rupi adhærebat, cui Regia inſignia inciſa erant, cum lemmate: *Mihi adhærere bonum.* Septimus in ſcuto depictum tormentum bellicum gerebat, cui manus ignem ſcipione admovebat, cui adſcriptum: *ſi tangor, tono.* Sequebatur tandem hóſce, & plures alios Rex, ſcutum præferens aureum, cui Corona Regia inciſa, cum Lemāte: *In me omnia.*

Si à ſupremo NumineCœleſtîs Aulæ proceribus concederetur (prout & actu in Cœlis conceditur) Marianæ Conceptionis Solennitatem amabilî ſuâ præſentiâ condecorare, prodirent illi utique longo, & venuſto ordine, ſcutis, ac vexillis varijs exornati. atque (ut ſolas Virgines, *Virgini Virginum* comparem) prodiret Agnes, ſcuto Agnum tenens immaculatum, lilijs coronatum, cum lemmate: *ſequor quocunque ierit*: prodiret Lucia, ſcuto rogum tenens accenſum, ac in eo Salamandram, cum inſcriptione: *in medio ignîs non ſum æſtuata*: monſtraret Barbara turrim, cui adſcriptum: *Turris fortiſſima Nomen Domini.* Adferret Urſula ſagittas lilijs involutas, quibus ſubſcriptum: *paraverunt ſagittas ſuas.* ſicque milleni, ac millenæ ſuccederent, donec ultima demùm prodiret MARIA, omnia hæc in uno, JESU Filij ſui, dulciſſimo Nomine continens, cum ſubſcriptione: *In me omnia.* eſt enim illa vel ideò immaculata; quia Mater Agni immaculati: vel

vel ideò comparatur Salamandræ; quia in medio originalîs ignîs non æſtuata: vel ideò Turris eſt fortiſſima; quia hoſti nunquam ſuccumbens: vel ideò ſagittas non metuens; quia nunquam læſa: ſemper Roſa, circumdata ſpinis, ſine ſpinâ: Lilium candidæ fidelitatis: Erinacius, in omnes Tartarei inimici aggreſſus ſpicula protrudens: Heliotropium ad omnem Divini Solis nutum pendens, &c. verbo *in MARIA omnia* reliquorum Sanctorum omnium privilegia, ac ornamenta: imò longè plura, ac majora; quia illa ſola, & nemo præter eam, immaculatè concepta.

### §. 7. *Anagramma.*

MVnDa à Labe, CœLos
aperVIſtI. 476.

*Regina amata, munda: Coelum aperuiſti.*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS LXIX.

### §. 1. *Scriptura.*

Chara DeIpara, In hortVM
477. VoCata.

Cant. c. 5. v. 1. *Veni in hortum meum, Soror mea Sponſa! Meſſui Myrrham meam.*

Quid, Sponſe ex millibus dilectiſſime! charam tuam Sponſam tam amicè ad hortum evocas? dicendo: *Veni in hortum meum, Soror mea Sponſa! &c.* Nùm amæno forſitan Veris tempore, flores apparuerunt, aut diverſos arborum fructus æſtas maturavit? Sed aliam prorſus cauſam Sponſus dilectæ indicat, nimirùm: *Meſſui Myrrham meam, &c.*
L. 1. c. 67. Quis autem myſterioſam hanc Sponſæ ad hortum invitatæ evocationem intelliget? ſcio equidem, Myrrham, juxta Dioſcoridem, aliud non eſſe, quàm lachrymam quandam arboris, quæ in Arabiâ gignitur, Ægyptiæ ſpinæ non abſimilem, nec me latet, Arbores ipſas (teſtante Plinio) ſudoris ad inſtar, amaras Myrrhæ guttulas effundere: ut proinde facilè mihi perſuaſum habeam, ſub Myrrhâ optimè repræſentari ſudorem illum ſanguineum, quem pijſſimus noſter Redemptor in horto Gethſemani ſudavit: præſertim, cùm opinionem hanc meam expreſſa quoque SS. Patrum Cyrilli, & Ruperti confirmet opinio, dicentium: *CHRISTUS in horto orans Myrrham meſſuit, dum ſanguinem ſudavit.* Quid igitur inde colligam, neſcio: niſi quòd ſingularem Virginis Beatiſſimæ Redemptionem, ac ab originalî præſervationem exinde aſtruere non dubitem. Enimverò, ſicut præſervatio à peccato originalî prævia quodamodò dici poteſt Redemptio: ſic ſudor ſanguineus, in horto profluus, prævia dici poteſt Chriſti redemptoris Paſſio. Hinc omninò videtur, MARIAM, dilectiſſimam Numinis Genitricem, à Divino ſuo Filio, *Sponſo ſanguinum*, maturè ad hortum ſuum invitatam fuiſſe, ad colligendam ibidem Myrrham: id eſt, MARIÆ præſervationem fuiſſe ſpecialem liberationem, per pretium ſudoris ſanguinei, prævio ad ipſam Paſſionem in horto effuſi: per ſanguinem autem in ipsâ Sacratiſſimâ Chriſti paſſione, & mor-

morte Crucis profuſum, univerſalem generis humani redemptionem ſubſecutam fuiſſe. Quòd ſi juxta S. Iſidorum, *Gutta myrrhæ ſpontè manans pretioſior eſt: elicita cortice vulnere vilior judicatur*; ſic & ego affirmare non dubito, ſingularem hanc MARIÆ redemptionem, ab originalî labe præſervativam (per ſpontè promanantem, in horto Gethſemani, ſeu Oliveto, ſudorem Chriſti ſanguineum) tantò fuiſſe nobiliorem, ac pretioſiorem illâ, quâ per expreſſum ex Sacratiſſimis quinque Vulneribus Chriſti ſanguinem, in monte Calvariæ, reliqui omnes fuimus redempti, quantò nobilior fuit Virginis, ex millibus in DEI Genitricem electæ, reſpectu aliorum omnium, dignitas, virtus, & excellentia &c.

Apud Scherlog. Tom. 2. in Cant. fol. 437.

Cæterùm, cùm de ſingularî hac Deiparæ redimendæ in hortum vocatione, ſermonem hucuſque proſecuti ſimus, etiam Adamum in horto Paradiſi à Domino citatum, in medium producamus; videtur enim, Adamo quoque, dum perpetrato ſcelere, à Domino per horti Paradiſiaci medium deambulante, ad tribunal vocaretur, jam tum à ſingularî MARIÆ redemptione in horto, remedium quoddam ſalubre, ac ſuo modo præſervativum obtigiſſe. Atque ſi tenorem evocationis ſcrutemur, alius certè non erat, quam tres illæ voculæ *Adam ubi es?* & quis non videt, comprehendi jam in iſtis felicem illam vocem, ac efficax peccati remedium, *Ave*, ab Angelo MARIÆ cœlitùs deportatum? decerptis enim primis cujuscunque vocabuli litteris, emerget ex *Adam* A: ex *Ubi* V: ex *Es* E. ſicque noſtris repræſentabitur oculis AVE, ſive initialis illa Salutationis jucundiſſimæ, ſaluberrimæ, ac ſæculis omnibus religioſiſſimæ vocula. Ex quo fit, illum ipſum DEUM noſtrum, Patrem miſericordiarum, & DEUM totius conſolationis, qui MARIAM miſericorditer ad hortum vocavit, jam pridem etiam protoparentem noſtrum, in crimen infeliciter prolapſum, ad comparendum, cauſamque ſuam in *horto* dicendam accerſiviſſe: ad illud autem nullâ aliâ uſum formâ, quàm brevî illâ trilogicâ: *Adam Ubi Es?* ſicque à longè illi AVE dixiſſe: ut vel inde inſtantaneus provocationis rigor, per longinquam licèt Virgineæ ſalutationis præſenſionem attemperaretur. Verbo: inſinuare jam tùm Adamo volebat DEUS, minimè deſperandum eſſe vocato ad rationem delicti reddendam, quandò gratiam, quâ inobedientiâ ſuâ, & ſe & poſteros ſpoliavit, per Virginis in hortum vocandæ, immaculatè concipiendæ, poſtmodùm ab Angelo ſalutandæ, & ad ipſius DEI humanationem eligendæ interceſſionem, recuperaturus, ejúsque patrocinio aliquando fruiturus eſſet. Hujus Virginis patrocinium & nos imploremus per frequens *AVE*, ut à Cœleſtî ſponſo, pariter cum illâ, vocari aliquandò mereamur ad *hortum* ſemper floridum, perpetuæ jucunditatis.

## §. 2. *Authoritas.*

B. LVDoVICVs BertraMVs,
VIrgInIs pVræ, eX totIs 478.
VIrIbVs propVgnator.

*In hac infuſione animæ, quando anima corporis primò adijt poſſeſſionem, nullius peccati originalîs ſorde conſpurcata fuit. Ideò jure optimo de Beatiſſimæ Virginis Conceptione Feſtum celebramus. - - - Primum, & maximum beneficium fuit, quo in ſuâ conceptione ab originalî labe præſervata fuit.* Serm. de puriſſ. Virg. habito Valentiæ &c. apud Nierenbergium, in Except. Concil. Trid. fol. 203.

## §. 3. *Ratio.*

479. BenefICIa PrInCIpIs, In faVoreM Interpretanda.

JUxta S. Auguſt. *L.* de Nat. & Grat. *DEUS Beatæ Virgini contulit privilegium, ſuperandi ex omnî parte peccatum.* Ergò de mente S. Auguſtini eſt, Beatam Virginem fuiſſe immunem in primo inſtanti ſuæ Conceptionis à peccato originalî. Conſeq. Prob. Privilegium ſuperandi peccatum ex omnî parte, ut ſit latiſſimæ interpretationis, interpretari non tantùm debet de peccato actuali, vel uno, vel altero vitæ tempore, ſed de omni peccato etiam originalî, & de omnî inſtantî, etiam conceptionis: aliàs eo ipſo fierit reſtrictio, & limitatio, ad aliquod peccatum vel tempus vitæ. Atqui hoc privilegium debuit eſſe latiſſimæ interpretationis: Ergò per hoc, quòd de mente Auguſtini fuerit, B. Virgini fuiſſe collatum privilegium, ſuperandi peccatum ex omnî parte, eo ipſo de ejus mente fuit, eam fuiſſe immunem à peccato originalî, in primo inſtanti ſuæ Conceptionis. Maj. patet. Min. Prob. Beneficium, & indultum Principis eſt latiſſimè interpretandum. *L. ſi quando C. de bonis vacan. & alibi.* maximè autem de beneficio larga eſt interpretatio adhibenda, quando ſolùm reſpicit favorem illius, cui conceſſum eſt, ut habetur *in c. Odia de Reg. Jur. in 6.* Atqui ſuperare ex omnî parte peccatum, eſt magnum beneficium collatum à ſummo Principe, nempe in utilitatem ſolius Beatæ Virginis, ſine omni alterius injuriâ.

Ergo, &c.

* * *

## §. 4. *Hiſtoria.*

FebrI DeCVMbentIs ſanItas, ab effIgIe ILLIbatæ. 480.


MAria Magdalena Pinckeneta, digniſſima Ordinis Ciſtercienſis Abbatiſſa, maturæ non tantùm ætatis, verùm etiam pietatis eximiæ Sanctimonialis, cùm ex acri, & periculosâ Febrî, longo jam tempore decubuiſſet, ac capitis præſertim diro cruciatu peſſimè divexata, toto propemodùm corpore adeò eſſet attrita, ut commovere ſe, absque plurium adminiculo, minimè poſſet, à circumjacente, & caſu per Sororem infirmæ deſervientem cubiculo illatâ immaculatæ Conceptionis Imagine, illicò non modicum ſenſit in corpore levamen, morbique ſtatus confeſtim notabiliter eſt in melius commutatus. Attamen, cùm poſt unum, alterúmve elapſum diem, Soror illa, infirmariæ curatrix, per incogitantiam, dictam illam immaculatæ Virginis effigiem, ab ægræ lectulo longiùs removiſſet, ignara, unde nuper tam ſubitò Abbatiſſa ſua meliùs habuiſſet? mox redeunte, & dirum in modum recrudeſcente eodem morbo, miſera Pinckeneta in priſtinum vitæ diſcrimen iteratò recidit. Eam ob rem, attonitis, quæ diu, noctuque ægræ miniſtrabant, Sororibus, mentem tandem ſalubris ſubit recordatio, ſublatæ Imaginis, nuper haud procul à lectulo decumbentis repoſitæ. Hanc ergo, ſine morâ, ſollicitè quærentes, ac tandem invenientes, ad ægram denuò reportant: quam tenero affectu infirma exoſculata, mox capiti doloribus pleno admovit. & ecce! paullo poſt placidum in ſomnum per ſemi-horam ſoluta, indeque denuò experrecta, mediante immaculatâ Virgine, ab omnî jam ægritudinis moleſtiâ ſe liberam, integræque ſanitati deprehendit reſtitutam. *Raynaudus tom. 8. pag. 323.*

* * *

§. 5.

## §. 5. *Symbolum.*

481. PrIMVLa VerIs, FLos præCeDens.




*Primula*, Veris honos, redivivæ prodroma Floræ;
Primitias vario picta colore tenet.
Præcedit reliquos homines Sacra *Primula Veris*
Numinis alma Parens, crimine *prima* carens.

*In omnî populo, & in omnî gente, primatum habui.* Eccli. c. 24. v. 10.

## §. 6. *Antiquitas.*

482. PaſſerIs aD XenoCrateM reCeptIo.

Cùm Senatores quondam Chalcedonenſes, *Teſte Manutio*, in campis (ut ſæpiùs aſſolebant) ſub amæno Arboris viridantis umbraculo, de re ſubitâ conſultarent, præſidente Xenocrate, ſpectaculum ipſis inopinatum exhibebatur: viderunt namque, non ſine admiratione, quàm celerî volatu Accipiter Paſſerem inſequeretur, qui tamen, ut præſentiſſimum ab inſidiatore periculum, & ungues rapacis avis evaderet, directiſſimum volatum ad pectus Xenocratis dirigens, in ejus ſinum ſe recepit, tutum ibi quæſiturus aſylum, locumque refugij, Accipitri inacceſſum. quod etiam cum ingentî Senatorum omnium tum applauſu, tum delectatione factum eſt. Caſus haud abſimilis illi, quo lepuſculus quondam, è dumeto fortè excitatus, cùm inſequentes canes fugeret, jamque ſpes evadendi nulla ſupereſſet, ſub equum Divi noſtri Anſelmi, Archi-Præſulis Cantuarienſis, tum fortè iter agentis, ſe recepit, ibique aſylum invenit optatiſſimum.

Sæpiſſimè ſe Regius Propheta *Paſſerem* vocat, & Chriſtus ipſe nos omnes *paſſeribus* comparat: ut vel ideò quidem his avibus nos aſſimilari exiſtimem, quia homini, haud ſecùs ac paſſeri ſuperiùs adducto, die, ac nocte inſidiatur infernalis accipiter, Diabolus, *quærens, quem devoret*; & profectò inſidiabatur tum vel maximè toti humano generi, cùm ſub Arbore boni, & mali, protoparentes noſtri, periculoſiſſimum deguſtandi pomi inîere conſilium: ex quo factum, rapaciſſimum hunc ex orco Accipitrem, omnibus omninò, ac ſingulis hominibus etiamnùm in ipſo cujuslibet conceptionis limine, extremâ diligentiâ inſidiari, nemine prorsùs ungues ejus evadente, ſolâ tamen exceptâ Maria, quæ celerrimo quasì volatu ſe recipiens in ſinum Cœleſtîs Xenocratis, æterni Patris, vel etiam in latus, ac vulnera prævisa Filij Divini, ex illâ naſcituri, tutiſſimum ibi invenit præſervationis aſylum, atque, ut immaculatè conciperetur, ſingulare refugium, applaudente, ac ſummè deſuper exultante totâ Angelorum, Sanctorumque curiâ.

## §. 7. *Anagramma.*

RegIna pVra, MVnDa, aC à Labe aLIena. 483.

*Jo Regina! pura, munda, et immaculata es.*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

* * *

DE

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS LXX.

### §. I. *Scriptura.*

### Vt CaſtrorVM aCIes
484. orDInata.

Cant. c. *6.* v. 3. *Ut caſtrorum acies ordinata.*

ADmirandis profectò metaphoris Sponſus utitur Divinus, ut ſuæ partim Sponſæ pulchritudinem, partim alias prærogativas, pro meritis extollat: quarum ut ex pluribus unam tantùm hìc loci examinemus, ait de illâ, Sacris in Canticis: *Ut caſtrorum acies ordinata.* & quid, amabo! pro immaculatâ Virginis Deiparæ, per Sponſam intelligendæ, Conceptione proferri poterat accomodatius, quàm hocipſum *ordinatæ aciei* præclarum encomium? Enimverò ſi attentiùs illud examinare lubeat, ſupponendum imprimìs eſt, ad *Aciem ordinatam* neceſſariò requiri, ut tam principium ejus, quàm medium, ac finis, adeò bene ſint *ordinata*, ut neque in primas, neque in ſecundas, neque in tertias cohortes, hoſti aditus patere poſſit; ſi enim una tantummodò ex illis cædatur, aut cedat, non jam bene erit *ordinata acies*: totus exercitus, tota caſtra in præſentiſſimo verſabuntur periculo. Quo ſuppoſito, ſi quæramus: qualis ergo *Acies* ſit, aut fuerit Virgo Beatiſſima? fateri haud dubiè cogentur ij, qui originalem in illâ labem aſtruunt, primam ejus *aciem* à diabolo fuiſſe proſtratam: cogentur concedere, Mariam in primo congreſſu, evaſiſſe captivam hoſtîs tartarei; licèt poſtmodùm in medio, id eſt, reliquâ vitâ, ac in fine, id eſt, in morte, magìs favente belli aleâ, de hoſte triumphârit. Prorsùs autem contrarium ego aſtruere non dubito, ac dicere cum Sponſo: Sponſam, in primo jam conceptionis momento, infernali hoſti fuiſſe *terribilem, ut caſtrorum aciem ordinatam*: fuiſſe eam in primo illo temporis articulo, tanquam in primâ *acie*, pavorem dæmonum: fuiſſe inimico tartareo extremè formidabilem, utpote inſtructam vexillo gratiæ, & charitatis, quam Spiritus S. mox in eodem momento Mariæ infudit: de quo ipſa gloriatur, dicens: *Ordinavit in me charitatem.* & quid dico: *in eodem momento?* Audiatur, amabo, quid ipſa alibi innuat? ait enim: *Ab æterno ordinata ſum.* quibus in verbis non exiguum latet arcanum: ſi enim Theologorum vertici, Auguſtino, fidem adhibeamus, *Ordo*, inquit, *eſt parium, dispariumque rerum, ſua cuilibet loca tribuens diſpoſitio; cùm ergò Beata Virgo ait, ſe ab æterno ordinatam, ſuppoſuit in ſe fuiſſe partes inæquales, ac diſpares, animam ſcilicet, & corpus, rationem ſuperiorem, & appetitum ſenſitivum: has tamen partes ita bene inter ſe diſpoſitas habuiſſe, ut neutra contra aliam unquàm conſpirârit; nec enim corpus rebellionem tentavit adversùs animam, nec ſenſualis appetitus rationi unquàm reſtitit. talî nimirùm ordine decebat, DEI Genitricem ordinatam fuiſſe, quæ regulatiſſimum, (ut ita dicam) ordinem, mundo, ad illum regulandum, paritura erat.* Hæc Aug. Ex quo facilè colligendum: Virginem *ab æterno ordinatam, ut caſtrorum acies, terribilem*, unico duntaxat momento prodiiſſe in campum, eodemque ipſo momento viciſſe, ac debellâſſe hoſtes, antequàm illi ſe auderent movere, eosq; ſine pugnâ protriviſſe; cùm nimirùm eodem momento fuerit purè concepta, Sanctificata, ac in gratiâ confirmata: quòd perbenè advertens nefari-

Cant. 2. v. 4.

Prov. 8. v. 23.

L. 19. ad Marcellin. c. 13.

ſarius phalangum infernalium ductor, non eſt auſus cum eâ congredi; nec tantùm veritus eſt, aggredi eam armis brevibus culpæ actualis: ſed neque animum ſumpſit, eminùs in eam eiaculandi ſagittam volantem tenebrarum, culpæ originalîs. adeò nimirùm (ut verba ſonant Dionyſij Carthuſiani) *MARIA, acies ordinata, ipſis tenebrarum principibus terribilis* extitit. O quàm providè ergo monuit Innocentius Papa III. *MARIA*, inquit, *acies caſtrorum ordinata: ad quam reſpicere debet, quicunque ſentit impugnationem ab hoſtibus, vel à mundo, vel à carne, vel à dæmone: ut ipſa per Filium mittat auxilium de Sancto, & de Syon tueatur.* cui devotè ſubſcribens S. Gregorius, Nicomedienſis Epiſcopus, ita DEI Matrem alloquitur: *Te Chriſtianorum multitudo murum habet firmiſſimum: Te fideles, ac Reges validum habent armamentarium: per Te bellorum frangunt audaces impetus: per Te Victoriæ trophæa conſequuntur.* Per hanc igitur, nempe MARIAM, ſi contra inimicos quondam noſtros & nos propugnari cupimus, immaculatam ejusdem Conceptionem, contra quoscunque adverſarios, pro viribus, propugnare, nos quoque ſtudeamus.

L. 1. de præſ. Mar. a. 31.

Serm. 2. de Aſſumpt.

Orat. de præſent.

## §. 2. *Authoritas.*

485. LVDoVICVs BLosIVs, eXCeLſæ DEI GenItrICIs, eXtra sCeLVs orIgInaLe posItæ, faVtor InsIgnIs.

1. *Quod ad munditiam Conceptionis Virginis Matris DEI attinet, non eſt, quod dubites.* In dictis Patrum. c. 5.
2. *Romana, eademque Catholica Eccleſia, quæ errare non poteſt, hoc ipſo, quòd Feſtum Conceptionis Deiparæ Virginis celebrandum aſſumpſit, ſatis adſtruit, atque affirmat, eandem Conceptionem fuiſſe omnîs contagionis expertem, ac Sanctam; profana ſiquidem feſta non novit Eccleſia.* Ibid.

## §. 3. *Ratio.*

LoCVs eſt æqVaLIs LoCato: 486.
Ergo & Mater, abs Labe ConCepta, ChrIſto.

Juxta Philoſophum 4. Phys. *Locus eſt æqualis locato.* Ergò Beata Virgo debuit eſſe ſine labe originalî concepta. Prob. Conſeq. Locus eſt B. Virgo, locatum autem Chriſtus Dominus; quia æternus Pater pro unigenito Filio ſuo incarnando, ab æterno nullum alium elegit, & determinavit locum, vel hoſpitium, quàm uterum puriſſimæ Virginis, in quo per 9. menſes voluit locari prædictum filium, & requieſcere: teſtante Eccleſ. c. 24. *& qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.* Ergo, ſi juxta Philoſ. locus debet eſſe proportionatus locato, B. Virgo debet eſſe proportionata Chriſto Domino. Sed hoc ſalvari non poſſet, ſi B. Virgo unquàm contraxiſſet peccatum originale. Ergo, &c. Prob. Subſumpt. Licèt ſecundùm Divinitatem Chriſti, & attributa Divina, nulla potuerit intercedere æqualitas; quia iſta abſolutè ſunt incommunicabilia ulli enti creato: tamen hæc non implicat ſecundùm humanitatem, ſuo modo. Atqui Chriſtus, etiam ſecundùm humanitatem, fuit immunis ſemper à labe originalî. Ergo ut B. Virgo ſit æqualis Chriſto, tanquam locus locato, ſemper debuit eſſe immunis à labe originalî, ut verificetur etiam illud Sap. 1. *In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.*

## §. 4. *Hiſtoria.*

Voto MARIÆ ILLIbatæ faCto, fInIta obsIDIo. 487.

Annus agebatur à Nativitate CHRISTI Redemptoris Milleſimus, Quingenteſimus, Octogeſimus quintus: cùm exercitus Hiſpanus Bomeliæ, limoſas inter paludes, & ſtagnantium aquarum eluviones, dirâ à

râ à Batavis obſidione premebatur: jamque eò res devenerat, ut non tantùm ab hoſtilibus navigijs, verùm etiam à fame, frigore, ac inundationibus, ultimum obſeſſi expectarent exitium. Verùm mirus, qui tùm accidit, inopinatæ rei eventus non parùm conſolabatur afflictos; dum enim, extrema tentaturi, vallum quoddam moliebantur, repererunt caſu, in foſsâ noviter ejectâ, parvulam immaculatæ DEI Genitricis imaginem: quam dùm honorificè excepiſſent, non vanè ominabantur, ſignum ſibi à DEO ſubmiſſum futuræ liberationis, ac adjutorij, ab immaculatâ Virgine quantocyùs recipiendi. Eapropter voto quodam univerſus ſeſe exercitus Conceptæ ſine labe Deiparæ obſtrinxit: tam felicî quidem ſucceſſu, ut paullò poſt (pridè nimirùm Feſti Conceptionis) flantibus totâ nocte frigidiſſimis Aquilonibus, ac conſequenter gelatis circumquaque aquis, Batavi confeſtim abſcedere fuerint coacti, ne videlicèt eorum naves repentino gelu alligarentur. Vix ſoluta talî modo fuit obſidio, ac Hiſpani in ſecuritatem priſtinam reſtituti: cùm ecce! glacies, velut officio ſuo ſufficienter perfuncta, absque morâ reſolvebatur, & aquæ, quantùm neceſſe erat, navigantibus ſunt apertæ. In gratam recepti beneficij memoriam, præter votum fideliter perſolutum, eodem tempore, ijsdemque in caſtris, inſtituta fuit devota Sodalitas militum, ſub titulo, ac protectione immaculatæ Conceptionis, non jam pro terreno, ſed pro Cœleſtî Regno, per ſpiritualia exercitia, decertantium. *Famianus Strada lib. 7. belli Belgici. Frideric. Forner. Palm. Triumphal. l. 5. c. 5.*

Haud abſimile certè, ſi non idem beneficium, Hiſpanis contra Batavos à Virgine illibatâ collatum, colligitur ex litteris R.P. Cornelij à Lapide, Anno 1619. Rómâ datis, ubi hæc habentur: *Advenit Romam Procurator Philippinarum Inſularum, qui Batavos ibidem cæſos narrat, ope B.V. MARIÆ, quæ pugnantibus viſibiliter apparuit, cùm Hiſpana Claſſis ejus immaculatæ Conceptionis Iconem & inſigne præferret.* Kiſelius in Append. 2. ad Alv. Cent. 12. Decad. 9.

## §. 5. *Symbolum.*

Ab ADæ peCCato
ſeMper PVræ QVIs ResIſtet? 488.




* *Sabinis Populis Quis Reſiſtet?*
* *Senatus Populus Que Romanus.*

Romanum referunt populum, populumq; Sabinum,
Vexillo inſcriptas has habuiſſe notas.
Sed potiùs; *Semper Pura Quis* (quæſo) *Reſiſtet?*
Vexillo inſcribens Virginis háſce notas.

*Virtuti brachij tui quis reſiſtet?* Sap. c. 11. v. 22.

## §. 6. *Antiquitas.*

ALphonſo, RegI LVsItanIæ, pVgnatVro, sCVtVM qVInqVe ſaCrIs CICatrICIbVs InsIgne, à SaLVatore porrIgItVr. 489.

DE Alphonſo, pijſſimo Luſitaniæ Rege, referunt Hiſtorici, ad Annum 1039. quòd, cùm eo ipſo anno, in hoſtem infidelem moturus, ac pugnam jamjam initurus fuiſſet, ipſemet Chriſtus Salvator eidem gratiosè apparens, ſcutum de Cœlo porrexerit fulgentiſſimum, quinque Sacrorum vulnerum cicatricibus inſignitum,

tum: ad cujus primum conſpectum, vehementiſſimè terrefactus hoſtis, mox terga vertendo, turpemque fugam arripiendo, Alphonſo glorioſam ceſſit victoriam, adeò quidem, ut in gratam miraculoſi hujus triumphi memoriam, Regnum illud ſuis in Inſignibus, hodierno etiamnùm die, Sacratiſſima illa Redemptoris noſtri Vulnera retineat.

Hoc ipſo Salutis ſigno glorioſiſſimè triumphâſſe Deiparam, in puriſſimâ ſuâ Conceptione, affirmare audeo; quamprimùm enim hoſtis Tartareus, tot jam animabus, quot Adæ filijs, per originalem culpam devictis, etiam contra Mariam mox concipiendam, in pugnam eſt progreſſus, in momento illo periculoſiſſimo repræſentatus deſuper Mariæ fuit Chriſtus Salvator, ex illâ naſciturus, ejusdemque Sacratiſſimæ quinque Vulnerum cicatrices, quibus validiſſimi inſtar ſcuti inimico à Maria objectis, ad eorum primum intuitum, vehementiſſimè perterritus orcus, mox terga vertit, fugamque ad tartara arripiens, præclaram Virgini, ac prorsùs ſingularem ceſſit præſervationis victoriam. Quòd ſi, in perpetuam triumphi illius, ab Alphonſo relati, memoriam, Luſitania tota ſuis impoſterùm Inſignibus Sacra illa imprimere vulnera voluit, Maria certè in non minorem triumphi gratitudinem, eadem Sacratiſſima Vulnera, ut ſignaculum, poſuit ſuper cor ſuum, tam fortiter illa imprimens, ut has ipſas Vulnerum cicatrices maternâ in animâ Virginem ſuſtinuiſſe, à SS. Patribus referatur, quas Filius ejus Crucifixus, Salvator noſter, in corpore eſt perpeſſus.

### §. 7. *Anagramma.*

ConCepta, InsIgnIs IDea
oMnIs pVrItatIs. 490.

*Age idea ſanè clara, omnium puritatum!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXXI.

### §. I. *Scriptura.*

491. FILIæ prInCIpIs In CaLCeaMentIs greſsVs, peCCato Carentes.

Cant. c. 7. v. 1. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui, in calceamentis, Filia Principis!*

Gen. 3. v. 15. Quod olim DEUS Serpenti prædixit: *Tu inſidiaberis calcaneo ejus*, de nullâ certè aliâ intelligendum eſſe muliere, conveniunt interpretes, quàm de Beatiſſimâ Numinis Genitrice, Maria. Porrò, ſi per *Calcaneum*, juxta Philoſophos, aliud non intelligitur, quàm pars illa pedis, quam inter gradiendum, naturæ ductu, primum in terrâ ſiſtimus; cùm ſit velut baſis, cui ad perpendiculum tota corporis noſtri moles innititur; ut idcircò pro initio alicujus motûs omninò ſumi valeat: hinc erroris me argendum minimè pertimeſco, ſi in materiâ, de qua agere hìc conſtitui, ſub dicto *Calcanei* vocabulo, puriſſimam Virginis Conceptionem intelligam, quâ nimirùm primum in orbem terrarum ingreſſum Mariam poſuiſſe, ſeu primum eſſe feliciter accepiſſe cognovimus. Quis enim ignorat, antiquum illum ſerpentem huic concipiendæ, per peccatum

originale omnî ſtudio inſidiatum fuiſſe? Verùm enimverò mordere minimè potuit illam Principum *Principis*, Regumque Regis, æterni Patris *Filiam*, quæ *Calceamentis* Divinæ gratiæ egregiè munita, & copioſiſſimè præventa, ita proceſſit, ut ipſemet Sponſus, qui calceamenta contulerat, conſiderans, tum greſſus, quibus animi generoſitas indicatur, tum calceamentorum venuſtatem, admirabundus exclamârit: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, Filia Principis!* Nec mirum: ſi enim ſpecioſa quondam caſtiſſimæ Judithæ ſandalia tantum potuerunt, ut vel infenſiſſimi Judæorum hoſtîs, Holofernis, oculos rapuerint in amorem: Virginis certè Deiparæ *calceamenta* longè fuêre elegantiora, atque ad rapiendum Divini Sponſi oculos aptiora: imò MARIÆ calceamenta

Apoc. c. 12. planè Cœleſtia dixerim; *Mulier* enim illa *amicta Sole* quæ Deiparam indubitanter ſignificat, ſub pedibus habuiſſe Lunam dicitur, quæ calceamentorum ſubibat vices, ut proinde calceamenta hæc longè excelſiora invenerit ſerpens, quàm, ut eò venenatis ſuis dentibus poſſet aſſurgere; quippe, qui in ſuâ maledictione accepit, ut humi reptans, ſuper pectus ſuum graderetur, & terram comederet, juxta

Gen. c. 3. v. 14. illud: *Super pectus tuum gradieris, & terram comedes, cunctis diebus vitæ tuæ.* Optimè ergo, Virgo ſpecioſiſſima! ob glorioſiſſimam tuam præſervationem, greſſuumque in calceamentis tam ſublimibus pulchritudinem, grates DEO rependere potes, dicendo:

Pſal. 9. v. 15. *Qui exaltas me de portis mortis.* Tu enim (ut

Apud Delrio. cum B. Alano loquar) *Tu es principalis filia Principis, DEI ſcilicet, qui eſt Rex Regum, & Dominus Dominantium, qui te ſpecialiter per gratiam genuit, ſpecialiter informavit.* Nec prætereunda hìc mihi videtur ſumma Salvatoris noſtri in lavandis diſcipulorum pedibus humilitas, quam ſuſtinere vix potens Apoſtolorum Princeps, Petrus, omnî

Jo. c. 13. v. 8. modo eſt proteſtatus, dicendo: *Non lavabis mihi pedes in æternum, &c.* cui cùm Dominus repoſuiſſet: *Si non lavero tibi pedes, non habebis partem mecum, &c.* v. 19. non pedes tantùm, ſed & manus, & caput lavandum obtulit. Dixit ergò ei JESUS: *Qui lotus eſt, non indiget,* v. 20. *niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus.* Hìc mirari non ſatìs poſſum, ac noſſe percuperem, cur adeò Salvator urgeat lotionem pedum Apoſtolorum, ac ſingulariter Petri, jam antehàc loti, & mundi? Sed Ambroſium facti interpretem audite! *Mundus*, inquit, De his qui myſt. init. c. 6. *erat Petrus, ſed plantam lavare debebat; habebat enim primi hominis de ſucceſſione peccatum: ideò planta ejus abluitur, ut peccata originalia, & hæreditaria tollantur.* Quæ cùm ita ſint, quid de noſtrâ ergò dicemus Deiparâ? num fortè & illa, quamvìs munda, lotione pedum indiguit? minimè; jugiter enim ſtatim ab initio calceata terreni pulveris inquinamenta nunquam contraxit, pulchritudinemque calcanei ſui, primi ſcilicèt in orbem ingreſſûs, per conceptionem, omnî momento conſervavit illæſam, ut ſemper verum permanſerit illud: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, Filia Principis!* Ad hanc igitur ritè calceatam, ac ſuis in calceamentis pulcherrimam Principis Cœleſtîs Filiam advolate omnes, quotquot terreni pulveris ſordibus turpiter inquinati, animæ pulchritudinem, Divinæque formam imaginis infeliciter perdidiſtis! ſicut enim filia illa Pharaonis Regis, Ægypti, aſſumptum ex aquis infantulum (Moyſen) Exod. c. 2. nutriri fecit, & adoptavit in filium, ſic quandocunque immaculata Regis Cœleſtîs filia, MARIA, pœnitentem aliquem in aquis lachrymarum vagientem conſpicit, ejus miſerta, quantocyùs aſſumit, in omnibus bonis nutriri facit, ac adoptatum in locum filij, dignum pariter efficit ad conſequendum locum Filij DEI.

## §. 2. *Authoritas.*

S. MarCVs, Defenſor pVræ, & ILLIbatæ. 492.

*Hoc eſt corpus: & Hic eſt Sanguis Domini noſtri JESU CHRISTI, quod, & quem*

*quem aſſumpſit, ex Dominâ noſtrâ, & immaculatâ Virgine MARIA.* In ſuâ Lithurgiâ, poſt elev. Sacram.

## §. 3. *Ratio.*

493. ſpeCIosVs DEVs: Ergo ſpeCIoſa Mater.

SI Beatiſſima Virgo eſſet concepta in peccato originalî, vel non ampliùs dici poſſet vera Chriſti Mater, vel ſi talis adhuc diceretur, Chriſtus non ampliùs eſſet ſpecioſus præ filijs hominum: Neutrum dici poteſt. Ergo Beatiſſima Virgo fuit immaculatè concepta. Primum repugnat definitioni Eccleſiæ, quæ cum D. Thomâ ſtatuit, MARIAM fuiſſe veram Matrem CHRISTI: Secundum repugnat Scripturæ, expreſsè dicenti Pſal. 44. *Specioſus formâ præ filijs hominum.* Sequela probatur, quoad primum: Ut ſit verus Pater, vel Mater, juxta communem obſervationem, ac æſtimationem hominum, filius debet vel ab alterutro, vel ab utrisque parentibus ſpeciem aliquam referre. Sed ſi Beata Virgo contraxiſſet in ſuâ conceptione peccatum originale, non potuiſſet Chriſtus ſpeciem aliquam ab eâ referre, cùm tamen omninò deberet; quia ex ſolâ Matre, ſine patre, conceptus eſt in terrâ: conſequenter, ſi debeat referre aliquam ſpeciem à parentibus, hanc debet referre à Matre. Ergò, &c. Min. Prob. A matre infectâ, & maculatâ, non poteſt niſi ſpecies infecta, & maculata referri: Sed ſpecioſus præ filijs hominum hanc ſpeciem referre non poteſt. Ergo, &c. Altera pars ex primâ ſequitur: Eo ipſo enim, ſi MARIA, in peccato concepta, eſſet adhuc vera Mater Chriſti, Chriſtus ab eâ ſpeciem peccati, & maculæ referret: Sed qui refert ſpeciem peccati, & maculæ, nequit ampliùs dici *ſpecioſus præ filijs hominum.* Ergò à primo ad ultimum, vel Mater ſpecioſa, & ſine labe, vel non ſine labe Filius, nec præ filijs hominum ſpecioſus.

## §. 4. *Hiſtoria.*

MonIaLIs, CaLCVLo LaborantIs ſanItas, ab ILLIbatâ ConCeptIone. 494.

DIes aderat, quo Romæ, in Monte Quirinalî, è Regione Pontificij Palatij, Monialis quædam admodùm devota, Ordinis Capucin. graviſſimè ex calculo laborans, vehementiore, quàm unquam antehàc, dolore efficiebatur. Hæc pluribus in vanum adhibitis remedijs, à Confeſſario tandem ſuo, Viro ex eodem Ordine, tam pietate, quàm prudentiâ conſpicuo, chartulam accepit, parti malè affectæ extrinſecùs admovendam. Erant autem dictæ inſcripta chartæ ſubſequentia verba: *Immaculata Conceptio Sanctæ Genitricis DEI, MARIÆ.* Porrò, cùm ægrota hæc Sanctimonialis, Divino haud dubiè inſtinctu, ſolo oblatæ chartæ contactu minimè contentaretur, eam, tanquam ſpiritualem medicinam, ſibi à Cœleſti Medico ſubmiſſam, reverenter ori applicans, avidè deglutivit, effectu tam mirabilî ſubſecuto, ut bini calculi, eidem prorsùs chartæ involuti, è corpore prodierint, ſanamq; impoſterùm, ac incolumem, mediante immaculatâ Virgine, Virginem religioſam reddiderint. *Raynaud. tom. 8. pag. 523.* Mirandam hanc reconvaleſcentiam, ſequentes verſiculi, ex Hieron. Petrucij venâ proflui, eleganter expreſsêre:

*Virgo, laborans calculo, chartam vorat:*
*Conceptio immaculata, quam ſcripto notat,*
*Chartâ involutos, quam priùs voraverat,*
*Duos repentè calculos parit.*
*Inſcriptione colligatos calculos,*
*Conceptio immaculata præcones facit.*
*Conceptionem labis expertem negas?*
*Lapides loquuntur: lapidis hoc verbum ſat eſt.*

## §. 5. *Symbolum.*

495. paVo, peDes ſorDIDos Cernens, Ceſſat sVperbIre.




Stellatas licèt ob maculas ſit Pavo ſuperbus:
Inſpecto ceſſat gloria cuncta pede.
Luciferi econtrà magis impia gloria ceſſat,
Virginis inſpecto, quæ ſine labe, pede.

*Quam pulchri ſunt greſſus tui!* Cant. c. 7. v. 1.

## §. 6. *Antiquitas.*

496. CaLCeo roDope, ab aqVILâ regI Deportato, ConCILIata Inter ILLos ſponſaLIa.

NOtatu digna antiquitas eſt, atque ad Conceptum paullò ſuperiùs ex Scripturâ deductum meritò referenda, quòd, dum Aquila quædam diutiùs per aera volitans, ſpecioſum roſtro calceum deportaret, eundem, ſpectante toto populo, ad pedes Regiæ cujusdam Majeſtatis cadere permiſerit: cujus proinde pulchritudo prorsùs admirabilis adeò ejusdem Regis captivavit affectum, ut per varias ſui Regni Provincias, plures confeſtim nuntios ablegârit, qui cujúsnam tandem ille calceus eſſet? ſummâ diligentiâ inveſtigarent; quo factum, ut, cùm poſt diuturnam inquiſitionem, tandem ab exploratoribus intellexiſſet, ad fœminam quandam (cui Rodopeæ nomen) calceum illum, à Jovis alite Regi delatum pertinere, eandem ſine morâ ad ſe adductam, tenerè adamârit, contractisque Sponſalibus, tanquam novam Reginam, ſpecialiter ſibi à Superis deſtinatam, Aulæ induxerit, *Ut refert Alexander ab Alexandro, & alij.*

Porrò non me latet, DEUM diverſis quidem vicibus mille exhibuiſſe indicia, quantùm calceamenta ipſe deteſtetur, adeò ut nec amiciſſimo ſuo famulo Moyſi permiſerit, calceatum ad ſe accedere, dum nimirùm apparuit in rubo, dicens: *Solve calceamenta de pedibus tuis.* Exod. 3. cujus ratio eſſe poteſt, quòd Sacris in litteris communiter pravi animi affectus per pedes intelligantur: quemadmodùm enim corpus pedibus progreditur, ita animus affectibus incedit, juxta illud tritum Auguſtini, de affectu amoris ita loquentis: *Illò feror, quocunque feror. l. 1. de Civit. DEI. c. 28.* Cùm proindè pravi plerumque affectus, & obliquæ inclinationes per pedes ſignificentur, non vult DEUS tales pedes in ſervis ſuis calceatos: ne opertis pedum maculis, humilitatis obliviſcantur. Econtrà ſummum habet Rex Regum gaudium, ac oblectationem in calceamentis pulcherrimis, non Rodope cujusdam, vanæ mulieris, ſed *benedictæ in mulieribus*, MARIÆ, de quâ admirabundus exclamat: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia Principis!* Cant. 7. v. 1. quo demonſtrat, tantam eſſe puritatem, ac Sanctitatem affectuum MARIÆ, per pedes ſignificatorum, ut nil in eâ deforme, nulla labes, nulla macula originalis reperiatur in primâ poſitione pedis in hunc mundum, per Conceptionem, ut proinde eam digniſſimam judicârit, quæ ſic glorioſè calceata, ad ſe adduceretur, inque ſponſam, ac Matrem proprij filij aſſumeretur.

§. 7.

§. 7. *Anagramma.*

497. Mater InVIoLata, aC pVra reſpLenDes.

*Gaude Mater inviolata; nam purè micas.*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXXII.

## §. I. *Scriptura.*

498. SI DeIpara aLLoqVenDa, à CasV protegenDa.

Cant. c. 8. v. 8. *Quid faciemus Sorori noſtræ, in die, quando alloquenda eſt?*

CUm adoranda rerum omnium Creatrix, ac gubernatrix Trinitas, poſt perfectiſſimè abſolutam, quinque dierum ſpatio, Cæli terræque, plurimorum inſuper diverſiſſimi generis animantium creationem, ſextâ tandem die, ad propriam ſupremæ Divinitatis imaginem, hominem quoque, ratione præditum
Gen. c. 1. v. 26. procreare decreviſſet, dicens: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, jamque actu *maſculum, & fœminam creâſſet eos:* alloquente, proh dolor! paullò poſt, primam mulierem Evam callidiſſimo ſerpente, ijs
c. 3. v. 1. verbis: *Cur præcepit vobis DEUS, ut non comederetis de omnî ligno Paradiſi? &c.* eamque mendaciſſimo illo promiſſo:
v. 4. *Nequaquam morte moriemini*, unà cum marito, totâque poſteritate in peccatum pertrahente, pœnituit eum, quòd hominem feciſſet in terrâ: *Pœnitet*
c. 6. v. 7. *enim me*, inquiebat, *feciſſe eos.* Veruntamen non modicum hìc intereſſe videbatur Divino Sacroſanctæ Triados honori, quasì tale quoddam opus, tamque perfectum producere nullatenus poſſet, quod minimè diſpliceret, aut unquam ruinam ſubiturum eſſet: Inière igitur tres Divinæ Perſonæ de novo conſilium, hanc quasì propoſitionem (ſi tamen, humano modo, de arcaniſſimis Divinitatis conſilijs diſcurrere fas ſit) inter ſe pertractantes: *Quid faciemus ſorori noſtræ, in die, quando alloquenda eſt?* in die ſcilicèt illâ, ſeu momento Conceptionis in utero materno, quando ſerpens aſtutiſſimus Mariæ, aliorum ad inſtar, hæreditariam, ſeu originalem aſpergere maculam conabitur? *Soror* etenim noſtra eſt, utpotè uni ex nobis carnem aliquandò propriam, ſanguinemque puriſſimum humiliter ſubminiſtratura. moxque concluſum unanimî ſententiâ illud, quod Chriſtianus olim Poëta Sanazarius, de partu Virginis, cecinit:

*Cumque caput fuerit, tantorumque una malorum* Lib. 1.
*Fœmina Principium, lachrymasque, & funera terris*
*Intulerit, nunc auxilium ferat ipſa, modumque,*
*Quà licet, afflictis imponat fœmina rebus.*

Age igitur Patris Omnipotentia! age Filij Sapientia! age Spiritûs Sancti amor! concurramus in *Sororis* noſtræ dilectiſſimæ auxilium! Pater Filiam tueatur, Filius Matrem cuſtodiat, Spiritus Sanctus Sponſam immaculatam conſervet! verbo, *ſi Deipara alloquenda, à caſu protegenda.* Dictum, factum: defenditur à Filio Mater, à Sponſo Sponſa protegitur, à Domino Domina propugnatur. Videbatur hìc Divinus præſertim Filius, in Throno

no Paternæ gloriæ reſidens, ſereniſſimis oculis ad MARIAM concipiendam converſis, ſic eam allocutus: O MARIA! ratum quidem, fixumque eſt, ut omnes ex Adamo, modo naturæ uſitato deſcendentes, pœnâ, ſupplicioque originalî plectantur, & maculam contrahant, à parente maculoſo profluentem; ſed quoniam delendæ huic labi naturam dignabor aſſumere, legi huic, maloque obnoxiam, ac idcircò Te *Sororem* noſtram dilectiſſimam, ex universâ omninò creaturâ, ſolam elegi, quæ huic perficiendo myſterio, ſanguinem mihi tuum commodes, méque Tu non *Fratrem* tantùm, ſed & *Filium*, ac te ego non *Sororem* modò, ſed & *Matrem* habeam: eximo te, liberoque lege hâc, in genus humanum aliàs prolatâ: neque patior, ut communis te caſus conſtringat, à quo te ex nunc protego, ac omnî momento abſolutam pronuntio. Sic prima prævaricatrix creatura per MARIAM correcta eſt, quæ ſine omnî labe concepta, fallaci ſerpentis allocutioni nec aurem præbuit, nec conſenſum. Liceat mihi modò, Virgo Beatiſſima! Sacroſanctæ, ac puriſſimæ Triados Sancta, ac puriſſima *Soror!* illis te verbis magni Patriarchæ Abrahami interpellare, quibus, cùm in Ægyptum tenderet, ad dilectiſſimam uſus eſt uxorem: *Dic, obſecro! quòd Soror mea ſis, ut bene ſit mihi propter te, & vivat anima mea in gratiam tui!* tunc præſertim *in die* illâ, *quando* & ego *alloquendus* ero, de cunctis meis cogitationibus, verbis, ac operibus, commiſſis, ac omiſſis, ſeveriſſimo judici rationem redditurus: tunc enimverò, ſi maculis fortè compluribus, necdũ pro rei exigentiâ dilutis, anima mea ſcateat, *dic, obſecro!* Virgo immaculata! *quod Soror mea ſis*, ejuſdem mecum ex Adamo ſanguinis: ut, ſi bene mihi eſſe non poſſit propter mea delicta, propter quæ ſæpiùs fortaſsè Creatorem *pœnituit, me feciſſe*, ſaltem *bene ſit mihi, propter te, & vivat anima mea, in gratiam tui.*

## §. 2. *Authoritas.*

S. MethoDIVs, à peCCato
pVræ teſtIs. 499.

1. *Quid dixit: Honora Patrem & Matrem, ut decretum à ſe promulgatum obſervaret, atque adeò in hac parte alios excederet, omnem Matri gratiam, & honorem impendit.* In Orat. ob Hypopant. Domini.
2. *Veſtis ſine maculâ ejus, qui lumen induit, ſicut veſtimentum.* Ibid.

## §. 3. *Ratio.*

propInqVa, MagIs partICIpant 500.
De prInCIpIo.

Beatiſſima Virgo debuit præ omnibus alijs perfectiorî modo recipere plenitudinem gratiæ à Chriſto, (ut habet S. Thom. *3. p. q. 7. a. 10. ad 1.*) qui eſt principium, & radix omnîs gratiæ, & meriti, juxta illud Jo. 1. *Gratia & vita per JESUM Chriſtum facta eſt.* & ad Coloſſ. 1. *In ipſo* (nempe Chriſto) *complacuit, omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia in ipſo.* Atqui eam perfectiorî modo non accepiſſet B. Virgo, ſi illam non recepiſſet in inſtantî Conceptionis; quia etiam Joannes Baptiſta, & alij poſt conceptionem, ante nativitatem, eam acceperunt. Ergo, &c. Min. patet. Maj. Prob. Beata Virgo præ omnibus alijs magìs appropinquavit, & conjuncta fuit Chriſto; quia ex ipsâ ſolâ ſuum formavit corpus: Sed forma, quò propinquior, & conjunctior eſt ſuo principio, ac radici, eò perfectiorî quoque modo, ſui eſſe à tali principio dirivatur; ſic enim juxta S. Dionyſium, *L. de Cœleſt, Hierarch. c. 4.* Angelici etiam Spiritus, quo magìs ſunt propinqui DEO, tanquàm ſuo principio, eò etiam perfectiorî modo participant perfectiones Divinas. Ergo Beatiſſima Virgo, præ omnibus alijs, debuit perfectiorî modo participare plenitudinem gratiæ

Divi-

Divinæ; quod per ſingularem ab Adami culpâ præſervationem factum eſt.

## §. 4. *Hiſtoria.*


501. VerItas pVrè ConCeptæ, Igne DeMonſtrata.

DUm duæ quondam Religioſæ Virgines, diverſorum quidem Ordinum, in quâdam Italiæ Urbe Tertiariæ conveniſſent, atque diſcurſu inter ſe formato, de duobus Eccleſiarum ſuarum Concionatoribus, illorumque ſententijs, ac doctrinis, plurima invicem retuliſſent: tandem de immaculatâ etiam MARIÆ Conceptione ſermonem miſcentes, eò devenerunt, ut unâ unam ſententiam, alterâ alteram mordicùs tenente (juxtà diverſas ſcilicèt duorum illorum Concionatorum opinione) non leve inter ipſas litigium fuerit exortũ, poſt plurimas verborum altercationes, non niſi flammis dijudicantibus terminandum. Ambæ igitur in arduum conſensère propoſitum, quo utraque ſimul Babyloniorum inſtar juvenum, ignitam ingrederetur fornacem, calorem diſputationis calore flamãrum extincturæ, ac vel ſic genuinam tanti myſterij veritatem, tanquam aurum in fornace probaturæ. Dictum, factum: nec veritas ulteriùs ſub caliginoſis ignorantiæ tenebris latere poterat, quando luculentiſſimum hoc elementum, tot linguis, quot flammarum pyramidibus, in ſublime exurgentibus, originalem MARIÆ innocentiam clarè edixit, dum una, quæ hanc ex mente Concionatoris ſui devotè propugnârat, è flammis prorsùs illæſa prodivit, alterâ, quæ MARIAM pertinaciter maculæ incuſârat, à voracî elemento quantocyùs conſumptâ. *Fr. Bonaventura Oconoro, Roſar. 4. apud P. Joannem Biſſelium, in Exemp. Quadrageſimal.*

* * *

## §. 5. *Symbolum.*

RVptâ Vnâ ChorDâ, InaMœna CIthara. 502.




Barbitos hic quid muta jacet? ſcio: deſtruit una,
Concordemque negat chordula fracta ſonum.
Deſtrueret pariter Genitrice in Virgine totam
Unum inſtans vitam, nî ſine labe foret.

*Quicunque offendit in uno, factus eſt omnium reus.* Jac. c. 2. v. 10.

## §. 6. *Antiquitas.*

NIJMpha, PhœbI præsIDIo, à perICVLo LIberata. 503.

FAbula eſt Poëtarum, quâ etiam utitur D. Cyrillus Alex. *l. 6. de adorat. in Spirit.* Phœbum proceſſiſſe aliquando ad venationem, idque ex amore ſpecioſiſſimæ Nymphæ, quam ſciebat per illos montes inſequi cervos. Iacula venatoris hujus, ſplendidiſſimi fuêre, ac fulgentiſſimi radij: Arcus, pulcherrima lux, Iridis inſtar efformata. Contigit autem, ut Nympha, cervam inſecuta, profundiùs intraverit ſylvam, tam pertinacî deſiderio, ut, ingruentibus noctis tenebris, ignara viarum, coacta fuerit ſubire antrum quoddam, in quo ſuaviter quieſcere, ſine omni curâ, ac timore cogitabat. Infelix certè puella! niſi an-

antrum pertranſiens Phœbus, miſellamque Nympham à longè intuitus, ſagittam de pharetrâ ſuâ in ſpeluncam fuiſſet eiaculatus, radium ſcilicet clariſſimæ lucis, quo excitata, & illuſtrata Nympha, tùm primùm cognovit, jacuiſſe ſe hactenùs meros inter bufones, colubros, ſerpentes &c. quo ſtupore? quo terrore? quàm attonita? nemo ſatis edixerit. Eapropter conſpecto præſentiſſimo internecionis periculo, momento ſurgens, ex antro aufugit, & velutì vulnerata cerva, ad venatoris gratioſiſſimi ſeſe pedes abijciens, eidem quas potuit, ob exhibitum præſervationis favorem, gratias rependit.

A fabulâ, ad ſeria convertamur! Phœbum, Divinum juſtitiæ Solem intelligo: Nympham, *pulcherrimam inter mulieres*, MARIAM interpretor. Hæc in hanc vitam, tanquàm in ſylvam, denſis undique peccatorum ſentibus obſcuram, per conceptionem ingreſſura, imminentibus jamjam originalîs maculæ tenebris, involvi haud dubiè aliorum inſtar debuiſſet, niſi amore ſpecioſiſſimæ hujus Nymphæ captus Unigenitus æterni Patris Filius, eamque ſibi Matrem in terris deligens, primo ſtatim momento, in antrum clauſtri materni, Annæ concipientis MARIAM, radium immiſiſſet clariſſimæ lucis, ſive gratiæ præſervantis: quo radio illuſtrata, vidit, in quanto fuerit periculo conſtituta, medios inter bufones, colubros, ac ſerpentes, id eſt, media inter peccatorum monſtra, à ſerpente infernalî, in Adamum, & ab hoc in omnes homines immiſſa: fuiſſet profectò & ipſa neceſſariò inficienda, niſi talî modo, radio Divinæ gratiæ maturè illuminata, eo ipſo conceptionis momento, fugam quaſi arripuiſſet, ac ad pedes Divini Servatoris ſe abijciens, ob tam ſingularem exhibitam præſervationem, infinitas eidem gratias rependiſſet.

### §. 7. *Anagramma.*

Labe Carens, DEVM In
sInV aLe! 504.

*Regem Deum amata, ac pura, alito in ſinu!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS LXXIII.

### §. I. *Scriptura.*

505. pLaCIta DEO anIMa, sIne
Labe InIqVItatIs.

Sap. c. 4. v. 14. *Placita enim erat DEO anima illius, propter hoc properavit educere illum, de medio iniquitatum.*

MIſera profectò publicè à S. Matre Eccleſiâ excommunicatorum ſors! præterquàm enim quòd gravibus plerumque immerſi flagitijs, caput gerant iniquitatibus coopertum, & animam per omnia DEO diſplicentem: excluſis inſuper talibus à Fidelium reliquorum conſortio

*Os: Orare: Vale: Communio: Menſa negatur.*

*Os*, id eſt collocutio, de quâ expreſsè Joannes *in ſecundâ ſuâ Epiſt.* admonet: *Ne Ave ei dixeritis. Orare*, id eſt publica oratio: *Vale*, id eſt Salutatio: *Communio*, id eſt commercium temporale: *Menſa*, id eſt, cibus & potus communis. Veruntamen ſimilem quaſi ex c. 1. v. 10.

ſi excommunicationem ſecum mundo inferre quemlibet recens natum infantulum, omnî ſpe ad æternam Beatitudinem, Sanctorumque communionem præcluſâ, niſi ad Sacrum Baptiſmatis lavacrum reconciliandus pertigerit, nemo eſt, qui neſciat. In collatione ergo S. Baptiſmi, prævio Crucis ſigno, ſeveris adjurationibus Satan expellitur, per hæc verba: *Exi ab eo immunde ſpiritus! &c. recognoſce ſententiam tuam, & da honorem DEO vivo, & vero: da honorem JESU CHRISTO, Filio ejus, & Spiritui Sancto, & recede ab hoc famulo DEI, &c.* ſed quid? Ergo infans hic miſerculus ab ipſo etiam dæmone eſt obſeſſus? imò. quot autem illorum? aut ſi unus, cujus nominis? fortaſsè *Legio?* &c. Audite, & obſtupeſcite! Unicum adeſt peccatum originale: unica animulam poſſidet iniquitatis hæreditariæ labes, quæ ſola tantum valet, ac ſi diabolis plena eſſet creatura, quæ præterea animam reddit DEO ſummè diſplicentem, gratiæque Divinæ participatione penitus indignam: ut ergo ſolvatur dicta excommunicatio, gratiæq; obex amoveatur, *Ave* etiam ipſi à Sanctâ Matre Eccleſiâ dici poſſit, Baptizandus eſt infans; quia per hoc Sacramentum porta ad omnia reliqua reſeratur: Communio Sanctorum, æternæque gloriæ aditus denuò aperitur: *placita* tandem *DEO anima* infantis redditur, utpote ab omnî jam labe iniquitatis penitùs abluta, & abſoluta. His modò ſuppoſitis, quis dicere audeat, Mariam, digniſſimam Verbi incarnati Genitricem, hunc aliquandò ſpiritum malignum, originale ſcilicet peccatum, in animâ ſuſtinuiſſe? tam improba certè, ac iniqua ſors tangere Mariam minimè poterat; quæ præ univerſis unica creaturis, oculis Altiſſimi accepta fuit: cui Angelus, DEI nuntius, non tantum *Ave* non denegat, ſed *gratiâ* inſuper *plenam* ſalutat, ac ſi diceret: *Ave* ſine peccato! *Ave* ſine macula! *Ave* ſine nævo, ſeu labe iniquitatis! *Ave placita DEO anima*; quia illum conceptura, progenitura, lactatura, qui omnes noſtras maculas pretioſiſſimo ſuo ſanguine eſt diluturus! Hinc licèt nos omnes in iniquitatibus fuerimus concepti, Davide nihilo meliores, qui de ipſo teſtatur: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea*; *properavit* tamen Divina in Matrem futuram pietas, ac providentia, *educere* illam, præ omnibus alijs, *de medio iniquitatum*, id eſt, in ipſo primo Conceptionis inſtanti, illam ſolam, ex omnibus in iniquitate originalî conceptis, miſericordiſſimè præſervavit. Dicere hìc, jure optimo, Maria poterat illud Pſaltis Regij: *In hoc cognovi, quoniam voluiſti me; quoniam non gaudebit inimicus meus ſuper me: me autem propter innocentiam ſuſcepiſti, & confirmâſti me in conſpectu tuo in æternum.* id eſt: In hoc demùm perſpexi, quàm *placita* ſit tibi *anima* mea: quo me amore, & affectu ſuper omnes alias creaturas proſequaris; cùm jam inde, non ab incunabulis tantùm, ſed à primo Conceptionis meæ articulo, protectionis tuæ umbone me tutatus fueris, Teque ipſum mei defenſorem, adverſùs cacodæmones, hoſtes meos jurratiſſimos oſtenderis, ad adjuvandum me feſtinâris, ſicque *properaveris educere animam meam de medio iniquitatum*, ut nullum ſibi jus in me vendicare orcus potuerit, aut minimam glorandi occaſionem habuerit, quaſi vel ullum in animam meam delictum irrepſerit, à quo me prævïè eductam in gratiâ confirmâſti, dignamque Filio tuo Matrem ab æterno deſtinâſti. Quæ cùm ita ſint, ac *placitam DEO animam, ſine labe iniquitatis*, ſine dirâ excommunicationis originalîs ſententiâ, Mariam hactenùs perſpexerimus: properemus in unum omnes, immaculatæ huic Virgini gratulabundum *Ave* depromere: *properemus* & nos *educere illam de medio iniquitatum*, ore ac calamo, quibuscunque puriſſimæ ejus Conceptionis hoſtibus viriliter reſiſtendo, ut & ipſa, potentiſſimâ ſuâ interventione, *properet educere* nos, *de medio iniquitatum* mundi hujus immun-

Pſal. 50. v. 7.

Pſal. 40. v. 12. & 13.

mundi, ac *placitas DEO animas* noſtras inducere in gaudia ſempiterna.

### §. 2. *Authoritas.*

506. S. NICephorVs, pVraM DICens.

*Inhabitans enim in utero Sanctiſſimæ, incontaminatæ DEI Genitricis Virginis, & in animâ, & in corpore præmundatæ Spiritu.* Epiſt. ad Leon. III. apud Baron. Tom. 9. Annal.

### §. 3. *Ratio.*

507. GratIa gratIfICans, præVIa aD BeatIfICatIoneM.

JUxta Theologos: Omne beatificandum per meritum Chriſti, ex prædeſtinatione Divinâ, eſt gratificandum gratiâ gratum faciente, per idem meritum. Atqui Beatiſſima Virgo fuit ſummè beatificanda, ex ineffabilî prædeſtinatione Divinâ, per meritum Chriſti, utpote quæ poſtmodùm actu fuit *exaltata ſuper Choros Angelorum, ad Cœleſtia regna.* Ergo ad tantam beatificationem prævìè fuit gratificanda, per gratiam gratum facientem. Subſumo. Atqui implicat, ut quis dignè gratificetur ad ſummam beatificationem, niſi etiam habeat ſummam gratiam; quia gratia eſt ipſa ratio formalis gratificans. Ergo Beatiſſima Virgo, ad ſummam obtinendam beatificationem, debuit prævìè habere ſummam gratiam. Sed ſi Beata Virgo ſemel contraxiſſet peccatum originale, eo ipſo non habuiſſet ſummam gratiam. Ergo cùm fuerit ſummè beatificanda, per meritum Chriſti, non potuit aliquandò contraxiſſe peccatum originale. Ultima Min. ſubſumpta prob. Ideò enim non habuiſſet ſummam gratiam, quia id, quod ſemel fuit ſub odio, & indignatione Divinâ, nequit ampliùs eſſe ſummè gratum, eò quòd ſemper illud inſtans odij, ac indignationis præſens ſit æternitati Divinæ. Atqui B. Virgo, contracto ſemel peccato originalî, fuiſſet aliquandò ſub odio, & indignatione Divinâ. Ergo non poſſet ampliùs habere ſummam gratiam; quia illud inſtans ſemper æternitati Divinæ præſens eſſet, ac conſequenter nec poſſet pertingere ad ſummam beatificationem.

### §. 4. *Hiſtoria.*


ForMVLa InItIaLIs, è CatheDrIs HIſpanIs. 508.

EA eſt Hiſpanis Verbi Divini præconibus, ac facundiſſimis Sacrorum ſuggeſtuum Oratoribus conſuetudo, ſummis per orbem laudibus celebranda, quòd priusquàm ad populum verba facere Eccleſiaſtes incipiat, hanc devotam Concioni ſuæ præmittat formulam: *Laudetur immaculata Conceptio Beatiſſimæ Virginis!* Occaſione porrò dictæ formulæ initialîs, memorabile die quadam contigit prodigium, mox pluribus enarrandum: Vir etenim, non ſingularî tantùm doctrinâ, ſed & religioſiſſimæ converſationis ſtudio celeberrimus, cùm ſupradictæ piæ conſuetudinis ipſe eſſet tenaciſſimus, nec unquàm Concionem inchoaret, niſi præmiſſâ eâdem formulâ: intellexit fortè, alterum quendam Concionatorem, non tantùm formulam hanc vilipendere, ſed & ſæpiùs contra immaculatam Virginis Conceptionem inſolenter è pulpito detonare. Quid hic ageret zeloſiſſimus Mariæ cliens? accedit ipſemet Concionem, & quæ hactenùs ab alijs intellecta diſplicuerant, proprijs jam auribus percipit: tamen injuriam Virgineæ Conceptioni illatam pro nunc diſſimulandam ratus, domum revertitur. verùm, cùm iterum dies illuxiſſet, quo alterum illum concionari oportebat, maturè ad eandem Eccleſiam progreditur, ac donec Concionator adveniret, Cathedræ vicinus expectat. jamque conſtitutâ horâ Orator acceſſerat; cùm ecce! pijſſimus hic Sacerdos, pulpitum aſcendenti (inſpirante haud dubiè

biè Numine) nummum porrigit aureum: quem lubenter dono acceptum, ad cathedram ille defert, ibique ad finem uſque Concionis, haud procul à pulpito collocat. Inchoatur interim Concio, intermiſsâ denuò formulâ, alijs Hiſpanis Concionatoribus laudabiliter conſuetâ. Sed ecce! dum ad ſupradicti nummi aurei orbem, ſub mediâ Concione, oculos caſu ſuos Orator convertit, videt, & admiratur, non ſine miraculo, eidem pulcherrimè inſcripta hæc eadem verba: *Laudetur immaculata Conceptio Beatiſſimæ Virginis.* quo miraculo plurimùm obſtupefactus, atq; opinionis ſuæ pertinaciam Divinitùs confuſam clarè admodùm perſentiſcens, jam non difficulter reſipuit. *Anton. Chanutus l. 6. de Concept. Mirac. 9.*

## §. 5. *Symbolum.*

509. DeIpara pVrè ConCepta,
nVbes MarIna.




Proveniat licèt è ſalſo nubecula Ponto;
Nil tamen hæc ſalſi filia dulcis habet.
Sic licèt ob maculam genitorum ſtirpe MARIA
Proveniat ſalsâ; nil niſi dulce ſapit.

*Ecce! nubecula parva quaſi veſtigium hominis, aſcendebat de mari.* 3. Reg. c. 18. v. 44.

## §. 6. *Antiquitas.*

ConIVgI oMnes VeſteS 510.
DetraCtæ.

TAnta erat Gualterij, Marchionis Grifeldensîs, ſuos in domeſticos durities, ac maximè in conjugem, quamvìs innocentem, leonina ſævities, ut in ejus fronte ſemper dixiſſes, pendere nebulas, in oculis micare ignes, in ore reboare tonitura, in manu percutere fulmina: hujus vulturis non ungues modò, ſed minimùm pennæ ſtridorem, uxor, ut timida columba reformidabat. eò autem barbara devenit mariti hujus erga pijſſimam uxorem atrocitas, ut (neſcio, quam ob cauſam, aut ſuſpicionem) domo eam in perpetuum violenter proſcripſerit. nec ſatis illi fuerat, in exilium compellere inſontem, niſi eam quoque gemmis, ac monilibus omnibus privatam, veſtimentis inſuper ad probroſam uſque nuditatem, ignominioſè ſpoliaret, ut vel ſic turpiter denudata, omnibus ludibrio foret, ac contemptui. Quantam violenta hæc nuditas honeſtiſſimæ cæteroquin matronæ intulerit ignominiam, ac caſtam erubeſcentiam, nemo ſatìs explicaverit, eam præſertim ob cauſam, quam ſequentibus ad maritum verbis afflicta inſinuabat: *Nuda*, inquiens, *è domo Patris egreſſa, nuda eòdem revertar, niſi, quòd indignum reor, ut hic uterus, in quo filij fuerunt, quos tu genuiſti, populo nudus appareat.* Franciſcus Petrarcha, & alij.

Quòd ſi hoc unum magnoperè conqueri voluit pia ſæviſſimi Marchionis conjux: an non meliorî jure conqueri etiamnùm poſſet Virgo illa, quæ Mater ipſius extitit Numinis, quæ in utero ſuo Virginalì, Filium DEI 9. Menſibus geſtavit, & virgo peperit, ſi virginale illud corpus, anima illa ſanctiſſima, unquam fuiſſet veſtimentis gratiæ ſpoliata, ut ſic nudata, riſui, ac ludibrio dæmonum, vel ad momentum expoſita fuiſſet.

Certè quis indignum non judicaverit, ut illa Mater, illa Spiritûs Sancti Sponſa, cujus in utero Filius requievit, quem DEUS ipſe genuit, juxta illud: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Pſal. 2. v. 7. detractis juſtitiæ veſtibus, nuda mundo appareat? cùm ipſa de ſe potiùs teſtetur, ac dicat illud Iſaiæ, c. 61. v. 9. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in DEO meo: quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento juſtitiæ circumdedit me, &c.*

### § 7. *Anagramma.*

AVe DeIpara absqVe Labe,
SoLe aMICta! 511.

*Ave munda puri Agni Mater, Sole amicta!*
Verſio litteralis,
*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS LXXIV.

### §. I. *Scriptura.*

512. DeIpara, SpeCVLVM
sIne Labe.

Sap. c. 7. v. 26. *Candor enim eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ.*

CReaturas omnes, cryſtallina eſſe Specula, DEUM nobis præſentem ſiſtentia, nemo facilè dubitaverit; *Specula* ſanè, in quibus aperta cernere licet celſiſſimæ Majeſtatis attributa: Potentiæ in creando, Sapientiæ in moderando, Providentiæ in gubernando, Bonitatis in ditando, Amoris in ſalvando, &c. verbo, *Specula* ſunt creaturæ, in quibus *inviſibilia DEI, per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.* (Rom. c. 1. v. 20.) Veruntamen ex omnibus hiſce Speculis, unum eſſe, reliqua omnia in claritate, ac puritate longè excellens, clarè nos inſtruit Doctor Angelicus, dum ait: *Fecit ergò ſummus artifex in oſtentationem pleniorem artis ſuæ, ſpeculum unum, clariſſimo clarius, Seraphim terſius, & purius, & tantæ puritatis, ut purius intelligi non poſſet, niſi DEUS eſſet: perſonam ſcilicèt glorioſiſſimæ Virginis.* (Opuſc. 16. de 10 gradibus amor. 6. grad.) Noverat nimirùm ſcholarum ille Angelus, varia numerari *ſpecula*: noverat Sacrã Scripturam *Speculum* eſſe, innuente id S. Jacobo, ac dicente: *comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ, in Speculo:* (c. 1. v. 23.) noverat & Angelos *ſpeculum* eſſe, ut ſcribit Dionyſius ex Areopago: *Angelus eſt imago DEI, manifeſtatio inviſibilis lucis, Speculum purum, lucidiſſimum immaculatum:* (L. de Divin. nom. c. 4.) Noverat & homines *ſpeculum* eſſe, affirmante id, ad ſuos Corinthios, gentium Doctore: *Videmus nunc per ſpeculum, in ænigmate:* (c. 13. v. 12) noverat tandem, omnes creaturas, ut ſupra diximus, *ſpecula* eſſe: Sed noverat etiam, magnam inter hæc omnia *ſpecula* differentiam; aliqua enim ſunt maculata actu, & potentiâ, quales ſunt creaturæ terreſtres, ipſis etiam hominibus non exceptis: aliqua, licèt actu non ſint maculata, ſaltem potentiâ, ut ſunt Spiritus Angelici; quia etiam *in Angelis reperit pravitatem*. (Job. c. 4. v. 18.) aliqua tandem nec actu, nec potentiâ maculata, quale *Speculum* puriſſimum primariò eſt Verbum æternum, cui ut Beatiſſima Virgo, tanquam futura Mater, perfectè aſſimilaretur, concepta fuit libera ab omnî maculâ; ſicque à creatione ex ſpeciali privilegio formata, ut in illâ, tanquam puriſſimo *ſpeculo ſine labe*, appareret clariſſimè *imago bonitatis Filij ſui.* ut idcircò optimè illud Sapientis MARIÆ applicandum videatur, quando ait: *Vapor*

Sap. 7. v. 25. & 26. *Vapor eſt enim Virtutis DEI, & emanatio quædam eſt claritatis omnipotentis DEI ſincera: & ideò nihil inquinatum in eam incurrit; candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine maculâ, DEI majeſtatis, & imago bonitatis illius.* Planè terſum adeò, atque mundum eſt hoc *ſpeculum*, ut in interiorî ejus animæ puriſſimæ fundo, clariſſimè ipſius Sacroſanctæ Trinitatis imago, tanquam in lucidiſſimâ cryſtallo, reluceret, licèt infirmis hominum oculis non appareret. Apparuit autem in hoc virginalî ſpeculo Tit. c. 3. v. 4. *Benignitas, & Humanitas Salvatoris noſtri DEI*, qui poſthàc in terris viſus eſt, & cum hominibus converſatus eſt. Tantùm igitur in MARIA ſolâ prævaluit meritum Redemptionis, ut licèt in omnibus alijs reliquerit maculam aliquam, qualis eſt peccatum originale, ab illâ ſolâ, tanquam *ſpeculo* immaculatiſſimo, omnem nævum culpæ prævièſuſtulerit. Vitrum quidem erat MARIA, ſi naturam ſpectare velimus, quod labi, frangique, aut ſaltem maculari poterat: at ſi gratiam, hoc eſt, candorem, fulgoremque attendamus, quem non ſibi ſed ſuo debebat artifici; omni erat peccato ſuperior. Neque hic ſilentio prætereundum, quòd Sacris in paginis refertur, feciſſe Moyſen; inter alia Templi ornamenta, ex DEI inſtinctu, labrum æneum, Exod. c. 38. v. 8. *de Speculis mulierum, quæ excubabant in oſtio tabernaculi.* pro quo notandum, quod Cornelius à Lapide, *in hunc loc.* exiſtimat: fuiſſe nimirùm hanc ſingularem Sanctarum olim mulierum devotionem, ut DEO ſe penitùs conſecraturæ, ſpecula, & ornamenta muliebria, quæ ſuæ priùs vanitati deſervierant, unà ſecum, pariter DEO conſecrarent, nullo deinceps ſpeculi miniſterio indigentes, utpote, quæ non externam ampliùs faciei, ſed internam tantùm animæ pulchritudinem curare ſtuderent. Veruntamen, neque tales devotæ animæ (ſiquæ, ut nullus dubito, in novo etiam teſtamento, inter mulieres reperiantur) ſpeculum recuſent! quinimò illud ſibi proponant *Speculum Virginale*, ab omnî etiam originalî maculâ puriſſimum, à nobis hactenùs in MARIA exhibitum, *in quâ*, teſte S. Ambroſio, *velut in ſpeculo, refulget ſpecies caſtitatis, & forma virtutis*; L. 2. de Virg. fruſtrà enim illæ, ad ſpeculum aliud, faciei deponunt nævos: unum ſit ipſis hoc ſpeculum terſum, ut ſtet flos incolumis caſtitatis, per MARIÆ Deiparæ, *ſpeculi ſine labe*, devotionem conſervandus. Efficiamur etiam juvenes, & Virgines, ſenes, cum junioribus, *ſpecula* per MARIAM clara, & lucida, in quibus ſemper reſplendeat pulcherrima imago Creatoris noſtri. Verbo, accipiat quilibet noſtrûm ſpeculum quodcunque, & bene attendat; ita enim propriam videbit imaginem, ut quod eſt à dextris, à ſiniſtris appareat, & viciſſim: oculus e. g. dexter à ſiniſtris, & auris ſiniſtra à dextris conſpiciatur. Sciat autem; tale etiam *ſpeculum* eſſe MARIAM, & quidem ſine labe, aut maculâ, in quod quicunque, per ſeriam devotionem; introſpexerint, quamvìs hædi antehàc fuerint, tamen mediante lucidiſſimâ hac Cryſtallo, ad Judicis quondam dexteram collocabuntur.

## §. 2. *Authoritas.*

NICoLaVs CVſanVs, VIrgInIs,
absqVe peCCato ConCeptæ; 513.
eX oMnIbVs VIrIbVs
propVgnator.

1. *Virgo glorioſa, cùm eſſet prædeſtinata ante ſæcula, ut ex ipſa reciperet DEI filius naturam humanam, ut DEI filius fieret filius hominis, ita concepta eſt, ut dignum ad hoc habitaculum fieret - - - - ſic etiam, quòd nullâ duratione fuit verum dicere, Virginem fuiſſe ſub peccato.* Lib. 5. Excit. ſuper illud: *Cælum, & Terra tranſibunt,* &c.
2. *Ipſa ſub principatu Auctoris mortis nullo unquam tempore fuit, in quâ vita debuit incarnari. non indiguit li-*

*beratore, qui ipſam abſolveret à ſententiâ in Adam &c. latâ, cui nunquam ſubjacuit; quia prævenit ſuccurrere miſericordia, electæ Matri miſericordiæ, qui concipitur & naſcitur liber: nec indiget liberatore à ſervitute, in quâ nunquam fuit; præliberatorem enim Virgo ſancta habuit, cæteri liberatorem, & poſtliberatorem; Chriſtus enim ſic omnium liberator, quòd & Virginis liberator, & præliberator, cæterorum verò liberator, & poſtliberator.* Lib. 8. in Cant. 2. v. 2.

3. *Ipſa ſola poſt Adæ lapſum non indiga, ſed plena originalî juſtitiâ, ut Eva, & multò magis creata fuit: ſicut Chriſtus ſecundùm humanitatis naturam in omnî plenitudine juſtitiæ multò magìs, quàm Adam creatus.* Ibid.

4. *Sola illa electiſſima DEI Mater hoc habet, quòd in initio eſſendi, ſub nequitiâ maligni deficere nequivit: puta, quòd in creatione rationalis anima in corpore, & ſeparatione à corpore, in poteſtate maligni nunquam fuit. ſola igitur glorioſiſſima Virgo non reperitur, tempore ullo, peccato originali ſubjacuiſſe.* Ibid.

## §. 3. *Ratio.*

514. HabItâ optIone, à FILIo aLIqVo Mater sIne Labe eLIgenDa.

IPſa ratio, & principia Syndereſeos dictant, & depoſcunt, ut is, cui daretur facultas, eligendi ſibi pro libitu parentes, ſemper eos eligeret, qui ſibi nobiliores, decentiores, remotioresque ab omnî prævaricationis maculâ viderentur: Sed CHRISTUS DOMINUS, æterni DEI Filius hanc utique facultatem, ſibi à ſuo Patre conceſſam habuit. Ergo ipſa ratio ſuadet, eum elegiſſe talem Matrem, quam ab omnî maculâ judicavit remotiſſimam. Sed talis minimè extitiſſet Beatiſſima Virgo, ſi in peccato originalî fuiſſet concepta; quia, ut ait S. Auguſtinus *L. 3. de libero arbitr. c. 6. Quidquid verâ ratione melius occurrerit, id ſcias, feciſſe DEUM.* & quid, obſecro! congruentius dici poteſt, quàm ut puriſſimo totius puritatis fonti, etiam puriſſima detur Mater? Ergo &c.

## §. 4. *Hiſtoria.*

B. GVIDISaLVVs ArChIEpIsCopVs, à VIrgIne aLbâ CasVLâ InDVtVs, pVræ ConCeptIonIs faVtor InsIgnIs. 515.

BEatus Guidiſalvus, cùm Toloſanæ Eccleſiæ Archi-Epiſcopus præeſſet, tantâ erat in Deiparam devotione inclytus, ut ob ſingularem erga eandem teneritudinis affectum non alio communiter, quàm MARIÆ Capellani nomine nuncuparetur. Hic quotiescunque ad aram Sacerdos litaret, Virginis ejusdem Benedictæ apparitione recreari meruit. Cùm ergò in ipſo quondam immaculatæ Conceptionis Feſto, ad Sacroſancta Miſſarũ Solemnia ſe pro more præpararet, Virgo puriſſima denuò illi præſentem ſe ſiſtens, Caſulam attulit, albi coloris, ſpecioſiſſimam, ſic illam porrigendo, Guidiſalvum allocuta: *Fili! ſcito, me ſine originalî maculâ fuiſſe conceptam: omnî igitur reverentiâ, ac ſolennitate Feſtum hunc Diem celebrare procura!* Archi-Epiſcopus igitur, non ſurdus auditor, mandatum pro viribus executus, tanto negotium iſtud ardore, feliciqúe ſucceſſu in ſe ſuſcepit, ut tota Hiſpania, omnésque vicinæ provinciæ, ad ſingularem cultum, ac Solennes immaculatæ Virgini honores habendos excitarentur: ipſe prætereà, per totum vitæ decurſum, annuo imposterum ſermone, ſingularî eloquentiâ perorato, dictam Feſtivitatem publicè condecoravit. *Bernardin. de Buſti. In offic. Concept. Die 2. Lect. 4.*

### §. 5. *Symbolum.*

516. SpeCVLa è CrIJſtaLLo, BasILIsCIs obIeCta, eneCant Iſta Monſtra.




Omnia lethifero Serpens necat iſte veneno,
Quem tamen objecto forma necat Speculo.
Peccatum Baſiliſcus erat, qui cuncta necavit,
Quem Speculum objectum ſola MARIA necat.

*Species decepit te.* Dan. 13. v. 56.

### §. 6. *Antiquitas.*

517. PLato, MeDIante SpeCVLo, InſtrVens.

LAudabilem admodùm inſtructionis modum Plato Philoſophus excogitavit, quando ad imbuendos optimis moribus diſcipulos ſuos, ſpeculum illis ſæpè ſæpiùs commendavit, quatenùs ſæpiùs in eo ſeſe contemplarentur, ac ſi illorum aliqui pulchros ſe, ac formoſos, quoad externam ſpeciem inveniſſent, ſummum in id ſtudium adhiberent, ut apparentem hanc corporis pulchritudinem, per virtutem jugiter conſervarent, augerentque, ac corpori pulchro animam jungerent non difformem. ſi qui verò deformes ſeſe, quoad externam corporis ſpeciem reperiſſent, totis ab illo momento viribus, ac nervis ſtuderent, virtuti adipiſcendæ, ut vel ſic compenſare poſſent, quod illis natura denegavit.

Sapientiſſimum certè Divini Philoſophi documentum! quod omnibus & ſingulis ſalubriter deſervire poterit, tunc præſertim, ſi per *ſpeculum* intelligamus Virginem Beatiſſimam, ſine omnî labe Conceptam, qualem §. primus, hujus noſtri Conceptûs propoſuit. Hoc enim Speculum devotè à nobis inſpectum noſtras clariſſimè deteget deformitates: nævos, ac maculas conſcientiæ noſtræ fideliter revelabit: modos, quibus easdem detergere, ac emendare poſſimus, complures liberaliter ſubminiſtrabit; Hanc enim Virginem Sereniſſimam quotusquisque noſtrûm aſpexerit, exardeſcet illicò in virtutes, horrebit, ac abominabitur inconcinnas vitiorum ſuorum monſtroſitates: in hac ſi oculos tumidus quiſpiam defigat, ac illius attendat altiſſimam depreſſionem, ſuam ſtupebit & erubeſcet elationem: ſi petulcus leno ad limpidiſſimam ſe ſiſtat MARIÆ puritatem, deteſtabitur fœtorem, & carcinomata ſua: verbo, non erit flagitioſorum, ac ſceleratorum aliquis, qui ſi Marianam ſpectet tam originalem, quam actualem innocentiam, ſuam in hoc Speculo non è veſtigio cognoſcat, ac deploret, tam hæreditariam, quàm propriam improbitatem: cumque elegantem viderit illibatæ Conceptionis pompam, ſaluberrima mox concipiet propoſita, illibatam impoſterùm agendi vitam, ac amœniorem inſtituendi converſationis integerrimæ harmoniam.

### §. 7. *Anagramma.*

Mater sIne Labe, ADæ, & EVæ sCeLVs Ignoras! 518.

*Tu Adami, tu Evae crimen palàm ignoras!*
Verſio litteralis
*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXXV.

## §. I. *Scriptura.*

519. CertaMen DeIparæ, Vt VInCeret.

Sap. c. 10. v. 12. *Certamen forte dedit illi, ut vinceret.*

AD arma! ad arma! certamen ineundum eſt, committendum prælium. Hæc olim frequenter audiebatur vox: hæc claſſica multotiès perſonabant, dum Divina diù ſatìs indulſit ordinatio, ac attingentis omnia fortiter, & diſponentis omnia ſuaviter, longo tempore diſſimulavit providentia, immaculatam Deiparæ Virginis Conceptionem gravibus *certaminibus*, doctiſſimos inter viros exponi, ac validiſſimis adverſarum partium oppoſitionibus, uſque ad Vicariam Apoſtolicæ Sedis inhibitionem, acerrimè divexari, ac exagitari. Veruntamen, ſi certæ veritatis habeatur illud D. Birgittæ vaticinium, quo eam Virgo Beatiſſima, ſuæ puriſſimæ Conceptionis reddidit certiorem, ut alibi retulimus: cauſam ſeu rationem, cur tantis hactenùs diſceptationibus, ac certaminibus videatur ab aliquibus in dubium vocata? è veſtigio ſubjunxit: *Scito*, inquiens, *quòd Conceptio mea immaculata non omnibus nota fuit; quia voluit DEUS, quòd, ſicut ante legem CHRISTI ſcriptam præceſſit lex naturalis, & electio voluntarij boni, & mali, ut poſteà veniret lex ſcripta, quæ frænaret omnes inſolentes affectiones; ſic placuit, ut amici DEI de meâ Conceptione dubitarent, & quilibet Zelum ſuum exerceret, donec veritas ſtudio magnitudinis meæ amplificandæ innoteſceret.* Ex quibus clariſſimè conſtat, *certamen* omne, hucuſque inter Doctores exortum, Deiparæ fuiſſe, *ut vinceret*, juxta ſupradictum Sapientis effatum: *Certamen forte dedit illi, ut vinceret.* Fuit ergo certaminis hujus nulla alia cauſa, quàm præcedens illud forte certamen, quod gratiam inter, ac naturam, in ipſo Marianæ Conceptionis articulo, acriter interceſſit: quod Joannes Damaſcenus, Virginis ut amantiſſimus, ſic Virgini amatiſſimus, hiſce verbis deſcribit: *Natura præcedere gratiam contendebat, hac ratione, quòd Sanctiſſimæ Virginis Conceptio, humanitatis ordinem non tranſcenderet: Non ſic (ſubdidit gratia) meum hoc eſt, & me concernit: præcedam ego, quia Virgo hæc ſuperioris erit ordinis, utpote in DEI Matrem elevanda. A cujus igitur parte ſtabit? vires noſtras tentemus, & fortior prævalebit. Initur certamen, & naturam gratia ſuperat, adeoque jure prævenit, ut MARIA vincens, meritò poſſit gloriari, ſe priùs eſſe ſanctificatam à gratiâ, quàm conceptam à naturâ, ſicque à gratiâ præventam, ut eâ tanquàm antidoto, in tantum ſit munita, ne natura ſuperveniens maculâ eam originalî contaminaret.* Orat. 1. de Nativ. quid clariùs hac Damaſceni explicatione, pro aſtruendo Deiparæ glorioſo *certamine, ut vinceret?* Atque hæc eſt cauſa, cur illo in certamine, quod infeliciter in Paradiſo contigit, ubi callidus ſerpens primis noſtris parentibus inſultans, totam eorum poſteritatem in tantam redegit ſervitutem, ut omnes, & ſinguli hodiedùm lamententur, non tamen auſus fuerit inimicus infernalis, illi prohibitæ arbori quatuor haſce affigere litteras: S. P. Q. R. *Serpenti Paradiſiaco Quis Reſiſtet?* Noverat enim, *Certamen forte* datum Deiparæ, *ut vinceret*, ſibique caput improbum confringeret, ac conquaſſaret. Veruntamen vitam hominis, ab infelicî illo certamine, uſque in hanc diem,

per-

perpetuam eſſe militiam, quis ignorat? teſtatur utique illud patientiæ Princeps Jobus, dum ait: *Militia eſt vita hominis ſuper terram.* nam primò habet intrinſecum, & inſeparabilem hoſtem, concupiſcentiam, quæ inſtar ſarcinæ gravîs, hominem deprimit ad bruta, & carnalia deſideria, quibúscum oportet continuò decertare, niſi ab eis mergi velit in interitum: ſemper ergo, ne beſtia fiat, cum beſtiâ pugnare debet. accedit peccatum originale, quod non ſolùm DEO infenſum facit, verùm & multis miſerijs obnoxium: unde prodit mira ad peccandum pronitas, atque ad bene operandum difficultas; ex quo fit, ut facilè labatur homo, & quidem graviter, accedentibus tot peccatorum illecebris, quibus caro difficulter reſiſtit: quomodò ergò in tam frequentî, ac arduo *certamine*, victoriam ſibi aliquis promittere poterit? Poterit certè, dummodo ad *certamen* Deiparæ ſine labe conceptæ ſæpiùs devotè reſpexerit, fortiterque pro ejus immaculato honore tuendo decertârit: tunc enimverò, qui *certamen forte dedit illi* (nempe MARIÆ) *ut vinceret*, dabit & nobis contra ſcelerum maculas victoriam, ac ultimo etiam gloriosè ſuperato conflictu, coronam imponet triumphalem, in Cœlis perpetuò viridantem.

c. 7. v. 1.

## §. 2. *Authoritas.*

520. OrIgInes, ConCeptæ DeIparæ, MagnVs propVgnator.

1. *Hujus igitur unigeniti DEI dicitur hæc Mater, Virgo MARIA, digna DEI, immaculata Sancti immaculati, una unius, unica unici.* Homil. in c. 1. Matth.

2. *Accipe ergo eam, ſicut commendatum cæleſtem theſaurum, Deitatis divitias, ſicut pleniſſimam Sanctitatem, ſicut perfectam juſtitiam: accipe eam ſicut Unigeniti manſionem, ſicut honorabile templum, ſicut donum DEI, ſicut Creatoris omnipotentis proprium, ſicut cæleſtis ſponſi donum immaculatum.* Ibid.

3. *Mater immaculata, Mater incorrupta, Mater intacta, quæ neque perſuaſione ſerpentis decepta eſt, neque ejus afflatibus venenoſis infecta eſt.* Ibid.

4. *Hic puer indiget patre ſuper terram; incorruptibilem enim habet Patrem in exelſis: non indiget Matre in Cœlis; immaculatam habet enim Matrem in terrâ, hanc Beatam ſcilicet Virginem MARIAM.* Hom. 3. in c. 2. Matth.

## §. 3. *Ratio.*

FILII DeVotI, erga Charos genItores, Magna obLIgatIo. 521.

CHriſtus DOMINUS debuit ſuæ Beatiſſimæ Matri, in omnî periculo, ac neceſſitate ſubvenire, eámque ab omni malo liberare: Sed peccatum originale eſt magnum periculum, & malum; quia inducit inimicitiam DEI, & reatum pœnæ æternæ. Ergo Chriſtus debuit eam ab hoc peccato omnî momento liberare. Maj. Prob. 8. Ethic. dicitur: *Nemo eſt, qui habeat ſuper aliquos talem obligationem, qualem habent parentes ſuper filios.* ex quo communiter deducitur, filios nunquam reddere poſſe æquivalens parentibus ſuis: conſequenter ſaltem obligantur, ijs ſubvenire ſecundùm totum ſuum poſſe, & omnes vires. Atqui Chriſtus verè fuit filius B. Virginis, imò ſpecialiorî modo; quia totam ſuam humanitatem, non à duplici parente, ſed à ſolâ Beatâ Virgine deſumpſit: Ergo tenetur (& ſpecialiorî quidem modo, quàm alius filius, qui ſuum eſſe accepit à duplici parente) ſuæ Sanctiſſimæ Matri, in omni neceſſitate, ac periculo ſubvenire, & ab omni malo, adeoque etiam ab originalî maculâ eam liberare.

### §. 4. *Hiſtoria.*


LaIJnez, pro Matre ILLIbatâ
522. DIſpVtans, à FebrI
LIber.

P. Jacobus Laynez, ex primis illis, ac præſtantiſſimis S. P. Ignatij Decemviris, nulli ſecundus, ac vel ideò ſecundus Soc. Jesu Præpoſitus Generalis, cùm ob ſingularem doctrinæ præſtantiam, Theologum ageret Pontificium, ac, ut talis, ad S. Concilij Tridentini Conventum ter vocatus, jugiter comparuiſſet, Febri ibidem quatriduanâ acerrimè correptus, cohiberi tamen non potuit, quin pro immaculatâ Deiparæ Conceptione fervidiſſimè peroraret, ac dictum Sermonem, in præſentiâ Patrum conſcriptorum, per tres continuas horas, ad modum diſputationis fundamentaliter inſtructum protraheret. Quod, quantùm Superis placuerit, ſequens docuit eventus; mox enim ceſſante Febrî, reſumptis ex integro viribus, adeò ſanus evaſit, ac incolumis, ut longo impoſterùm tempore, nullâ ſe ſenſerit infirmitate tentari. quid ergo mirum, ſi ſermone ſuo, non tantùm doctiſſimo, ſed tam raro etiam beneficio Cœlitùs præmiato, id præterea apud ejusdem Concilij Patres effecit, ut Decretum Sixti Papæ IV. unamiter confirmantes, liberrimum deinceps voluerint immaculatam Conceptionem propugnare, eandem econtra publicè impugnare, prohibitum dixerint?

*Ex Hiſt. Soc. Jeſu.*

### §. 5. *Symbolum.*

ConCeptæ DeIparæ 523.
BraVIVM.




En! currunt plures, tamen unicus ille bravium
Præripiet, ſatagit qui properare magìs.
Baptiſtæ, & reliquis Virgo ſine labe bravium
Præripit: ad ſtadium ſcit properare magis.

*Qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unicus accipit bravium.* 1. Corinth. 9. v. 24.

### §. 6. *Antiquitas.*

HerCVLes, De Leone for- 524.
tIter trIVMphans.

INter alia complura fortiſſimi Herculis (qui & Alcides dicitur) Heroica facinora, quæ recenſet Ovidius *9. Metam.* e. g. quòd ab ipſis cunis geminos angues, à Junone immiſſos, tenellis eliſerit unguiculis: quòd Stymphalidas, rapaciſſimas aves, humanis veſcentes carnibus, Solisque radios multitudine, & magnitudine obumbrantes, feraciſſimos prætereà Arcadiæ campos devaſtantes, telis confixerit: quòd Hydram, Draconem pluribus capitibus formidabilem, igne, & ferro, in Lernâ palude interemerit &c. illud quoque comprimìs memorabile reperitur, quòd in Nemæa ſilvâ, inuſitatæ magnitudinis Leonem

onem jugulaverit, cùm aliàs nec ferro, nec ligno, nec lapide interfici potuiſſet; in cujus triumphi memoriam, detractam dicto leoni pellem tanquàm glorioſum quoddam paludamentum, pro inſignî recepit.

Quid porrò aliud, quàm Leo terribilis, hoſtis eſt infernalis? qui vix creatis primis parentibus, ſtatim circuivit, nil aliud quærens, quàm ut hominem, in ſummâ tunc felicitate conſtitutum, totamque ejus progeniem, miſerandum in modum quoad animam devoraret: qui etiam, non invento, qui reſiſteret, ſtragem edidit, nunquam ſatìs deplorandam. Veruntamen prodijt tandem, omnî Hercule glorioſior MARIA, quæ Leonem illum Tartareum, à nemine alio, quantumvìs fortiſſimo, Sanctiſſimóque, primo Conceptionis aggreſſu debellandum, immaculatè concepta fortiſſimè jugulavit: Quòd ſi detractas occiſi Leonis exuvias, pro inſignibus Hercules geſtare voluit, geſtat ſimiliter MARIA immaculata, ſuis in imaginibus, pro Victoriæ inſignî, Virgineis ſubſtratum pedibus adverſarium, ſi non ſub ſpecie Leonis, Draconis certè, aut ſerpentis, vel in formâ alterius Monſtri, reportatam in Conceptionis certamine victoriam, ac triumphum plusquàm Herculeum abundè denotantis.

### §. 7. *Anagramma.*

ConCepta RegIna, IVre MVnDa. 525.

*Jure munda pates, O Regina immaculata!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXXVI.

### §. I. *Scriptura.*

526. MeDICIna, à CasV præſerVans.

Eccleſiaſtici c. 18. v. 20. *Ante languorem, adhibe medicinam!*

DUm ſalutiferum Medicæ artis ſtudium, ac officium attentiùs conſidero, duplicem illi, de proximi ſalute, ineſſe curam animadverto: non eam nimirùm ſolam, quâ afflicta poſſit ſanitas, per convenientia reſtitui medicamenta, verùm etiam illam, quâ per conſtantem ſanitatis tuendæ cuſtodiam, omnis poſſit languor, providâ temperantiâ, aut certè præſervativo quodam medicamento præverti. Hunc ultimum ſanitatis conſervandæ modum non approbare tantùm, ſed & ſuadere videtur Eccleſiaſticus, dum ait: *Ante languorem adhibe medicinam!* noverat nimirùm & ipſe, quàm Medici experti ſcientiâ, aut labore frequenter indigeat ille, qui vitam protrahere in longam ſenectutem deſiderat, ſive ſanus, ut conſervetur, ſive æger, ut reſtituatur? ut adeò idem Eccleſiaſticus ſingularem Medico honorem haberi velit, inquiens: *Honora Medicum, propter neceſſitatem.* Porrò, quis neſcit, c. 38. v. 1 *magnum* (ut magnus ait Auguſtinus) *de Cœlo deſcendiſſe Medicum; quia magnus in terrâ jacebat ægrotus?* Magnus certè ægrotus, Adam nimirùm ex vetito pomo languidus, totaque cum ipſo poſteritas ad mortem æternam periculoſiſſimè ex malo hæreditario decumbens! veruntamen (ut verba ſonant ejusdem Eccleſiaſtici) *Altiſſimus*

v. 4. *de terrâ creavit medicinam*, id eſt, ex carne Virginis MARIÆ Salvatorem; *JESUS* enim interpretatur *Salvator*, ſive *Salutare*; quia Salvator *Medicus*, & Salutare *medicina* eſt. per *Terram*, MARIAM intellige; ſic enim verba ſo-
c. 45. nant Iſaiæ: *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem!* quòd autem hac ex terrâ creatus ſit, teſtis eſt Apoſtolus,
Galat. c. 4. v. 4. dicens, eum *Factum ex muliere.* Medicamenta ergo, ac pharmaca, quibus Cœleſtis ille Medicus utebatur, Sacratiſſima ejus erat paſſio, ſanguis, vulnera; ſic enim cantat Joann. Audenus:

l. 3. *Pharmaca ſunt potiùs, quàm vulnera,*
*Vulnera CHRISTI;*
*Curat enim plagis vulnera noſtra ſuis.*

Atque, ut hoc medicamento omnes liberaret, artisque medicæ experimentum, tum *poſt*, tum *ante languorem*, tum actualiter, tum præſervativè redimendo, ac liberando perhiberet, licèt alijs omnibus, in originalîs maculæ infirmitatem prolapſis, paſſionis curativum applicârit remedium, MARIÆ tamen ſoli, ante omnem languorem, præſervativum ejusdem paſſionis poculum propinare voluit, ut eſſet illi *medicina à caſu præſervans:* ſic ſentiente Eccleſiâ, ac canente: *qui ex morte Filij tui prævisâ, eam ab omnî labe præſervâſti.* Hoc autem præſervativum Chriſti remedium, MARIÆ applicatum, veram fuiſſe, ac dici poſſe liberationem, ſeu Redemptionem, clara teſtatur Auguſtini ſententia: *Rectè*, inquit ille, *dices medico* (oblato nimi-
In Pſal. 85. rùm talî remedio) *liberâſti me ab ægritudine, non in quâ eram, ſed in quâ futurus eram, &c.* & ſanè, nobilius hoc genus redemptionis eſt, & liberationis: præcaveri ſcilicet vulnus, præſidioq; ſecuro præmuniri, quàm accepto vulnere ſaucium, tandem obductâ cicatrice ſanari: ſic majoris etiam, ac potentioris gratiæ, ab exitio ſervari incolumem, & communi internecioni mirificis privilegijs ſubtrahi, quàm per commune ſcelus aliquando contaminatum, eodem, quo alij, remedio reſanari. Feliciſſimus ille omnium, qui nullum gaudium hoſtibus dedit, nullâ aduſtus ſcintillâ, flammæ non ſenſit veſtigium, ubi omnes alij flagrantî incendio ſunt penitùs exuſti. An non ingens beneficium, alieno periculo, ſanguine, & vitâ, redimi ſuam, ne ullo periculo prætentari poſſit? Atque ſic, adhibitâ ante languorem medicinâ, redempta fuit Virgo Beatiſſima. imò, ut Bernardinus Sen. ſcribit: *Chriſtus DOMINUS plus pro B. Virgine redimendâ venit, quàm pro omnî aliâ creaturâ.* Serm. de Concept. ita quidem, ut hujus redemptio, longiſſimo intervallo, illâ Adami redemptione ſit glorioſior, quantò nimirùm glorioſius eſt, nunquam fuiſſe DEI hoſtem, quàm fœdâ prolapſione peccati, contra DEUM bella geſſiſſe. Sicut ergo Adamus, Chriſti redemptione DEO reconciliatus, ab æternâ morte fuit liberatus. ſic Virgo Beatiſſima, ijsdem Chriſti meritis, ab originalî peccato, ejusque debito, redemptivam, ac liberam immunitatem in tantùm eſt conſecuta, ut non fuerit pacto Adami comprehenſa, ſed præſervativam puriſſimæ innocentiæ tabulam ſit ſortita. Quis non miretur, ſaluberrimum hoc Cœleſtis Medici adinventum? quis non celebret nobile redemptionis opus, ac ſingulare liberandi genus: invenire viam, & decretum ſtatuere, ut filia Adami non poſſet traduci, tanquam filia Adami peccatoris, quæ ex naturæ conditione potuiſſet, ac debuiſſet traduci, & ſine legis violatione, in unius à caſu præſervandæ Virginis favorem, à legis præcepto inſtituere exceptionem? Huic ergo Virgini unanimiter gratulemur! ab hac & languoribus noſtris medicinam mutuemus! adhibeamus medicinam pœnitentiæ, caſibus præteritis: adhibeamus etiam medicinam à caſu præſervativam, per ſpecialem Virginis immaculatæ dilectionem! teſta enim eſt MARIA, quæ noſtram, ceu Jobi, ſaniem radet: medicum fel eſt, quod oculorum aciem, ut Tobiæ, ſerenabit: Balſamum eſt, & myrrha, quæ à corruptione

ſer-

ſervabit, & hiantia claudet vulnera: verbo, *Apotheca eſt CHRISTI Medici*, ut ait Richardus à S. Laurent., *qui per* De Laud. Virg. l. 3. *MARIAM venit ſanare mundum languidum, qui per Evam ægrotabat.*

## §. 2. *Authoritas.*

527. OroſIVs, DeIparæ, pVrè ConCeptæ aMator.

*Coram DEI novi, & in veritate comperi, quòd nulla mulier in partu periclitetur, ſuper quam devotè MARIÆ gratia imploratur, & dies Conceptionis ejus celebratur.* Epiſt. ad Heliodorum.

## §. 3. *Ratio.*

528. MeDICIna sIt proportIonata ConſtItVtIonI.

PRæſtantiſſimus Medicorum Princeps Galenus *comm. 46.* absque dubio, non ſine ratione docet: *Ut priſtinum temperamentum corporis evocetur, & reſtituatur, etiam applicanda eſt medicina, quæ illi omninò ſimilis ſit.* Ex quo ſequentem formo rationem. B. Virgo Maria erat ſuo modo *medicina*, ſalvatrix, & mediatrix, cum ſuo Divino Filio, primi temperamenti humanî (nempe gratiæ, in quo Adamus creatus fuerat) deperditi verò poſteà per peccatum originale: Sed huic temperamento non potuit eſſe Beata Virgo medicina, ſi fuiſſet concepta in peccato originalî. Ergo vel Beata Virgo non potuit eſſe medicina pro reparando primo temperamento, vel debuit eſſe concepta ſine peccato originalî. Maj. tenent SS. Patres, ex quibus Anſelmus de Laud. V. c. 11. *DEI Genitrix, meritis ſuis cuncta reparando, Mater eſt, & domina rerum.* Ildephonſus *Serm. 1. de aſſumpt.* vocat eam *Reparatricem perditi orbis.* Bernardinus, in ſuo memoriali, *MARIA*, inquit, *adjutrix noſtræ redemptionis auxiliatrix noſtræ juſtificationis*: Min. Prob. Primum temperamentum erat ſtatus juſtitiæ originalîs, in quo Adamus fuit & totum genus humanum fuiſſet: qui conſiſtit in gratiâ Sanctificante, cum omnibus donis, tam naturalibus, quàm ſupernaturalibus. Sed huic non tantùm non ſimile, ſed nil magis diſſimile eſt, quàm eſſe conceptum in aliquo peccato. Ergo ut B. Virgo ſit ſimilis primo temperamento, omninò debuit eſſe concepta ſine peccato.

## §. 4. *Hiſtoria.*


MaſtrILLVs, VIrgInIs ILLIbatè ConCeptæ, & XaVerII aVXILIo, à perICVLo LIberatVs. 529.

FRanciſcus Maſtrillus, inclytus poſteà Societatis JESU in Japoniâ Martyr, cùm Neapoli, Anno Milleſimo, Sexcenteſimo, Trigeſimo tertio, in erigendo quodam pegmate, in honorem Virginis immaculatæ; ferventiùs occuparetur, caſu fortuito graviter vulneratus, ad extremum devenit vitæ terminandæ periculum; adeò nimirùm malleus quidam grandior, è ſuperiore loco decidens, lethaliter caput ejus ſauciavit, ut deſperatâ ſalute, ad infirmariam Laicorum fratrum humeris deportaretur, mortique proximus crederetur. Veruntamen paullò poſt apparens eidem jamjam agonizanti Xaverius, glorioſus Japoniæ Apoſtolus, cereum illi ardentem, unà cum baculo peregrinorum, ipſemet in formâ peregrini obtulit, eâ factâ optione, ut ad quod placeret, extenderet manum: an placidâ morte, per cereum mortualem deſignatâ, vellet defungi? an verò, baculo aſſumpto, placeret, amore DEI, pergere ad Japones, Evangelij ibidem dilatandi causâ? Et ecce! elevatis moribundus oculis, generoſo ſcipionem animo apprehendit, vitam, & ſanguinem pro Chriſto daturus, ac momento à Xaverio eſt perſanatus: intercedente, haud dubiè apud Filium, ac medelam afferente Virgine Matre, cujus ille immaculato honori totis viribus intentus, vulnus tam

periculoſum acceperat. Contigit hoc miraculum, obſtupeſcente totâ Neapolî, & habetur *in ejus vitâ*, nec non *apud P. F. Caſimirum Füeſſlin, in Feſto Purific.*

### §. 5. *Symbolum.*

530. AnChora, DeIparaM à naVfragIo ConſerVans.




Undivagam retinere ſolet, ſpumante procellâ,
Fluctibus in medijs Anchora jacta ratem.
Anchora conceptæ ſed quæ ſine labe MARIÆ?
Gratia præſervans Numinis: illa tenet.

*Tu Domine ſingulariter in ſpe conſtituiſti me.* Pſal. 4. v. 9.

### §. 6. *Antiquitas.*

531. LeanDer, In Materno AgrIppInæ sInV, ab InterneCIone LIber.

Vivebat in Aulâ Arcturi Regis (ut referunt Annales Britannici) Aulicus quidam, nomine Leander, qui ab Anglis pecuniâ correptus, ut Regem interficeret, eidem prandio aſſidenti venenum porrexit. Verùm detectâ mox fraude, juſtiſſimo accenſus furore Rex, à menſâ confeſtim proſilijt, arreptoque gladio fugientem reum eſt inſecutus. Perijſſet hìc absque omnî dubio miſer, niſi in anteriorî cubiculo Aggrippinam offendiſſet, Regis matrem, caſu præſentem: quam ut conſpexit, velociter accurrens, caput improbum in ejus ſinu abſcondit. Hunc ergo cùm propiùs accedens furibundus Rex enſe jamjam confodere attentaret, exclamavit Agrippina: *Siſte Arcture! parce ingrato licèt, & fœdifrago! dignus eſt, fateor, non unâ tantùm morte: ſed maternus tuæ Genitricis ſinus præbeat miſero aſylum!* quid ad hæc Arcturus? obſtupefactus certè ob tantum Matris affectum, ſentienſque viſcera ſua, tam potenti Agrippinæ interventione commoveri, gladium abjecit, omnîque jam ferocitate depoſitâ, reo læſæ Majeſtatis veniam dedit, vitamque conceſſit. Indignati quidem eam ob cauſam proceres, hoc Regi ijs verbis exprobrârunt: *Tam facilè adeò ſcelerato capiti parcis?* quibus ſuaviter ille repoſuit: *Mater vindictam inhibet.* ac ſi diceret: *Quomodò interficiam illum, qui in ſinu Matris meæ quæſivit aſylum? Abſit, ut ſceleſti ſanguine ſinum Matris conſpergam! Agrippina Mater, tibi illum dono, &c.*

Haud abſimiliter nobis peccatoribus, læſæ Divinæ Majeſtatis multoties reis patrocinari ſæpeſæpiùs dignatur Mater Regis Regum; dum enim feralis Divinæ juſtitiæ ictus, ac fulmen æternæ reprobationis imminet, quo miſeri fugiemus, niſi ad MARIÆ ſinum, tanquam unicum peccatorum aſylum? ſiſtet illa minantem vindicaturæ Nemeſîs manum, vibratum ipſa avertet fulmen. Quòd ſi verò maximis peccatoribus ob MARIAM, tam frequenter gratia ſalutis ſolet obtingere: quomodò credendum erit, ipſimet MARIÆ gratiam aliquando ullam, in proprium favorem, fuiſſe denegatam? quomodò credendum, Filium non præ omnibus alijs innocentiſſimæ Matris miſertum, ab internecione eam originalî liberando, ac præſervando? intuitu nimirùm ſinûs illius materni, in quo totiès ſe noverat lactandum, totiès ſuaviſſimè ſe ſciebat quieturum.

quâ

quâ enim ratione interfici eam lethalî ſceleris originalîs vulnere pateretur, cujus ſinus ipſi quandoque ſervire deberet in aſylum, contra Herodiani militis furorem? Abſit, ut ſceleſtî protoparentum maculâ, talis ſinus, tale aſylum, ullo momento conſpergatur!

§. 7. *Anagramma.*

Mater VItæ, Lata aD CæLos IanVa! 532.

*Ave munda Caeli porta! vitam germinas.*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXXVII.

§. I. *Scriptura.*

533. ILLI fIDeLIs, teMpore trIbVLatIonIs.

Eccli. c. 22. v. 29. *Tempore tribulationis, permane illi fidelis.*

TAm rara eſt in hominum conſortio vera, ac conſtans fidelitas, ut illam attentiùs conſiderans Divinus Sapiens, inventu pronunciârit omninò difficilem; ait enim:
Prov. 20. v. 6. *Multi homines miſericordes vocantur: virum autem fidelem quis inveniet?* Eandem quæſtionem movet etiam gen-
1. Corinth 4. v. 2. tium Doctor, dum ait: *Hìc quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur?* ut adeò bene Eccleſiaſticus dixe-
Eccli. c. 6. v. 15. rit: *Amico fideli, nulla comparatio.* ac verum ſit illud Poëtæ:

*Millibus ex multis, unus vix fidus amicus:*
*Hic albo corvo rarior eſſe ſolet.*

Numerare nimirùm licet amicos plurimos, qui tempore ſereno latus ambiunt, nubilo dormiunt: torrentibus non abſimiles, qui tempore pluvio, dum abundant aquæ, ipſi etiam alveos implent, & in littus deſpumant: æſtivo econtrà tempore, dum torret Sirius, & hiant agri, ceſſant & ipſi, ſiccisque arenis ſe contegunt. atque hâc ipsâ ſimilitudine, ad ſuos quondam amicos, uſus eſt Huſſæus patiens: *Fratres mei*, inquit, *præterierunt me, ſicut torrens, qui raptim tranſit in convallibus.* à quo haud multum abludit Eccleſiaſticus, ijs verbis: *Eſt amicus ſocius menſæ, & non permanebit, in tempore tribulationis.* Verùm, quid Divina nos hac de re veritas inſtruat? audiamus: *Vos*, inquit, *amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis.* porrò quid aliud fuerunt quàm *amici* menſæ, protoparentes noſtri, dum contra *præceptum* Domini temerè *facientes*, de cibo comederunt prohibito, ac deteſtandâ infidelitate, Creatoris ſui benigniſſimi mandata ſunt prætergreſſi. Hìc jam incipere videbatur *tempus* omnîs *tribulationis*, non ex parte tantùm prævaricatricis creaturæ, cui è veſtigio dictum: *Maledicta terra in opere tuo! &c. Spinas, & tribulos germinabit tibi. in dolore paries filios, &c.* verùm etiam ex parte ipſius Creatoris, cui maxima eſt *tribulatio* tempus illud qualecunque, quo anima per peccatum grave ei *infidelis* efficitur: Enimverò, ſi per peccatum tantùm unicum mortale, Filius DEI adeò hodiedùm affligitur, ut poſitis ex unâ parte flagellis, ſpinis, ſputis, clavis, felle, alijsque Paſſionis inſtrumentis, & ex alterâ, uno ſolo peccato mortalî, hoc ultimum majorem ei *tribulationem* afferret, quàm totus ille tormentorum cumulus: ſi absque ullâ comparatione, plus odio habet tale peccatum,

Job. c. 6. v. 15. c. 6. v. 10. Jo. c. 15. v. 14. Gen. c. 3

tum, quàm omnes pœnas & dolores, quos pro eodem ſuſtinuit : ſi adeò illum affligit culpa mortifera, ut licèt à peccatoribus reipsâ de novo non crucifigatur , tamen quotiescunque talî culpâ offenditur , crucifigatur æquivalenter: ſi, inquam, tantam illi affert *tribulationem* unicum mortale, ab unico homine comiſſum: quid, obſecro, dicemus, de *tempore* illo *tribulationis* Divinæ , quo per originale peccatum, nemo ipſi permanſit *fidelis*, omnibus ab eo recedentibus, unicâ exceptâ Virgine Beatiſſimâ, quæ miſerante ſpecialiter eodem Creatore , non ſocia inſtructæ per ſerpentē menſæ, ſed amica Divini præcepti fideliſſima permanſit? ut in MARIA ſolâ ſine labe conceptâ, illud Eccleſiaſtici adimpletum videatur : *Tempore tribulationis permane illi fidelis!* gloriari namque hæc ſola poterat, ijs Hieremiæ verbis:
c.16.v.19. *Domine, fortitudo mea, & robur meum, & refugium meum, in die tribulationis.* Hinc eſt, quòd de ſingularî hâc MARIÆ præſervatione, ac fidelî perſiſtentiâ, dici optimè poſſit illud Eccleſia-
c.35.v.26. ſtici: *Specioſa miſericordia DEI, in tempore tribulationis, quasì nubes pluviæ, in tempore ſiccitatis.* quemadmodùm enim nubes pluviæ paulatim decidens , arentem fœcundat terram, ut fructus proferat, in tempore ſuo; ſic ſpecioſa Numinis præſervantis miſericordia , in *tempore* originalîs *tribulationis* MARIÆ impenſa, jugis erat diſpoſitio, ad fœcundandam aliquando MARIAM, & proferendum ex hac Virgine fructum Divinum , in tempore ſuo. Contigit nempe MARIÆ illud ipſum , quod ſervo quondam Evangelico, cui ob ſingularem, quam Domino exhibuit, fidelitatem , dictum eſt: *Euge ſerve*
Matth. c.25.v.23. *bone, & fidelis , quia ſuper pauca fuiſti fidelis , ſuper multa te conſtituam.* ſic , inquam, quia MARIA quoque *ſuper pauca fidelis*, ſuper ipſum modiciſſimum. Conceptionis ſuæ inſtans ſollicita, Numinis amica omnî momento permanſit, mirum videri minimè debet, quòd *ſuper multa* fuerit conſtituta, nempe ſuper ipſam incarnandi æterni Verbi conceptionem, ac munus tantæ Maternitatis ſublimiſſimum ſubeundum. Hæc ut & nobis, *in tempore tribulationis*, in die nimirùm judicij, *fidelis* permaneat, noſtrasque cauſas maternè ſuſcipiat, honorem ejus omnî tempore immaculatum, *fideliter* & nos omnî tempore tueamur.

### §. 2. *Authoritas.*

PetrVs BLeſensIs, pVraM à Labe præDICans. 534.

*De maſsâ carnis humanæ, quasì de quâdam Univerſitate frugum, in modum decimæ primitivæ, MARIÆ caro exempta, & ſanctificata eſt, & de illâ Sanctiſſimâ carne, adhuc dignior quædam portiuncula electa eſt, quam ſibi aſſumeret Verbum Dei.* Serm. 44.

### §. 3. *Ratio.*

SponſaLIa CVM InfIDeLI, eo Ipſo IrrIta. 535.

DIvinæ, humanæque leges irritant Matrimonium initum à fideli, cum infideli, ut habetur *Exod. 34. Deuter. 7. & 2. Corinth. 6. Nolite jugum ducere cum infidelibus.* ita colligitur etiam ex c. *Cave* 28. q. 1. ubi ait gloſſa: *Non eſt ſatis, niſi ambo initiati ſint Sacramento Baptiſmi.* Sed licèt Legislator non teneatur vi coactivâ; quia nempe (juxta S. Doctorem *q. 96. a. 5. ad 3.*) nemo in proprio facto judex eſt: tamen tenetur vi directivâ, aliquo modo. L. *Princeps.* de Legibus. *Licet Princeps ſolutus ſit legibus, tamen decet eum conformiter legibus vivere.* & L.23. ff. de legatis. *Decet enim, tantam Majeſtatem eas ſervare leges, quibus ipſe ſolutus eſſe videtur.* Ergo legislator Divinus, licèt non teneatur ad ſuam prædictam legem ſervandam, vi coactivâ, tenetur tamen aliquo modo, vi directivâ. Ex quo ſic argumentor : Verè Dominus DEUS ſibi in Sponſam ab æterno elegit, & copulavit B. Virginem. Sed per peccatum originale fieret infidelis DEO; quia ei rebellis, & mancipium di-

aboli

aboli eſſet. Ergo, cùm DEUS ſupradicto modo teneatur, legem ſuam ſervare, non poterit ſibi ab æterno copulare B. Virginem, niſi ut immunem à peccato originalî.

### §. 4. *Hiſtoria.*

536. aLensIs, ConCeptIoneM sIne Labe negantIs CorreCtIo, & VLtronea feſtI CeLebratIo.

ALexander Alenſis, præclarum illud ſcholæ Theologicæ lumen, ſummorum Doctorum, Divi Thomæ, ac Bonaventuræ Magiſter celeberrimus, cùm adhuc ſæcularis exiſtens, nollet celebrare Feſtum immaculatæ Conceptionis, ab alijs compluribus piâ devotione peractum, eò quòd ipſam maculatam affirmaret, imò ad impugnandam ejusdem originalem innocentiam, calamum jamjam ſtrinxiſſet: gravî mox infirmitate correptus, à propoſito deſiſtere debuit. Verùm, cùm mutandæ impoſterùm ſententiæ ſuæ, ac ſupradictæ Feſtivitatis, omnî poſthac devotione, & celebritate peragendæ, Numinis inſtinctu, votum capeſſeret, mox ab omni infirmitate, mediante Virgine, liberatus eſt, ita tamen, ut ſingulis impoſterùm annis, 8. Decembrîs, eodem, quo priùs decubuerat, morbo leviuſculè tentaretur. Veruntamen totus jam mutatus ab illo, integrum de eodem illibatæ Conceptionis myſterio Librum, ſummâ diligentiâ, conſcripſit, qui Liber in hodiernum uſque diem, Toloſæ in ejusdem Civitatis Baſilicâ honorificè aſſervatus, in magnum cedit, tam Principis, quàm Ordinis, ac etiam veritatis ſolatium. Verbo, quàm zeloſus ille per reliquum vitæ tempus, fuerit immaculatæ Conceptionis propugnator, finis edocuit, dum inter hæc ipſa verba, devotione pleniſſima: *Tota pulchra es amica mea, & macula originalis, aut actualis, nunquam fuit in te,* Sanctiſſimè ex hac vitâ deceſſit, perpetuâ, cum reliquis MARIÆ cultoribus, vitâ in Cœlis fruiturus. *Dionyſ. Carthuſ. in 3. Sent. d. 3. Theophil. Raynaud. in opuſc. de Piet. Lugdun.*

### §. 5. *Symbolum.*

CoLVMba, sVo ſponſo fIDeLIs. 537.




Subſequitur, quocunque volat, mox ſponſa fidelis,
Felle carens, ſponſum blanda columba ſuum.
Divinum properans ſequitur, ſine crimine, ſponſum
Sponſa parens, maculæ felle columba carens.

*Amica mea, columba mea, immaculata mea.* Cant. c. 5. v. 2.

### §. 6. *Antiquitas.*

AnnVa ſoLennItas De AnſerIbVs, RoMæ CeLebrata. 538.

PLurimùm extulit cœca aliquando, & gentilis Roma Anſeres ſuos, Junoni Sacros, qui (ut Auguſtinus *l. de Civit. DEI, c. 22.* memorat) canibus dormientibus, jugiter vigilabant, & Capitolij arcem, ſtrepitu ſuo, à Gallis, ſeu Senonibus hoſtibus fortiter defendebant; Unde in æternam rei tam inſolitæ memoriam, Urbs illa Feſtum ſolenne Anſerum annuo recurſu celebrari conſtituit, in

quo canis, *Teſte Plutarcho*, ob vigiliam neglectam, in pœnam, è trabe ſuſpendebatur: econtrà Anſer, utpotè vigilans cuſtos, ac fidelis defenſor, holoſerico pulvinari, floribus undique reſperſo inſidens, populo exponebatur.

Solennius utique Feſtum juremeritò celebrat Chriſtiana devotio, per ſingulos annos, de Immaculatâ ejus Virginis Conceptione, quæ canibus dormientibus, id eſt, Adamo & Evâ, qui vigilantium inſtar canum, Arcem primæ innocentiæ, à furibus & prædonibus infernalibus, fideliter cuſtodire debebant, talem cuſtodiam turpiter negligentibus, portasque oculorum, prohibito fructui, aurium, ſibilo ſerpentis late nimìs aperientibus, ſola centoculo Argo vigilantior, hoſti omnî momento aditum in animam prohibuit, quam proinde ſine omnî labe facillimè conſervavit. Quòd ſi canis ob neglectæ illius vigiliæ memoriam, è trabe ſuſpendi ſolitus à Romanis fuit: ob neglectam pariter à protoparentibus vigiliam, etiamnùm è ligno ſcientiæ boni, & mali ſuſpenſa gemit concepti cujuscunque hominis innocentia, non aliter reſtituenda, niſi per Unigenitum DEI Filium, in amaro Crucis ligno ſuſpenſum: Maria interim, Romanorum inſtar Anſerum, in pulvinarî floribus ornatiſſimo, dulciter cum Filio ſuo requieſcente, ut ipſamet fatetur, ijs verbis: *Lectulus noſter floridus.* Cant. c. 1. v. 16. quæ nunquam per redemptionem reſtituti debuit, utpotè ſpecialiſſimo Sacratiſſimæ paſſionis merito præſervativè redempta.

### §. 7. *Anagramma.*

TV prIMa, aC ſoLa, ab ADæ Labe Integra EVa. 539.

*Prima, ac ultima munda es, O integra Eva!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXXVIII.

### §. 1. *Scriptura.*

540. nIL VLtrà faCIenDVM.

Iſaiæ c. 5. v. 4. *Quid eſt, quod debui ultrà facere Vineæ meæ, & non feci ei?*

Nemini ignotum arbitror, juſtiſſimum Patriarcham Noëmum, expurgatâ jam per diluvium terrâ, utpote hominum antehàc ſceleribus turpiter contaminatâ, auſpicatum tandem de novo terræ excolendæ feciſſe initium: ubi ſpecialiter Sacra Scriptura commemorat, plantatam inſuper ab eo vineam fuiſſe, dum ait: *Noë vir agricola exercere cœpit terram, & plantavit vineam.* Gen. c. 9. v. 20.

Eundem porrò agriculturæ laborē, quem juſtus Noë, è diluvio ſuperſtes, in ſe ſuſcepit, *juſtus DOMINUS*, Noemi creator, ſupremus Cœli, terræque Monarcha, in ſe quoque ſuſcipere non eſt dedignatus, convincente id proprio Divini ſui Filij teſtimonio, dicentis: *Pater meus agricola eſt.* Jo. c. 15. v. 1. Veruntamen præ omnibus alijs plantis, id eſt, creaturis, ſuâ potentî manu productis, plantare voluit ſpecialiter *vineam*, Beatiſſimam ſcilicèt Virginem Mariam, *primogenitam ante omnem creaturam.* Hæc, hæc erat illa vinea electa, longè majorî felicitate à DEO, quàm illa à Noemo, poſt inundans peccati originalîs diluvium plan-

plantata, de quâ ipſemet teſtatur, c. 2. v. 21. per os Ieremiæ. *Ego autem plantavi te vineam electam.* hæc erat illa vinea nunquam vindemiata à diabolo, cujus vites millenæ gratiæ, nunquam infelicî ferro peccati præciſæ: verè ipſamet vitis electa, jugiter alligata ad palum Omnipotentiæ præſervantis, ita ut ſi uvæ, recens enatæ, ſymbolum applicatur: *Vix nata ſuſtineor*, de MARIA dici debeat: *Vix concepta ſuſtineor.* adeò nimirùm baſes primordiales, tam prædeſtinationis ejus, quàm conceptionis, collocatæ fuerunt ab auctore gratiæ in illâ ſublimitate, ac altitudine perfectionis, quo reliquorum Sanctorum gloria nunquam pervenit. Dicere profectò, de ſuâ hâc vineâ, poterat Cœleſtis agricola: *Quid eſt, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei?* nonnè ditavi illam tot bonis gratuitis, ac ſupernaturalibus, ut glorioſæ ejus animæ nihil defuerit pulchritudinis ſpiritualîs, gratiæ, & virtutum Cœleſtium, quæ Divinæ futuræ Matri eſſe poterant convenientes? nonnè dignam reddidi hanc vineam meam, ut producere poſſet ſuaviſſimam, & Divinam Uvam, Filium nempe DEI? Hæc nimirùm ipſiſſima eſt D. Joannis noſtri Damaſceni ſententia: Orat. 1. de Nativ. *Vinea uberrima pullulavit ex Annâ, atque Uvam ſuaviſſimam protulit, nempe Chriſtum, nectar mortalibus fundentem, in vitam æternam.* Hinc eſt, quod in hanc Vineam excelſiſſimæ fuerint collatæ perfectiones, ac prærogativæ; in hanc enim conferebatur à Cœleſtî agricolâ amor ardentiſſimus Seraphinorum, ſapientia profundiſſima Cherubinorum, ſtabilitas firmiſſima Thronorum, authoritas admiranda Principatuum, imperium ampliſſimum Dominationum, eminentiſſima facultas Poteſtatum, ſtupendiſſima prodigia Virtutum, celſiſſima dignitas Archangelorum, protectio vigilantiſſima Angelorum, fides altiſſima Patriarcharum, cognitio lucidiſſima Prophetarum, doctrina ſublimiſſima Apoſtolorum, conſtantia invictiſſima Martyrum, tolerantia perfectiſſima Confeſſorum, puritas integerrima Virginum, fœcunditas fortunatiſſima conjugatorum, Sanctimonia, virtutes, dona omnium omninò, qui fuerunt, ſunt, erunt, aut eſſe poterunt, bene operantium, ac DEO placentium. quid ergo eſt, quod debuiſſet ultrà facere vineæ ſuæ Omnipotens? Miracula fortaſsè in MARIA demonſtrata quæritis? Scitote ergo, omnia ea, quæ contra naturæ ordinem, & communes leges, diſperſim operatus eſt Dominus, in unicâ MARIÆ Conceptione unitim à DEO patrata reperiri. Mira, quæ in veteri teſtamento patrare voluit Omnipotens, paucis percipite: Contra comunem legem, quâ Solem ſemper currere, & continuo volvi motu ſtatutum eſt, ad vocem tamen Joſue, Joſ. c. 10. ſtare debuit. v. 13. contra naturæ legem, quo ignis ſemper comburit, non tamen combuſſit tres pueros in fornace Dan. c. 3. Babylonicâ. v. 50. contra legem naturæ, quo fluvij non ſtant, ſed continuò fluunt, ſtetit tamen Jordanis, ut Joſ. c. 4. tranſiret Arca. v. 7. contra naturam, quâ leones ſunt feroces, & voraces, pepercerunt tamen Danieli, & pluri- Dan. c. 6. bus alijs. v. 22. Addo, naturam Viperæ eſſe, ut feriat, tamen, in novo etiam Act. c. 28. teſtamento, adhæſit illa manui Pauli, nec tamen læſit. Nunc hæc omnia naturæ prodigia, ſimul à DEO fuiſſe patrata, in unicâ illa Virgine, quæ, ut ait Iſaias, *Vinea facta eſt dilecto*, clarè licet perſpicere; quamvìs enim lege DEI, in pœnam peccati, ſtatu- c. 5. v. 1. tum fuerit, ut Sol juſtitiæ in nullius conceptione ſtet: ut neminem radijs gratiæ illuminet: ſtetit tamen in Conceptione MARIÆ, adeò ut nullo momento fuerit in occaſu, imò ipſamet Solem ſeſe clariſſimum in Conceptione monſtraverit. quamvìs ignis peccati originalîs adurat omnes: Matrem DEI urere non potuit. quamvìs peccatum hoc, velutì torrens rapidus, omnia involvat: ad conſpectum tamen Arcæ Marianæ, ſtare debuit, nec eam involvere potuit:

 quam-

quamvìs peccatum originale Leo ſit, aut certè vipera, omnes devoret, vel ſaltem inficiat: contra MARIAM ſolam non prævaluit. Extulit quidem vipera contra ipſam venenatum caput, quod tamen illa facillimè contrivit. Quid ergo ultrà Divina Omnipotentia Vineæ huic ſuæ, MARIÆ, facere poterat, ſi tanta illi ſtatim ab initio præſtitit? Finio ergo diſcurſum verbis illis, quibus incepi: *Nil ultrà faciendum.* atque ad portam Vineæ hujus, Marianæ nimirùm Conceptionis, ea ipſa verba admirabundus affigo, quæ Herculeis quondam columnis fuere appenſa: *Non plus ultrà.*

## §. 2. *Authoritas.*

541. PetrVs CeLLensIs, pVræ DeIparæ DefenDens.

1. *Filius eſt Sanctus Sanctorum: Mater eſt Sancta Sanctorum. Filius eſt Altare de terrâ Sanctâ; quia corpus habet de Matre ſine maculâ, in quo cremantur holocauſtomata, dum condonantur peccata.* Lib. de 5. panibus c. 21.
2. *In eâ ſimul collecta eſt gratiæ plenitudo; quia ab exordio ſuæ Conceptionis, aſperſione Spiritûs Sancti, tota ei Deitatis gratia eſt ſuperfuſa.* Ibid.

## §. 3. *Ratio.*

542. CœLVM, præ aLIIs, à DEO præparatVr.

Totius hujus Univerſi machinæ creator, ac conſervator DEUS, *in principio creavit Cœlum.* Gen. 1. Quem locum conſiderans Beda Venerabilis ait: *Ideò DEUS primò Cœlum Empyreum, abſolutiſſimum ſuæ Divinæ Omnipotentiæ opus, omnî ex parte lucidum, tot Divinis ornamentis, ab intellectu humano impenetrabilibus ornatum, ab omnî corruptione & labe alienum creavit; quia DEI debebat eſſe habitatio.* Atqui Beatiſſima Virgo non minùs debuit eſſe habitatio, per novem Menſes, Divini Verbi. Ergo Beatiſſima Virgo debuit ſimiliter, utpotè vivens DEI tabernaculum, & habitatio, cunctis gratiæ donis lucere, omnîque labe, & corruptione, præ omnibus alijs carere. Subſumo: Sed peccatum originale non levis eſt macula, & privatio donorum Divinorum. Ergò omninò debuit, in principio ſuæ Conceptionis, eſſe immunis ab hoc peccato originalî.

## §. 4. *Hiſtoria.*


AVDItVs, ab Vno VIrgInI GenItrICI DeVoto, ILLIVs 543.
InterCeſsIone, In VIgILIâ ConCeptIonIs, reCuperatVs.

Quàm utilis ſit in omni neceſſitate, tum corporali, tum ſpirituali, ſincerus ergà Virginem Deiparam affectus, ac quotidiana præſertim im̃aculatæ ejusdem Conceptionis devotio? innumeris liquet exemplis; ſi enim de corporeis adverſitatibus meminiſſe placeat, quales ſunt morbi, dolores, cæcitates, ſurditates, vulnera, & id genus alia, proh! quanto laborantium numero ſuppetiata eſt MARIA? non opus eſt, evolvere libros: Templa adeantur; & votiva oculis legantur anathemata. DEUS eſt quidem, qui ſanat, quandò *ipſe eſt ſalus noſtra.* Mich. c. 6. at MARIA eſt, quæ ſanantem movet ad faciendum benè. Potuiſſet optimus noſter Servator, cæcum momento videntem eſſe jubere; noluit tamen: ſed oculos ejus luto aſperſit, & linitum ad natatoriam Siloe amandavit; hac docens unctione, atque miſſione: jucundum ſibi eſſe, ſi ad Siloen Virginem, illam gratiarum Porticum, piſcinam illam miſerationum, immaculatam illam curationum natatoriam, in neceſſitatibus noſtris accurramus. Hoc millenos inter alios, optimè perſpectum habebat Nobilis ille Hiſpanus, nomine Bernardus Veneges, non ob ſanguinis tantùm claritatem, ſed ob virtutem etiam, ac ſingularem in immaculatæ Virginis Conceptionem affe-

affectum, plurimùm commendandus. hic enim, cùm amiſsâ audiendi facultate, per longum temporis ſpatium, ſurdus extitiſſet, ad puriſſimam Siloen MARIAM, devotis, ac quotidianis precibus fiducialiter accurrens, in ipſo Immaculatæ Conceptionis pervigilio, ejusdem potentî interceſſione, priſtinum recuperavit auditum, ut cui hactenùs nil magìs in delicijs fuerat, quàm de Virgine purè conceptâ audire loquentes, Spirituali hoc gaudio non ultrà privaretur. *Philipp. Kiſel. in appendic. 2. ad Alv. Cent. 9. Dec. 2.*

## §. 5. *Symbolum.*

544. nVLLo fVLMIne Læſa DeIpara.




Plinius indignam cenſet libamine vitem,
l.14. c.19. Quæ diro quondam fulmine læſa fuit.
Numinis hinc Genitrix tanto neque digna fuiſſet
Munere, ſi primo fulmine læſa foret.

*Noli offerre munera prava; non enim ſuſcipiet illa.* Eccli. c. 35. v. 34.

## §. 6. *Antiquitas.*

545. AnCæI Magna CVra, De VIneâ.

De Ancæo, Neptuni, ut aiunt, filio recenſetur: eum cujdam à ſe plantatæ vineæ, præ reliquis ſpecioſæ, adeò fuiſſe affectum, ut maximam de eâ curam geſſerit, inque eam nulli, quantumvìs amico, & familiari, aditum permiſerit. verùm, cùm aliquot ex illâ botros maturos quondam decerpſiſſet, indeque domum reverſus, craterem cum vino, ex uvis illis expreſſo, labijs admoviſſet, repentinus ſupervenit nuntius, ei inſinuans, Aprum quendam prægrandem in Vineam illam ingreſſum, eandem haud dubiè totaliter depaſturum, ac devaſtaturum. quare Ancæus, vino nondum guſtato, ſcyphum quantocyùs è manu ſeponens, ut damno ab hac ferâ inferendo maturum ipſemet afferret remedium, ad vineam velociter accurrit, ubi à ferâ infeliciter apprehenſus, dilaniatus, mox & occiſus fuit. *Ambroſ. Epiſc. Lamocen. ſer. 4. poſt. Dom. 4. Quad. fol. 245.*

Vineam fuiſſe, ab ipsâ DEI omnipotentis manu plantatam, totam humanam naturam, utpote in Paradiſo perfectiſſimè ab illo procreatam, nemo eſt, qui dubitet: attamen, quod ſummum ipſi dolorem afferebat, *Expectavit, ut faceret uvas, & fecit labruſcas* Iſaiæ c. 5. v. 3. ipſum feliciſſimum innocentiæ ſtatum, per peccati originalîs contractionem, miſerè, ac prænaturè deperdendo: devaſtante nimirùm omnia infernalî apro, &c. At verò Beatiſſima Virgo (ut ſupra §. 1. vidimus) modo quodam ſpecialiſſimo, *Vinea facta eſt dilecto*, cui, utpote præ reliquis ſpecioſæ, adeò fuit affecta Divina Majeſtas, ut maximam in id curam impenderit, ne cuiquam, ſerpenti præſertim infernali, per peccatum, aditus in eam pateſceret; ea propter, dum tartareum inimicum omnî quidem modo in id intentum cognoſceret, ut & dilectam hanc vineam crudeliter depaſcere, ac devaſtare valeret, maturum afferre remedium non intermiſit, atque, ne damnum ab originalî MARIA pateretur, antequàm calicem paſſionis actu deguſtâſſet, ad amatam hanc vineam velociter accurrit, ita

quidem, ut cùm mortem pro ipsâ oppetere non poſſet, nondum aſſumptâ carne humanâ, ſaltem infinitum mortis ſubeundæ pretium jam tum, in inſtanti Conceptionis, pro illâ præviè exſolverit, ut verè dicere potuerit: *Quid eſt, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei?*

### §. 7. *Anagramma.*

LaCtea VIa, pVra à Labe, DIgna Mater. 546.

*Lactea via: en ſumma, pura, meritò digna!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS LXXIX.

### §. I. *Scriptura.*

547. DeIpara, LVna non MInVta, Conſtanter pLena.

Iſaiæ c. 60. v. 20. *Luna tua non minuetur; quia erit tibi Dominus, in lucem ſempiternam.*

SI ſtatum humani generis infeliciſſimum, tenebris originalîs culpæ denſiſſimè circumfuſum, attentiùs conſidero: ex alterâ verò parte, Mariam perpendo, ab omnî cujúsvis labis, aut maculæ caligine longiſſimè diſtantem, mille Superûm favoribus, ac gratiarum radijs coruſcam, non poſſum non exclamare, totique mundo conteſtari, ab alio eam Sole, quàm patre noſtro Adamo, ſuum ſplendorem eſſe mutuatam, ac longè ſublimiorî, quàm naturalî lumine illuſtratam; Marianus etenim nitor è vultu gratioſiſſimo effulgurans, Cœleſtis utique eſt ſplendor, monſtrátque verè, eam Lunam eſſe illuſtriſſimam, ac ſereniſſimam, *nunquam minutam, conſtanter plenam*, præſertim, cùm indubiam hujus rei fidem ipſemet Cœleſtis ſponſus afferat, ac Mariam, inter fulgidos Cœli Planetas, *Lunam* eſſe affirmet, ijs verbis: *Pulchra ut Luna.* quemadmodùm enim hæc ſplendorem, lucemque à Sole accipit: ſic Maria, myſtica, & melior *Luna*, à Cœleſtî *Sole* lumen, atque fulgorem præcellentiarum ſuarum hauſit: illi ſplendor eſt naturalis, Mariæ gratuitus. ut non immeritò illud Iſaiæ de Maria intelligendum videatur: *Erit lux Lunæ, ſicut lux Solis*, id eſt (ut exponit Franciſcus de Mayro) Maria, Luna myſtica *æqualîs lucis cum Sole juſtitiæ, Chriſto, per gratiam præſervationis.* Eleganter igitur purpuratus noſter Damianus, more ſuo, in Virginis laudem perorat, dum ait: *Quid Lunâ pulchrius? conſidera, quàm ſtellaris, & ſerena vibratio, quàm luminoſus fulgor circularem orbem tanti Sideris ſuperfundat, ut aliorum luminum claritatem non mediocriter obfuſcet! Sic & Virgo, inter animas Sanctorum, & Angelorum Choros ſupereminens, & evecta, merita ſingulorum, & omnium titulos antecedit. Quantumlibèt aliæ ſtellæ reluceant; Luna tamen, ut magnitudine præeminet, & ſplendore: ſic utramque naturam Virgo ſingularis exuperat, & immenſitate gratiæ, & fulgore virtutum.* hæc ille. Veruntamen, ſi Maria ſuo modo *Luna* dicitur, cur ergo virgineis pedibus Luna ſubſternitur, juxta illud: *Et Luna ſub pedibus ejus?* certè non aliam ob cauſam, premit Lunam pedibus Maria, quàm, ut omnes res ſublunares, quæ perenni volubilita-

Marginal notes: Cant. c. 6. v. 9. — c. 30. v. 26. — Serm. de Concept. — Serm. de Aſſumptione. — Apoc. c. 12.

litati ſubditæ ſunt, doceat fluxas, minutas, & caducas eſſe: ſe verò baſi firmitatis inſiſtentem, perpetuitate ſuæ gloriæ gaudere. Quid enim *Luna* materialis eſt, niſi inconſtantiæ ſymbolum, quæ præcipitî, & volubili celeritate, ad ſingula momenta carpitur, vel augeſcit? Lunam ergo, quæ tantùm conſtans eſt in ſuâ levitate, ſub pedibus premit, ut in animæ ſuæ poſſeſſione, immobilem ſtatum, & imperturbabile innocentiæ, ac integritatis monſtret imperium. Nulla in Virgine Sanctiſſimâ, per terræ interpoſitionem, Ecclypſis, nulla luminis defectio, ubi nulla intervenit culpa: quæ à Regio Vate jam
Pſal. 88. v. 38. pridem *Luna perfecta in æternum*, fuit deprædicata. *Unicus* (ut mellifluus ait Bernardus) *ille ſtultus, & totius ſtultitiæ princeps, qui verè mutatus, ut luna, ſapientiam perdidit in decore ſuo, ſub MARIÆ pedibus conculcatus, & contritus, miſeram patitur ſervitutem.* hinc
Serm. ſuper illud: *Signum magnum,* eſt, quòd licèt ſupra reliquorum Sanctorum capita *luna* communiter depicta videatur, ſive corona, in formâ mediæ lunæ; in MARIÆ tamen Imaginibus, pedibus ejusdem ſubſtrata, ab Eccleſiâ repræſentetur: ad inſinuandum, quòd ubi caput, & principium aliorum Sanctorum, (per quod conceptio ſignificatur) ſubjectum fuit Lunæ, id eſt, defectui gratiæ, & juſtitiæ originalîs, MARIA ſola, omnibus reliquis Sanctis, etiam maximis, ſuperior, hanc *Lunam* ſub pedibus habeat, utpote in quâ nullus unquàm defectus lucis reperiebatur, quæ nullo momento *minuta*, ſed *conſtanter plena*, imò Sole ipſo fuit veſtita, qui cum tenebris culpæ originalîs nil habet commune. Hanc ergo *Lunam* quis non miretur? quis non ad pleniſſimum MARIÆ lumen, iter ſuum, versùs Cœleſtem Patriam inſtituere conetur? ſi enim non minima laus eſt *Lunæ*, ut ſit ſolamen iter agentium, ah! quàm grande ſolamen erit illa peccatoribus? qui dum aliàs progrederentur, in viâ peccatorum, & iniquitatis, atque adeò, ob denſiſſimas ſcelerum, ac macularum complurium tenebras, non aliò properarent, quàm ad horrendum inferni barathrum, tamen gratioſis Virginis immaculatæ radijs illuminati, ab interitu retrahentur. quàm grande etiam erit juſtis ſolatium, jamjam morituris, atque ad æternitatem iter agentibus, ad MARIAM frequenter reſpexiſſe: hujus Lunæ myſticæ pleniſſimum gratiæ originalîs lumen venerabundo obtutu intuitos fuiſſe? hâc enim prælucente, à rectâ ſemitâ non aberrabunt; idem enim Dominus, qui MARIÆ, in ſuâ conceptione, erit etiam illis, in ſuâ morte, *in lucem ſempiternam.*

## §. 2. *Authoritas.*

S. PetrVs ChrIſoLogVs, LabeM Denegans. 548.

*Ave! hoc eſt, Accipe gratiam: ne trepides: ne ſis ſollicita de natura! gratiâ plena; quia in alijs gratia, in Te tota gratiæ pariter veniet plenitudo.* Serm. 140,

## §. 3. *Ratio.*

e MarIa ConCeptâ probatVr DeVs SapIens. 549.

Aeterni Patris Filius eſt ipſa Virtus, & Sapientia Patris, juxta Paulum *1. Corinth. c. 11.* Ergo in illo ſunt concedenda omnia ea, ex quibus talis Virtus & Sapientia probari poteſt. Atqui è MARIÆ purâ Conceptione ſpecialiter probatur DEUS Sapiens. Ergo concedenda eſt pura MARIÆ Conceptio. Min. ſubſ. Prob. Sapiens, & peritus artifex non adeò probatur talis, ſi ex materiâ perfectâ producat opus perfectum, quàm probetur talis, ſi ex materiâ imperfectâ, & deformî producat opus aliquod perfectum: ſic non laudaretur ſpecialiter ille, qui ex lanâ mundiſſimâ conficeret pannum pretioſum: laudaretur verò vel maximè tunc, ſi de lanâ, quamvis immundâ, & infectâ maculis, tamen fabricaret pannum pretioſum,

oſum, byſſinum, aut purpureum; tunc enimverò multò magìs ſapiens, ac peritus artifex probaretur. Ergo etiam æterna DEI Sapientia non adeò probata fuiſſet, ſi Beatam Virginem produxiſſet ex maſsâ Adami corruptâ, & coinquinatâ, corruptam & coinquinatam, quàm fuerit probata, dum ex maſsâ, ſeu ſemine corrupto, & coinquinato Adami, perfectiſſimam produxit Matrem, omnî labe carentem, incorruptam, ac minimè coinquinatam.

### §. 4. *Hiſtoria.*

Congeſta MaterIa, ECCLesIæ
550. ConCeptIonIs ILLIbatæ,
ſaLVa ab Igne.

AEdificanda proximè ſuſcipiebatur, in certâ quadam Hiſpaniæ Urbe, in honorem Virginis Deiparæ ſine labe conceptæ, inſignis Eccleſia: jamque ex lapidibus, lignis, calce, &c. materia ſumptuosè congeſta ſuppeditabat; cùm ecce! ingens in viciniâ oxoriebatur incendium, adeò ut flammis magìs, magìsq; excreſcentibus, ac ventorum impetu ad omnium terrorem circumagitatis, toti illi congeſtæ materiæ proximum immineret incinerationis præmaturæ periculum. veruntamen obſervans hoc fortè vir quidam Religioſus, tam doctrinâ, quàm pietate in paucis commendandus (Pater Alphonſus de Aragonâ dicebatur) mox in genua procubuit, atque Virginem Deiparam, cui ſingulariter erat devotus, pauculis hiſce verbis interpellavit: *Ne patere, ut comburatur hæc materia, Templo illæſæ Conceptioni tuæ extruendo dedicata!* Vix modica hæc precatiuncula taliter erat abſoluta; cùm voraciſſimum ignîs elementum, quod jam omnia circumquaque devorando tranſierat, ac proximè congeſtis Eccleſiæ extruendæ lignis minabatur, confeſtim receſſit, nullo, vel minimo ullius damni relicto veſtigio. *P. Philippus Kiſelius in Appendic. 2. ad Alvear. Cent. 8. Dec. 5.*

### §. 5. *Symbolum.*

DeIpara, LVna pLena, 551.
æMVLa SoLIs.




Symbolū Henric. II. Valeſij. Regis Galliæ.

*Eſt* (ait Henricus Gallus) *Luna Æmula Solis,*
*Dum plena eſt.* fateor; Regia verba placent:
*Gratia* cui *plena* eſt, quæ *pulchra ut Luna,* MARIA,
Æmula concepti ſic quoque Solis erit.

*Erit lux lunæ, ſicut lux ſolis.* Iſ. c. 30. v. 20.

### §. 6. *Antiquitas.*

CaLLIſto, LIJCaonIs, ArCa-
DIæ RegIs fILIa, SteLLIs 552.
IpsIs aDsCrIpta.

CAlliſto, quam Lycaonis, Arcadiæ Regis, filiam fuiſſe, fabulantur Poëtæ, cùm à Dianâ, ob proſtitutam turpiter pudicitiam, ex Nympharum Choro fuiſſet proſcripta, mox à Junone in horridam Urſam transmutata eſt. Porrò, dum illam filius Arcas, in nemore obviam factam, ſagittâ ferire vellet, Jupiter ejus miſertus, in Cœlum eam tranſtulit, ac ſtellis ipſis adſcripſit: hoc inſuper privilegio ſpecialiter eam donando, ut cæteris ſtellis occidentibus, ipſa ſola circa Polum continuò

nuò gyraret iter ſuum, ac nunquam ab oculis noſtris occumberet.

Fabulam de impudicâ Regis cujusdam filiâ intellexiſtis, quam ego Poëtis relinquens, ad MARIAM puriſſimam convertor; Hanc enimverò non terreni, ſed æterni Regis filiam fuiſſe, nemo eſt, qui dubitet, accinente Eccleſiâ: *Benedicta Filia tu à Domino; quia per te fructum vitæ communicavimus!* Hæc originalî innocentiâ nunquam violatâ, proſcribi nullo momento meruit è gratiâ Divinâ, nec per peccatum, horridam ſubire beſtiæ metamorphoſin. Nihilominùs paratam tenebat infernalis animarum venator ſagittam ſuam, quâ MARIAM in Conceptione feriret; attamen miſertus ipſius Cœleſtis Jupiter, eò illam tranſtulit, ut tangi ampliùs ab orcino ſagittario nequiret, imò ſtellis ipſis, id eſt, Sanctis (qui ut ſtellæ fulgent in perpetuas æternitates) non tantùm adſcripſit, ſed & futuram Sanctorum omnium Reginam præpoſuit, cum ſpeciali hoc adjuncto Privilegio, ut cæteris ſtellis occidentibus, id eſt, omnibus prorſùs hominibus, etiam ipſis viris Sanctiſſimis, aliquando in originale prolapſis, illa ſola nunquam occumberet, ſola præſervata, immaculatæ conceptionis prærogativâ in perpetuas gauderet æternitates.

### §. 7. *Anagramma.*

MVnDa Parens, aC VIrgo,
à Labe LIbera. 553.

*Eja munda Parens, et immaculata Virgo!*
Verſio litteralis.
*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXXX.

### §. I. *Scriptura.*

554. NOMen DeIparæ, oLIVa
pVLChra.

Ierem. c. 11. v. 16. *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam, vocavit DOMINUS Nomen tuum.*

Philipp. c. 2. v. 9. IN Nomine *JESU, quod eſt ſuper omne nomen*, de Nomine MARIÆ Conceptum inſtituo: nec inutilis hìc erit quæſtio de *nomine*; cùm oleum, in ejus diſcuſſione, non ſim perditurus. Liceat ergo quærere, Virgo Beatiſſima! cur teſte Cœleſtî Sponſo, Sacris in canticis, *Oleum ef-* c. 1. v. 2. *fuſum nomen tuum?* cur, teſte Jeremiâ Prophetâ, *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, ſpecioſam, vocavit DOMINUS Nomen tuum?* ſcio quidem, ô Virgo! Nomen tuum Sanctiſſimum in pluribus cum *Oleo* convenire, e. g. pingue eſt oleum, ac ſuave: ſic gratiarum pinguedine plenum, ac benignitate ſuaviſſimum eſt Nomen tuum. penetrat oleum, ac emollit: ſic animæ devotæ pervadit viſcera, ac corda eliquat Nomen tuum. nutrit, ac corroborat oleum: ſic ſaginat amantes animas, & confirmat imbecilles Nomen tuum. conſervat lumen oleum, ac infirmitates ſanat: ſic fidem tuetur Nomen tuum, ac peccata expurgat. Ignem in lapidibus ſuffocat oleum, accendit in ligno: ſic mundi amatorem diſpungit in animâ nomen tuum, amatorem cœleſtium inflammat. Oleum à rubigine ferrum præſervat: ſic à pravis cogitationibus præſervat homines Nomen tuum, &c. Attamen alia longè

ſubeſt ratio, cur MARIÆ nomen *Olivæ* comparetur? hæc nimirùm vel maximè, quod Oliva præclariſſima ſit immaculatæ Conceptionis figura. quemadmodùm enim univerſale illud diluvium ſoli pepercit *Olivæ*, ex quâ ramum columba decerpſit, detulítque, in ſignum placati Numinis, reliquis interim plantis cataclyſmo univerſim abſumptis: ſic peccatum originale humanam naturam totam corrupit, unâ Virgine intactâ, ex quâ poſtmodùm ramus pacis à columbâ mundo delatus eſt, hoc eſt Chriſtus, obumbrante Spiritu Sancto, conceptus, ac natus. ſicut (Teſte Plinio) *Oleam* profanis pollui uſibus, fas non erat, ut nè propitiandis quidem Dijs, accendi ex olivâ Altaria liceret: ſic licèt peccatum originale ſacrificium dici poſſit, quo tot millia animarum Divinæ mactantur juſtitiæ, eò quòd omnes naſcamur Filij iræ: non decuit tamen, communî hoc rogo etiam MARIÆ animam aduri. Quòd ſi idem Plinius (ex Theophraſte) negat, intrà quadraginta millia paſſuum, à mari, oleam naſci: mare profectò peccatum eſt originale, in quo tot animarum ſecuta naufragia; ſed nihil huic mari, & MARIÆ, à quo procul & concepta, & nata eſt. Ponuntur communiter *Olivæ* versùs Favonium, in loco Soli expoſito: ſic Virginis animam non ad frigidam Aquilonis plagam, Solisque expertem, ut reliquos hominum, plantavit DEUS, ſed ad Favonium & Solem, hoc eſt, in ſtatu gratiæ, plenamque Spiritu Sancto. Oleam porrò ſi lambendo capra momorderit, depaveritque, primo germinatu ſterileſcere, idem adnotat Plinius: ſic ſteriliſceret certè Virgo, nec eſſet digna Mater DEI, ſi primo conceptu infernalis eam capra libâſſet. En quanta *Olivæ*, cum immaculatâ MARIÆ Conceptione convenientia! Nemo igitur miretur, ſi Sacris etiam in paginis legat: in ædificatione ſplendidiſſimi illius Templi Salomonici, ad ingreſſum oraculi, oſtia fuiſſe poſita, non de alijs lignis, quàm de lignis *Olivarum*; cùm enim Arbor hæc ſemper pacis, ac miſericordiæ ſymbolum fuerit, juxta illud Poëtæ:

l. 15. c. 30.

l. 5. c. 1.

Idem l. 15. c. 5.

l. eod. c. 8

3. Reg. c. 6.

*Adjuvat in bello pacatæ ramus Olivæ.*

deſignabatur certè jam tùm, per oſtia illa: Sacratiſſimæ Virginis MARIÆ Conceptionem, quæ noſtræ Redemptionis futura quondam erat janua, non niſi gratiam, pacem, ac miſericordiam fore, atque opus omnigenis privilegijs decoratum. Sicut ergo *Olivam pulchram, ſpecioſam, &c. vocavit DOMINUS Nomen* ejus, ſic etiam ab Eccleſiaſtico *quaſi Oliva ſpecioſa in campis* MARIA deprædicatur. verè ſpecioſa *oliva*, cujus Genitus *Specioſus formâ præ filijs hominum*, Oleum eſt effuſum. *Specioſa* ſtirpe Filij: *Specioſa* flore cogitatuum: *Speicoſa* fronde verborum: *Specioſa* fructu operum: *Specioſa* medullâ omnium gratiarum, verbo, adeò *Specioſa*, ut quemadmodùm Salvator noſter benigniſſimus, adulterium lapſæ illius fœminæ condonaturus, ex *Olivarum* monte, ad Templum deſcendit: ſic idem Redemptor, nobis omnibus gratias ſuas largiturus, ex hac *Olivâ* pulchrâ, nempe MARIA, ad nos deſcendere voluerit. Pro Marianæ igitur hujus *Olivæ* tutandâ pulchritudine, ac originalî ſpecioſitate, meritò Chriſtianus armatur Orbis: ſi enim Helenæ pulchritudo armavit Græciam, concitavit Regna: ſi decem annis, per tot clades, tanto fuſo ſanguine, pro illâ pugnatum. ſi nomen ſpecioſæ Helenæ vile non fuit pretium, tot, tantorumque laborum: cur Virgineæ noſtræ *Olivæ* immaculata pulchritudo non erit æquè dignum pretium armorum noſtrorum? pugnemus ergò pro illâ fortiter, ac ſicut luctatores, elapſuri manibus adverſariorum ſuorum, *oleo* membra obliniunt, ita & nos, delibuti balſamo dulciſſimo, Nominis immaculatæ Deiparæ, cum inimicis noſtris fortiter congrediamur! ſic erit, ut pleni victorijs, pacis tandem *Olivâ*, in Regione pacis, mediante Deiparâ, æternùm condecoremur.

c. 24. v. 19.

§. 2.

## §. 2. *Authoritas.*

555. S. petrI CLVnIaCensIs, De DeIparâ ILLIbatè ConCeptâ, præCLara ſententIa.

1. *Credo, dico, aſſero, & juro, Beatiſſimam Virginem noſtram, in æternâ prædeſtinatione, ſingulari privilegio munitam, nec à ſuâ Conceptione in aliquo violatam: ſed ſemper manſiſſe, ac permanſiſſe illibatam.* Epiſt. 10. ad Nicol. Biblioth. PP. Tom. 12.
2. *Nullo pacto eſſe potuit, vel debuit, ipsâ ratione hoc ipſum vociferante, ut Spiritûs Sancti Sacrarium, Filij DEI reclinatorium, totius Deitatis ſolium, quælibet vel parvi peccati nubecula poſtmodùm ſubintraverit, & cor illud conceptæ Deitatis luce præfulgens, aliquis vel modicus tenebroſæ cogitationis fugax ſaltem volatus fuſcaverit. Ergò, ſecundùm ea, quæ præmiſſa ſunt, B. Matri Virgini, nec die Pentecoſtes, nec aliquo poſt Conceptionem Filij DEI die, quantùm ad majora, & ſupradicta gratiarum dona pertinet, nihil additum eſt, ſed ſicut ei nihil additum in majoribus confirmo, ita ei aliquid in minoribus fortè adauctum, non nego.* Ibid.

## §. 3. *Ratio.*

556. VIrgo InItâ DeſponſatIone, noMen ſponsI aCCIpIt.

VIrgines, initâ ſemel deſponſatione, ultrà deponunt ſuum proprium nomen, ſimulque cum eo perdunt dignitatem, & conditionem familiæ paternæ, ejusque loco, acquirunt nomen ſponſi, & cum eo conditionem illius: juxta illud Pſal. 44. *Audi Filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum Patris tui, & concupiſcet Rex decorem tuum.* Sed Beatiſſima Virgo fuit, ab æterno, ſponſa Spiritus Sancti, eique deſponſata. Ergo ab æterno depoſuit nomen ſui Protoparentis Adami, nempe peccatoris, & cum eo paternam conditionem, nempe concipi in peccato originali: ejus verò loco adepta eſt nomen ſponſi, nempe Spiritûs Sancti, eſſe Sanctum, purum &c. & cum eo ſimilem conditionem, in quantum illa comunicabilis eſt puræ creaturæ: omnî nempe labe carere, omnîque puritate, quâ major ſub DEO intelligi nequit, nitere.

## §. 4. *Hiſtoria.*

IMago ILLIbatæ, In PIsIDIâ oLeo fLVens. 557.

GErmanus Patriarcha Conſtantinopolitanus, agens de SS. Imaginibus: *Extra omnem*, inquit, *controverſiam eſt, Sanctorum imagines mirifica deſignare miracula, ut & debilibus valetudo bona per eos concilietur.* idque confirmat, exemplo cujusdam imaginis illibatæ Deiparæ, hiſcè expreſſis verbis: *Extrà omnem controverſiam, eſt in Sozopoli, Piſidiæ Civitate, Imago Virginis Matris intemeratæ, quæ ex picta etiam manu ſuâ, unguentorum ſcaturginem effundit, cujus ſanè miraculi plures teſtes ſunt.* Hæc Germanus, *in Epiſt. ad Thomam Epiſc. Claudiopol. recit. in ſynodo Nicænâ II. Act. 4.* & ſanè, longè etiam ante ipſum, miraculoſi hujus olei meminit Euſtachius, *in Vitâ Eutychij, Epiſcopi Conſtantinopolitani, apud Surium, Die 6. April.* Cùm enim idem Eutychius, extremis Juſtiniani temporibus, circa Annum Domini Quingenteſimum, Sexageſimum Quintum, Amaſeæ pro fide Catholicâ exularet; Androgius quidam, ejusque uxor gravida, ad eum acceſsêre, humiliter orantes, ſuis ille apud DEUM precibus impetraret, ne duo infantuli, ſibi paullò ante in lucem editi, ſtatim moriantur, quemadmodùm eis jam aliquotiès contigerat. Cùm ergo, hunc in finem, calidiſſimas ad DEUM preces Eutychius fudiſſet, ambos oleo Sancto parvulos inunxit, & quidem illo ipſo, quod ex dictâ immaculatæ Genitricis venerandâ effigie jam tum Sozopoli ſcaturire ſolebat, ſicque in Nomine DOMINI noſtri JESU Chri-

Chriſti delinitos, Petrum unum, alterum Joannem vocari præcepit, ambos in multos annos incolumes. Hæc Euſtatius, qui miraculum præſens ſpectavit, & litteris mandatum poſteritati tranſcripſit. Quis ergo neget, quod ſuprà §. 1. diximus, Deiparæ illibatæ nomen *oleum effuſum eſſe?*

## §. 5. *Symbolum.*

558. VMbra DeIparæ ILLIbatæ, ſerpentI InfernaLI fataLIs.




Haud ſecùs, ac viridi ſub Olivâ corruit Anguis,
Quem ſubitò incautum ſola vel umbra necat:
Sic quoque Conceptæ ſub Olivæ concidit umbrâ,
Serpens antiquus; Conterit illa caput.

*Erit quaſi Oliva gloria ejus.* Oſeæ. c. 14. v. 7.

## §. 6. *Antiquitas.*

559. ZeVXIs, qVI VVIs ſVIs artIfICIosè DepICtIs, aVICVLas feſeLLerat, à ParrhasIo pICtore DeCeptVs.

FAmoſiſſimus Zeuxis, adeò admirabilî arte uvæ botrum depinxerat, ut recens à vite decerptus videretur; ſiquidem colores ejus adeò veraciter uvam repræſentabant, ut ipſæmet aviculæ, eam intuitæ, veram uvam eſſe exiſtimantes, ad illam deguſtandam advolârint, & deluſæ fuerint. *Zeuxis quidem aves fefellit, in pictas uvas advolantes.* Verùm paullò poſt ipſemet Zeuxis, veriſimilitudine deceptus, manum ſuam extendit, ut velum, ſeu linteum candidum, à Parrhaſio depictum apprehenderet, & removeret; adeò hoc affabrè, & naturaliter efformatum erat. *Parrhaſius ipſum artificem, linteum in tabulâ expreſſum, verum eſſe arbitrantem fefellit.* Franc. Mend. *in virid. lib. 7. prog. 2.*

Si Zeuxidem diabolum, uvas pomum, aviculas Adamum, & Evam intellexero: ſi Parrhaſium DEUM ipſum, velum, ſeu linteum candidum MARIAM dixero, præclaram immaculatæ Conceptionis figuram haud dubiè in medium produxero; Enimverò, quid aliud callidus ſerpens intendit, quàm elegantem in fructu prohibito ſpeciem adeò fallacibus linguæ blandientis coloribus adumbrare, ut Adamus, & Eva, conjectis in eundem oculis, velut aves illæ, ad deguſtandam hujus fructûs ſuavitatem, cui veram boni, & mali ſcientiam ineſſe crediderant, advolârint: ubi tamen ab infernali Zeuxide miſerè ſe deceptos, ſerò jam intellexerunt. Veruntamen Cœleſtis Parrhaſius, orcinum hunc pictorem, ob deceptum hominem ſuperbum, pariter decepturus, ſingularî Omnipotentis dexteræ artificio, ac ſubtiliſſimo æternæ Sapientiæ penicillo, candidiſſimum efformavit velum, ſeu linteum, Beatiſſimam ſcilicèt Virginem MARIAM. & ecce! cùm ad eam arripiendam manus extendit infernalis impoſtor, qui antehàc tot alios improbè deceperat, ſemetipſum turpiter deluſum advertit; adeò nimirùm firmiter telam illam tabulæ Divinæ gratiæ inhærentem invenit, ut ubi apprehendere eam poſſet infernalis Zeuxis, minimè reperiret. Sic deceptor deceptus, Beatiſſima autem Virgo, tanquam tela illa candi-

di-

dida, ex quâ Verbo incarnando veſtis humanitatis conficienda erat, ac velum mundiſſimum, quod contegere debebat Divinitatem, abſque omnî peccato, fruſtratis deceptoris inſidijs, immaculata remanſit.

* * *

### §. 7. *Anagramma.*

DEI AVLa, abſqVe Labe DICenDa. 560.

*Neo-nata Regia! Te Aulam puram dicimus.*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXXXI.

### §. I. *Scriptura.*

561. VIrgInIs sIne Labe frons, fortIor aDaMante, & sILICe.

Ezech. c. 3. v. 8. & ſeq. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum: ut adamantem, & ut ſilicem dedi faciem tuam: ne timeas eos, neque metuas à facie eorum.*

SIngularem in gratiâ firmitatem, ac infractam in omni bono conſtantiam, præ omnibus alijs Adami poſteris, MARIÆ collatam, deprædicaturus ipſemet bonorum omnium largitor DEUS, hujusmodì ſe verbis, per os Ezechielis explicat: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum.* quid enim aliud per *faciem*, ac *frontem* intelligendum, quàm primum illud inſtans, quo per conceptionem, in mundum hunc immundum, ſeu potiùs in hanc lachrymarum vallem, primos Virgo obtutus conjecit? hìc nimirùm, primâ ſtatim fronte, valentiorem ſe omnibus ſola exhibuit; dum enim reliqui, in *fronte* conceptionis, velùt à Davide quondam Goliathus, miſerè fuêre percuſſi, ac in peccati originalîs maculas, toto corpore, & animâ dejecti, hujus ſolius *frontem* reliquorum *frontibus duriorem* reperit inimicus, nec deijcere eam poterat, quæ adeò ſingulariter à Numine præſervante erat confortata. Scire cupimus, quàm ſingulariter fuerit præ alijs confortata? En! ſequitur Textus: *Ut adamantem, & ut ſilicem dedi faciem tuam.* Porrò, ſi Plinio fides, hæc de Adamante ſcribit: *Adamas diu non niſi Regibus, & ijs admodùm paucis cognitus.* & cui unquàm obtigit immaculatè fuiſſe conceptum, quàm Regi Chriſto, ejusdemque Sanctiſſimæ Matri, Beatorum omnium Reginæ? Rex inter gemmas Adamas vocatur, ob invictam fortitudinem, nulli alteri communem: ſic Regina omnium Heroum, & Heroinarum MARIA, in fortitudine ſuperat incomparabiliter omnes, quæ *accinxit fortitudine lumbos ſuos*, cujus *fortitudo, & decor indumentum ejus*, quæ ſola ijs verbis gloriari poteſt: *Mea eſt fortitudo.* Quòd ſi (teſte D. Alberto Magno, de virtute lapidum) *Adamantem formavit DEUS, ut mirabilia ſua, & poteſtatem infinitam incredulis notam faceret*: ubi magis, quàm in formatione puriſſimæ animæ Virginis Genitricis, mirabilia ſua, & poteſtatem infinitam demonſtravit Omnipotens? veruntamen ſi *Adamas* (referente Petro Berchorio) *ita eſt durus ut*

Hiſtor. Nat. lib. 37. c. 4.

Prov. 31. v. 17. v. 25.

Prov. 8. v. 14.

L. 11. c. 40.

*ut nulli penitùs cedat materiæ; quia nec ferro frangitur, nec igne caleſcit*: adamantina Deiparæ *frons*, in Conceptione puriſſimâ, nulli ceſſit violentiæ peccati. Dicitur nimirùm Adamas *gemma reconciliationis & amoris*, & talis omninò fuit MARIA, quæ quamprimùm incepit eſſe, eodem inſtantî, adeò amore ſuo DEUM ineſcavit, ut ejus poſteà Filium ab æterno Paterni ſinûs accubitu, in gremium ſuum attraxerit: ut non immeritò à Seraphico Doctore MARIA dicatur *Adamas Verbi; quia ſicut Adamas ad ſe ferrum trahit, ſic MARIA ad ſe deduxit de ſupernis Verbum DEI. O frontem* igitur felicem! quia *frontem Adamantinam*, omnibus aliorum, etiam Sanctiſſimorum virorum, *frontibus valentiorem!*

L. de propriet. rer.

Serm. 2. de B. V.

Lubet hìc, pro demonſtrando, MARIAM inter, & alios Sanctos diſcrimine, duo Sacræ Scripturæ loca, primâ fronte contraria, in medium adducere: manifeſtaturus enim DEUS *Apocal. c. 7.* quinam eſſent fideles, ac veri ejus ſervi? dixit: tales in *fronte*, ſigillo Divinæ gratiæ eſſe obſignatos: *quoadusque ſignemus ſervos DEI noſtri, in frontibus eorum.* quibus hæc ſubjunxit verba Propheta Ezechiel: *Signa Thau, ſuper frontes virorum, &c.* Totum oppoſitum alibi in Scripturâ legitur; præterquàm enim, quod MARIA dicatur habere frontem *duriorem frontibus eorum*, ait inſuper Spiritus Sanctus, illam quoque à DEO Divinæ gratiæ ſigillo obſignatam eſſe, non quidem in fronte, ſed in corde: *Pone me ut ſignaculum, ſuper cor tuum!* quid quæſo hoc ſignificat, alios Sanctos obſignatos *in frontibus eorum*, MARIAM *ſuper cor ſuum?* cur non omnes ſimul aut in fronte, aut in corde? Ut nimirùm intelligeremus, quòd quemadmodùm (teſte Ariſtotele) natura in generatione, & formatione hominis, ante omnia primò efformat Cor, tanquam neceſſarium humanæ ſtructuræ fundamentum, ut ſit parens ſpirituum vitalium, fornax caloris naturalîs, principium motûs, & unica vitæ cauſa: *Cor eſt primum vivens*: deinde primùm procedit ad alias corporis partes: tandem, & ultimò format caput, tanquam realem, & veram 5. ſenſuum ſedem; ſic reliqui Sancti, Deique ſervi obſignati quidem fuerint, ſed non niſi *in frontibus*, id eſt, poſtquàm nati, vel ſaltem perfectè formati, ut Joannes Baptiſta, diu poſt conceptionem Sanctificatus, juxta illud: *Hic menſis ſextus eſt illi.* At MARIAM illis omnibus longè valentiorem, obſignatam fuiſſe, non in *fronte* tantùm, ut illi, ſed in *corde*, adeò, ut licèt nondum perfectè formata, quamprimùm incepit eſſe, ſignata, ſigillata, ac præſervata fuerit ab omni culpâ, nec unquam principiârit vivere, quin ſimul omnî *adamante, & ſilice fortior*, excluſo omnî peccato, principiârit eſſe gratiæ, amorisque Divini. En! quomodo facies MARIÆ fuerit valentior faciebus eorum, & frons adamantina fortior frontibus eorum. Ah! utinam nos, qui in peccato vivere cœpimus, ſaltem in gratiâ vitam claudamus, ac adamantinâ fortitudine, per immaculatam Deiparam obtentâ, hoſtibus noſtris generosè reſiſtamus! id ſperare jubet Virginis in ſibi devotos pietas; quemadmodum enim (teſte Pierio Valeriano) *id inſitum Divinitùs habere fertur Adamas, ut mentem, animumque geſtantis vano metu liberet*, ac ut Plinius addit: *Fortem facit hominem contra hoſtem.* ſic MARIA immaculata, frequenter à nobis invocata, omnî nos malæ mortis metu liberabit, forteſque in extremâ luctâ victores efficiet.

c. 9. v. 4.

Cant. 8. v. 6.

L. 1. de nat. animal.

Luc. c. 1. v. 36.

de Adamant.

L. de nat. rer.

## §. 2. *Authoritas.*

PetrVs CoMeſtor, Certans pro pVrItate DeIparæ. 562.

*Non gaudet mundus, quòd Anna virum cognoverit, ſed gaudet, quòd ſalutis ſuæ cauſam ſuſceperit. & quia compellor dicere, non humores Joachim veneratur: ſed quia MARIA concepta ſit, gratulatur, cujus Conceptionis Sacramentum in ſpiritu prævidens Iſaias ait: Egredietur*

*etur Virga de radice Ieſſe,&c.* Tract. de Immac. Concept. ubi inſigniter hoc myſterium deducit.

## §. 3. *Ratio.*

563. PrIVILegIa ſtabILI fIrMItate Conſtare Debent.

JUxta c. 1. & 2. q. 2. *celebritatem*, de Conſec. diſt. 3. *Privilegia perpetuâ firmitate conſtare debent*: hoc eſt, ſi ſint perſonalia, quamdiu perſona durat: ſi realia, quamdiu res durat; quia juxta c. *Privilegium* de Reg. Jur. in 6. L. unic. §. *ne autem. C. de caducis tollendis*, Privilegium perſonale finitur cum ipsâ perſonâ. & juxta L. *Imperatores* ff. *de publicanis.* Privilegia realia finiuntur cum ipsâ re, & tamdiu durant, quamdiu res durat. Atqui privilegium, de non comprehendi in generali pacto, inito à toto genere humano cum Protoparente, quoad contrahendum peccatum originale, & ſubeundam mortem animæ, Deipara habuit ab æterno, uti præfiguratum eſt in Eſther, cui dictum: *Non morieris; non enim pro te, ſed pro omnibus hæc Lex conſtituta eſt.* Ergo hoc B. Virginis privilegium ab æterno debuit ſuâ firmitate gaudere. Sed caruiſſet hac perpetuâ firmitate, ſi ad momentum contraxiſſet peccatum originale; quia talî modo fuiſſet annullatum, & infirmatum. Ergo Beata Virgo in omni inſtanti debuit fuiſſe immunis à peccato originalî. Min. ſuprapoſita Prob. Privilegium, utpote perſonale, fuit annexum perſonæ determinatæ, nempe Matri: eo ipſo enim, quod aliqua eligatur in Matrem DEI, collatum illi intelligebatur hoc privilegium. Atqui Beata Virgo ab æterno fuit electa in Matrem Chriſti, juxta illud: *Ab æterno ordinata ſum.* Ergo ab æterno habuit hoc privilegium. Si objicias: Regulam hanc in multis fallere. Reſp. id quidem verum eſſe, ſuperveniente nempe novâ causâ: v. g. ſiquis privilegio abutatur, delictum committat, uſum negligat, ſpatio decem annorum, oppoſitum faciat, &c. juxta illud:

*Indultum tollit: Contemptus: Crimen: Abuſus:*
*Oppoſitum factum: Damnum: Corpus variatum.*

ut habetur in gloſsâ ejusdem c. Sed nihil horum reperitur in Beatâ Virgine. Ergò, licèt in alijs ſæpe fallere poſſit, tamen hìc ſemper ſuum robur retinuit.

## §. 4. *Hiſtoria.*

SoCIetas IesV, orDInata pro DefensIone ILLIbatæ DeIparæ. 564.

ALphonſus Rodericius, inſignîs pietatis, ex Societate Jesu Mariophylus, ab infantiâ DEUM timere edoctus, & Mariam tenerrimo affectu colere aſſuetus, cùm inter alias devotiones, Sacrum quotidie immaculatæ Conceptionis Officium, in Virginis Deiparæ honorem perſolveret, adeò hunc penſum Maria acceptum habuit, ut in ejus remunerationem, in extaſin aliquandò raptus, mandatum ab eâdem acceperit, ut laudabilem hanc conſuetudinem ſuam publicaret, ipſumque, quod recitare aſſolebat Officium, alijs ad imitationem, prælo ſubmitteret. Inſuper (quòd maximè notandum) manifeſtare eidem dignata eſt: unam ex præcipuis inſtitutæ Societatis cauſis, in Eccleſiâ fuiſſe, ut per hanc Societatem, immaculata ejus Conceptio fortiter, ac conſtanter defenderetur. quod quàm fervidè hodiedùm adimpleatur, præter doctiſſimos libros, ex eâdem Societate, in Mariæ defenſionem conſcriptos, innumeræ teſtantur Sodalitates, ſub titulo immaculatæ Conceptionis utiliter inſtitutæ, &c. *Paulus de Barri, in Anno Sancto. ad diem 9. Decemb. Calendar. B. V. ad Diem. 30. Octob.*

§. 5.

### §. 5. *Symbolum.*

565. NVLLa VIs noCet ADaMantI.




Non Adamas quamvìs repetito frangitur ictu,
Quem nequeunt validi rumpere mille fabri.
Sic licèt objicias mille argumenta MARIÆ,
Conceptæ abs maculâ: Cor Adamantis habet.

*Ut Adamantem, & ut ſilicem dedi faciem tuam.* Ezech. c. 3. v. 9.

### §. 6. *Antiquitas.*

566. ADaMas, In AnnVLo regIo reLVCens.

DE Rege, ac Reginâ Navarræ relatum in Hiſtorijs reperitur, Adamantem illos pretioſiſſimum, in annulo quemque ſuo, geſtâſſe, cui mirâ arte inſculpta videri poterant duo illa magna Cœli luminaria, Sol, & Luna, hâc ſubjunctâ, ac tenuiſſimis characteribus inſcriptâ Epigraphe: *Simul, & ſemper.* Exprimere nimirùm per Adamantem hunc nil aliud intendebant Regij hi conjuges, quàm conſtantiſſimam inter ſe dilectionem, ac tenerrimam ad invicèm affectionem. Per Solem verò, & Lunam, fidem quandam mutuam, perenniter, ac inviolabiliter duraturam deſignabant. *Gabriel Simeon. Emblem. 8. apud P. Pauletti fer. 4. poſt Dominic. 2. Quadrag.*

Adamantem hunc pretioſum, in Regio Navarræ Conjugum annulo relucentem, Regi potiùs Sæculorum immortali, ac puriſſimæ Cœlorum Reginæ, competere exiſtimo; quis enim neſcit, annulum æternitatis ſemper ſymbolum extitiſſe? & quæ unquam creatura magìs à DEO dilecta cognoſcitur, quàm illa, quæ ab æterno jam ordinata, ac in ejus Matrem fuit deſtinata? Hinc fit, quòd illa verè *pulchra, ut Luna*, Cœleſti *Soli* perpetuâ fuerit charitate conjunctiſſima: ut de utroque dici omni tempore poſſet: *ſimul, & ſemper.* adeò, ut nullum excogitare momentum valeas, quo per peccatum aliquod, ſive originale, ſive actuale, MARIA fuerit à DEO ſeparata, ſed potiùs dici indubitanter poſſit, & debeat, *ſimul, & ſemper* cum Filio ſuo Divino pura, *ſimul & ſemper* cum eodem Sancta, *ſimul & ſemper* cum eodem immaculata.

### §. 7. *Anagramma.*

ConCepta VIrgo, DEVM parIs! 567.

*Anteà immaculata Virgo: en Deum paris!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

De

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXXXII.

## §. I. *Scriptura.*

568. Porta VIrgInea, eXCLVsIVa VIrI, tenebrarVM PrInCIpI CLaVſa, In qVâ ſoLVs habItat PrInCeps paCIs.

Ezech. c. 44. v. 2. *Porta hæc clauſa erit, & vir non tranſibit per eam; quoniam Dominus DEUS Iſraël ingreſſus eſt per eam, eritque clauſa Principi: Princeps ipſe ſedebit in eâ.*

HAud ſine myſterio, Sancta Mater Eccleſia Beatiſſimæ Numinis Genitrici glorioſum adſcribit elogium, dum ait: *Tu Regis alti Janua, & porta Lucis fulgida!* quamvìs enim eodem titulo CHRISTUS ipſemet glorietur, ijs verbis: *Ego ſum oſtium: per me ſiquis introierit, ſalvabitur.* nullatenùs tamen repugnat, Chriſtum primariam, ac immediatam, MARIAM ſecundariam, ac mediatam Cœli *portam* eſſe, quâ mediante, ea quoque, quæ Chriſtus eſt, facilè nobis aperitur. quod dudùm præſignâſſe videtur Ezechiel, dum ſcripſit: *Duo oſtia erant in Templo,* duæ nimirùm in Cœlo Januæ, ſeu portæ: CHRISTUS & MARIA; Cœlum ſiquidem, quod ille nobis meruit, impetrat iſta. Felix certè porta! de quâ magnus ait Albertus: *Sicut porta exportat, & importat, ſic & per ipſam exivit, quidquid unquàm gratiæ creatum, vel increatum in mundum venit; per ipſam item intravit, quidquid boni ad Cœlos aſcendit.* Regia certè porta, ac *Regis alti Janua!* quemadmodùm enim Regi, aut Imperatori, devictæ Urbis dominium recepturo, per novam omninò portam aditus apparatur, quæ victore ingreſſo, mox rursùs obſtruitur: ita Virgo Beatiſſima ſoli fuit pervia Cœlorum Principi, clauſa deinceps æternùm: anteà patens nemini, poſteà nulli. quod clarè prædixit Ezechiel: *Porta hæc clauſa erit, & vir non tranſibit per eam; quoniam Dominus DEUS Iſraël ingreſſus eſt per eam, eritque clauſa Principi: Princeps ipſe ſedebit in eâ. Porta* profectò *lucis fulgida!* lumine gratiæ pleniſſima, ubi ſoli DEO, Lumini inacceſſibili, datur acceſſus: principi verò tenebrarum, diabolo, nec aditus datur, nec aſpectus permittitur. Hæc *porta* Virginea, nempe MARIA, ſicut in conceptione Filij, *clauſa* fuit, ac excluſiva viri, ſive neſciens virum: ſic etiam in propriâ Conceptione, fuit *clauſa* Principi infernali: quaſi illud S. Cypriani monitum prægustâſſet, dum ait: *Omnes ergo rimæ, nè dicam portæ, claudendæ ſunt; ne per unum foramen, caſtra omnia penetrentur, & univerſa ſunt componenda munimenta, ne per modicum, non munitum, tota Civitas corruat.* Princeps interim ipſe, nempe Principum ille Princeps DEUS, omnî momento, ſedere voluit in eâ, qui ſtationem ſuam in hac *Portâ* ita firmis roboravit præſidijs, ut nulli alteri fuerit recluſa, aut ſubeunda. quod ſatis inſinuatum videtur, per dulcia illa Cœleſtis ſponſi, ad dilectam ſuam, verba: *Aperi mihi Soror mea! amica mea! columba mea!* cur enim non uno tantùm, ſed tribus nominibus, amore plenis, ſponſam ſuam honorat? *Soror mea! amica mea! columba mea!* nonnè ùt triplicî eam culpâ carere indicet: originalî, mortali, ac venialî, ſícque ab hac ſibi ſoli portam aperiri deſideret? quaſi dicat, (ut Divus exponit Ambroſius) *Aperi mihi; ſed ex-*

Jo. c. 10. v. 9.

c. 41. v. 23.

In Marial. lib. Apoc.

De ſingul. Cler.

Cant. c. 5. v. 2.

l. de Iſaac. c. 6. *traneis claude: aperi ergo mihi, noli aperire adverſario, neque locum des diabolo!* hoc enimverò, & non aliud indicare ſponſus intendit, dum triplicem hunc titulum, altero titulo, quaſì per compendium, concludit, addens: *Immaculata mea!* id eſt, immaculata, tam ab originâli, quàm ab actualibus peccatis. Ad hunc de Virgineâ *Portâ* Conceptum, in noſtram utilitatem concludendum, optimè deſervit laudabilis ille antiquo-
l. 22. Moral, c. 14. rum mos, à magno noſtro Gregorio obſervatus: ad Urbium nimirùm portas, prudentes quoſpiam viros conſtituendi, qui cauſas & litigia eorum, qui ingreſſuri erant, ibidem priùs definirent, ne quis fortè pedem inferret Civitati, qui publicam rixis ſuis pacem, quietemque turbaret. de quo inſtituto Amos Propheta, Sacris in
c. 5. v. litteris, expreſsè ait: *Conſtituite Judicem in portâ.* Talis enim *Porta* MARIA eſt, ubi ceſſat omne litigium, ubi nulla locum habet Numinis offenſa, quæ ſicut omnî momento Divinæ Majeſtatis amica fuit dilectiſſima: ſic & omnes alios, ad ſe confugientes, Superis reddit amicos. Cœlum namque Urbs eſt, & ſedes tranquilliſſima, ubi perpetuâ, & illibatâ vivitur pace, quò nihil intrat litigioſi, aut DEO offenſi: pacem ergo ferant, oportet, qui ſunt ingreſſuri. iſtum igitur in finem, æterna DEI Sapientia, *portam* conſtituit Virginem Beatiſſimam totam puram, Sanctam, pacificam, ad quam ſubſiſtentes animæ, Cœlum ingreſſuræ, nulla ſecum ferant litigia, nullas peccatorum maculas, nullas cum DEO, Diviſque inimicitias, vel ſi quas habeant, depoſitis per veram pœnitentiam culpis ad portam iſtam definiant, jurgia ponant, ac pacem ab offenſo Numine, amore Virginis ſemper pacificæ, ſemper immaculatæ, ſemper amicæ, efflagitent, ſecureque obtineant.

* * *

## §. 2. *Authoritas.*

S. petrVs DaMIanVs, à Labe LIberæ proteCtor. 569.

1. *Germinat ergo virga Jeſſe, de tortuoſâ generis humani radice, & de Patriarcharum arbore in altitudinem, & rectitudinem erumpens, omnem ignorat nodoſitatem, &c: Tota pulchra, quia Deificata, & macula non eſt in Te; quia Spiritus Sanctus ſupervenit in te.* Serm. de Aſſumpt.
2. *Caro enim ejus ex Adam aſſumpta, maculas Adæ non admiſit.* Ibid.
3. *A peccato primi Parentis, tenebræ factæ ſunt ſuper univerſam terram, uſque ad MARIAM Virginem.* Serm. de Aſſumpt.
4. *Omnes creaturæ diſſidio voluntatum magnos motus conciverunt contra DEUM: Sola Virgo innoxia peccati requiem DEO dedit: fuit reclinatorium aureum, ſummo Regi incorruptum, in quo nullus, niſi ſummus DEUS conſedit.* Ibid.
5. *Quid, rogo, vitij in mente, vel corpore MARIÆ vendicare ſibi potuit locum, quæ ad inſtar Cœli, plenitudinis totius Divinitatis meruit eſſe Sacrarium? in Chriſto enim habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter.* Serm. 3. de Nativ. M.
6. *Cùm fecerit DEUS omnia ſua opera valde bona, hoc melius fecit: conſecrans ſibi in eâ reconciliatorium aureum, in quo ſe poſt tumultus Angelorum, & hominum, inclinaret, & requiem inveniret.* Ibid.
7. *Bene hæc incomparabilis Virgo, Virga dicitur, quæ per intentionem deſiderij, ſemper ad ſuperna ſe habuit, neque per cæcitatem peccati, diſtortæ nodoſitatis vitium aliquando incurrit.* Ibid.

## §. 3. *Ratio.*

non DeCet fIerI AbbatIſſaM, nIſI hæC ſIt VIrgo. 570.

OMninò inconveniens eſt, ut illa, quæ Virgo non ſit, in Abbatiſſam aſſumatur: c. *juvenculas.* q. 1. imò

imò etiam violenter corrupta, licèt virginitatem non amittat, nec perdat laureolam virginitatis, tamen in Abbatiſſam ampliùs conſecrari nequit: ut habetur L. 3. Tit. 34. q. 14. Ergo multò minus decet, Reginam Virginum, & Angelorum, aliquo peccato fuiſſe corruptam, & inquinatam, ſive voluntariè, ſeu ex propriâ voluntate, ſive in ſe involuntariè, alienâ tamen voluntate commiſſo. Confirm. ex illo, in c. 1. diſt. 2. *Decet Prælatum alijs irreprehenſibilem eſſe, & omnî tempore à quocunque crimine immunem.* Ergo ſimiliter decet Præpoſitam, & Reginam Angelorum, & hominum omnî tempore eſſe immunem à quocunque crimine.

## §. 4. *Hiſtoria.*


571. MARIA ILLIbata, PetrO VILLarIensI gratIosè DeſponſatA.

B. Petrus Villarienſis, præclarum Sacri Ordinis Ciſtercienſis Sidus, inſignem haud dubiè gratiam à Beatiſſimâ Cœlitum Reginâ obtinuit, dum tertiâ à Feſto S. Nicolai feriâ apparentem ſibi eandem habuit dicentemque ſibi: *Noveris Fili, agi hodie Diem ſpecialiter mihi Feſtivam: quocircà magis te præ alijs diebus, Divinis hac luce laudibus immorari, amplioribus præconijs meis vacare, ac ſublimioribus inhærere meditationibus oportet.* Ob gratioſam adeò apparitionem miro affectus gaudio Petrus, latentis tamen Myſterij neſcius, humillimè in hæc verba reſpondit: *Ignoſce dulciſſima Domina, Regina clementiſſima! ignoſce ſervulo, Feſti Tui rationem penitùs hucuſque ignoranti: cujus quamprimùm notitiam habuero, devotiſſimus certè illud peragam, nec hodie tantùm, ſed quoad vixero, celebrare nullatenùs intermittam.* Hæc cùm dixiſſet, evaneſcente interim viſione, nullum deſuper tulit reſponſum; veruntamen, cùm ex alio quodam, caſu intellexiſſet, Diem Conceptioni immaculatæ Sacram à devotis quibusdam MARIÆ clientibus recoli, ſingulis idem Feſtum annis, totâ devotionis alacritate celebrare & ipſe ſtuduit, adeò ut in tanti mercedem obſequij, in eâdem aliquando Feſtivitate, ab ipſómet Virginis Filio viſitatione ſpirituali recreatus, inenarrabilî fuerit conſolatione perfuſus. Cùm præterea Eccleſiam ingreſſus, idem Feſtum puri cordis devotione pro more peracturus eſſet, in extaſin raptus, coram JESU, & MARIA feliciſſimè ſiſtebatur: à quibus cœptæ devotionis ergò plurimùm laudatus, ac, ut conſtanti in eâdem fidelitate perſiſteret, admonitus fuit. imò, ut Matris honore ſe ſummè delectari, Filius demonſtraret Divinus, inſeparabilî eandem vinculo, famulo tam devoto jungendam voluit: quem in finem, vices Sacerdotis, & morem aſſumere dignatus, Sacerdos ipſe ſecundùm Ordinem Melchiſedech, Matrem ſuam (ut moris eſt, in facie Eccleſiæ Sponſos benedici) in perpetuum ſpiritualis Conjugij fœdus, Petro gratioſiſſimè deſponſavit. Ex quo factum, ut vir ille Religioſiſſimus, corde, & animo, in amorem illibatæ lequeſcens, tantâ fuerit devotionis perfuſus dulcedine, ut nullas extrà Virginem conſolationes ulteriùs recipere, nec alios impoſterùm, quàm de illâ, ſermones proferre potuerit. *Ex Chronic. Villarienſ. & Bucel. Menol. ad Diem. 8. Decemb.*

* * *

## §. 5. *Symbolum.*

572. Mater DeI, hortVs InaCCeſsVs.




Qui pulchrum retinere cupit, quem condidit, Hortum,
Occludat, valeant ne penetrare Sues.
Conceptam clauſit Numen, ſine labe, MARIAM:
Quid mirum, maculæ non penetrâſſe Suem?

*Hortus concluſus Soror mea Sponſa: hortus concluſus.* Cant. c. 4. v. 12.

## §. 6. *Antiquitas.*

573. hVgoLInI GIrarDesCI, nIMIa eLatIo.

DE Hugolino Girardeſco, Guelpharum partium Principe narrat Platina, *in Nicolao III. Papâ:* Beyrlinck, verbo: *Fortuna* f. 231. eum pulſis Gibellinis, aut metu potentiæ perterritis, ad tantam perveniſſe fortunam, ut pro nutu omnia adminiſtraret, Patriæque Dominus & eſſet, & haberetur. is cùm Feſto Natalîs ſui cognatos, & amicos, ad convivium Regio luxu adornatum invitâſſet, ac inter epulas, fortunam ſuam ſuprà modum extollens, ex Marco Lombardo, uno de intimis amicorum, percontaretur, quid tandem felicitati ſuæ deeſſe crederet? à Marco durum, & inexpectatum reſponſum retulit, dum is vel ad volubilem felicitatis humanæ rotam ſe reflectens, vel mente Divinitùs admonitâ, in faciem ei dixit: *Domine, nil deeſt, niſi ira Numinis, quæ à rebus tam ſecundis diu abeſſe non poteſt.* Dictum durum, & acerbum, ſed tamen verum! nam paullò poſt, dum Gibellini, reſumptis inſperatò armis, coadunatis viribus, palatium ejus expugnârunt, unum audaciorem è Filijs, & alium ex Nepotibus, vim arcere conatos occiderunt, ipſum verò Hugolinum, cum duobus filijs, ac tribus nepotibus comprehenſum, in teterrimam turrim, obſeratis foribus detrusêre; clavibus in Arnum flumen abjectis, ubi Anno 1288. & Patri, & Filijs, & Nepotibus, omnî vitæ ſubſidio deſtitutis, miſerè fuit pereundum.

Hoc ipſum contigiſſe videtur humani generis Protoparenti Adamo; ex humilî enim, & contemptibilî limo terræ eò felicitatis aſcendit, ut rerum conditarum Dominus, ac totius naturæ imperator ſit conſtitutus, cujus imperio univerſæ creaturæ ſubjacebant: ſed eò inſolentiæ, ex præſumptione felicitatis ſuæ, eſt delapſus, ut non contentus ſtatûs ſui excellentiâ, ad inconceſſos Divinitatis honores, temerario auſu aſpirarit; Hinc abeſſe diu non potuit à tam ſuperbo, & ſcelerato capite juſta Nemeſis, quæ majeſtatis contemptæ reum, ex paradiſo expulſum, carceri æterno, cum omnî poſteritate addixit, ubi miſero cum totâ ſuâ infelicî ſobole pereundum fuiſſet, niſi poſt decurſum aliquot millium Annorum, deperditæ claves iterum fuiſſent inventæ. Sed ubi inventæ? non alibi certè, quàm in benedicto Annæ Matris utero, quæ MARIAM concepit, MARIAM protulit; *Ex hac* enim (ut ait Doctiſſimus Pelbartus de Temesvvar, *Serm. de S. Annâ*) *Clavis David eſt facta, per quam Paradiſi porta cunctis eſt patefacta.* Hinc Joannes noſter Damaſcenus, primos Parentes ſic cum MARIA loquentes in-

introducit : *Nos Cœli januas clauſimus, tu reſerâſti, &c.* quam meritò etiam ſalutat D. Ephrem *Serm. de laud. Virg. Ave Portarum Cœleſtis Paradiſi reſeramentum! Ave clavis Regni Cœleſtis!* Sicut ergo Petrus quondam lachrymis ſuis, non tantùm peccatum diluit, ſed Cœli quoque claves recepit : ſic & Anna, oratione, & lachrymis, non ſolùm ſterilitatem depulit, ſed & claves Regni Cœlorum à Domino, per MARIAM, in ipsâ ſine labe conceptam, impetravit.

### §. 7. *Anagramma.*

DEVM parIes, Vna sIne peCCato. 574.

*DEUM paries, O una, integra, immaculata!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS LXXXIII.

### §. I. *Scriptura.*

575. RaDIX, & GerMen, sIne peCCato.

Dan. c. 4. v. 11. & 12. *Succidite arborem, & præcidite ramos ejus, excutite folia ejus, &c. veruntamen germen radicum ejus in terrâ ſinite.*

VIdit olim Nabuchodonoſor, inter ſomniandum, proceriſſimam quandam, ac ampliſſimam Arborem, vertice in Cœlos tendentem, & radices ad ima propè tartara promittentem, Arborem, inquam, fructu gravatam, & omnigenas inde beſtias paſcentem : ſed audivit & vocem, quâ eadem excidi mandabatur, ejus fructus excuti, ramos præcidi, omnemque hoc pacto illi virorem, ac ſuccum tolli : ſolâ illi ad ſolatium radice relictâ, denuò ut pullulaſceret, & ſurculum novum emitteret : *Succidite arborem & præcidite ramos ejus, excutite folia ejus, & diſpergite fructus ejus, &c. veruntamen germen radicum ejus in terrâ ſinite.*

Porrò ſi Arborem hanc Nabuchodonoſori oſtenſam attentiùs conſiderare, & ſcire velimus, quid hæc omnia ſibi velint? nil accomodatiùs, ſecundùm myſticum ſenſum, ſubintelligi poſſe exiſtimo, quàm miram primi hominis ante peccatum felicitatem; quamvis enim à Daniele longè aliter Regi fuerit explicata Arbor illa; tamen in præſenti adſtruere non dubito, comatam hanc Arborem, naturam repræſentâſſe humanam, Arborem haud dubiè ingentem, inſignem, plurimiſque juſtitiæ ac perfectionum Cœleſtium, fructibus decoratam. hanc Satanas, feralis ille ligniſeca, peccati ſecurî petens, jam inde in Paradiſo terreſtrî, ramis ſpoliavit, omnem ejusdem fructum diſſipavit, frondes præcidit, virorem abſtulit, eamque aridam penitùs reddidit, nihil ut ſucculentum, ac viride, præter ſolam radicem remanſerit, *radicem* inquam, quæ Virginem Deiparam repræſentabat : radicem illam Jeſſe; hoc enim nomine Iſaias eam appellavit: *Egredietur virga, de radice Jeſſe; & flos de radice ejus aſcendet.* c. 11. v. 1. radicem, quæ novam arborem, id eſt redemptorem JESUM, arborem illam vitæ protruſit. Hujus Prophetici dicti paullò aliam affert D. Bernardus expoſitionem: *In hoc tamen,* inquit ille, *Iſaiæ teſtimonio, florem Filium, virgam intellige Matrem.* quo ſuppoſito, non immeritò quæri poſſet, cur potiùs Serm. 2. ſuper Miſſus.

tiùs Maria ex radice Jeſſe egreſſura prædicitur, quàm ex radice, vel ſtirpe Abrahami, Jſaaci, Jacobi, Davidis, &c. à quibus duxit illa originem? ad hanc verò rem patula mox erit reſponſio, ſi, quid vocabulum *Jeſſe* apud Hebræos ſignificet, intellexerimus; idem nimirùm eſt, ac *munus, donum, & gratia.* bene: cùm ergo Propheta de Conceptione Mariæ agat, quæ eſt primus ejus egreſſus, meritò à Jeſſe, omiſſis alijs Patriarchis, prædicat ducere originem: ut vel ſic oſtendat, conceptionem Virginis à *Gratiâ* ſumpſiſſe exordium. Sicut proinde, juxta Bernardum, per *Virgam, Virgo Deipara*, & per *radicem* intelligenda eſt *gratia*: ſic per virgæ *florem*, ſeu *germen* radicis, *CHRISTUS Dominus* facilè eſt intelligendus, qui arborem humanæ conditionis, vitio Adami deſtructam, & corruptam, non in priorem tantùm, quâ condita fuerat dignitatem, ſed multò etiam ampliorem, ac florentiorem reparavit. Haud abſimiliter Conceptum noſtrum D. Joannes Damaſcenus pro-
Orat. 2. de Nativ. Mat. ſequitur, dicens: *Per germen quemnam tandem quæſo, propriè conſentaneèque acceperis? an non perſpicuè ſolam hanc ſanctam ac ſanctis omnibus ſanctiorem, quæque tota, hoc eſt, & corpore & ſpiritu, pura ei apparuit, qui in ea domicilium habuit, nimirùm MARIAM, magnam inquam illam, ac re & nomine valdè colendam, Davidicum ſurculum, radicem Jeſſe?* Hæc ille. Quamvìs igitur arbor humani ſtemmatis mox à prævaricatione, ex juſta DEI vindictâ ſucciſa, ramique fuerint præciſi, in ignem haud dubiè æternum (ni aliud interventurum eſſet Divinæ miſericordiæ remedium) abijciendi; tamen in Mariæ præſervatione jugiter adimplebatur altera illa Iſaiæ prophetia:
c. 4. v. 2. *Erit germen Domini in magnificentiâ, & gloriâ.* verificabatur in Maria illud, quod amor erga genus humanum, quamvìs adulterum, à Numine deva-
Eccli, 24. v. 13. ſtante poſtulabat: *In electis meis mitte radices.* gloriari in Maria DEUS ipſe poterat, ijs dicti Eccleſiaſtici verbis: *Radicavi in populo honorificato.* v. 16. gratulari denique, in maximis licèt anguſtijs, ſibi poterat prævaricator homo, recogitando *germen ejus delectabile*, dulciſſimum nimirùm JESUM, ex MARIA, puriſſimâ Genitrice, carnem aliquandò in terris aſſumpturum, hominiſque ruinam ſuâ Sacratiſſimâ paſſione reparaturum. Iſaiæ. 5. v. 7. Pro concluſione Conceptûs, non prætereundum nobis illud Plinij effatum. *Prima lex eſt Vineas plantanti: cave, radices ne ſaucies!* Lib. 17. c. 22. Radix autem hominis nonnè Conceptio eſt? imo. non ergo hæc *radix* illâ in vite ſauciari, vel ejus originalis puritas in dubium vocari debet, quæ non botrum ſed DEUM erat paritura.

## §. 2. *Authoritas.*

S. proCLVs, DeIparaM sIne Labe propVgnans. 576.

1. *Filius DEI Matrem, quàm citrà ullam labem ſibi formaverat, ex hac quoque nullâ maculâ contractâ proceſſit.* Homil. habitâ in Concil. Epheſ. Tom. 6. Concil. c. 7.
2. *Sacra MARIA Deipara in unum nos coëgit: Hæc impollutus, & purus ille illibatæ Virginitatis Theſaurus, decusq́, & ornamentum: hæc ſpiritualis ſecundi Adami Paradiſus: hæc verè levis illa nubes, quæ ſuper Cherubim ſedentem in corpore ſuo geſtavit: hæc vellus mundiſſimum, Cœleſti pluviâ madens, ex qua paſtor ovem induit..* Hom. de Nativ. Dñi.
3. *Ipſa Virgo novum eſt novi teſtamenti volumen, per quam extemplo dæmonum vaſtatum eſt imperium.* Orat. 6.

## §. 3. *Ratio.*

De frVCtV, arborIs bonItateM nosCe. 577.

TRitum eſt illud, & vulgatum Axioma:

*Sæpe ſolet ſimilis Filius eſſe Patri.*

Juxta illud Horatij:

*Fortes creantur fortibus, & boni bonis.*

quod idem Redemptor, & Salvator noſter volens innuere, dicebat: *Non poteſ*

*poteſt arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos fructus facere.* Matth. 7. c. v. 18. ſeu quod idem eſt: Ex bonitate & perfectione fructûs, & Filij, bonitas, & perfectio Arboris, & matris, dignoſci poteſt. Atqui Chriſtus qui eſt cumulus, & plenitudo omnîs perfectionis, ſummè bonus, & ſummum bonum, verè fuit fructus, & Filius Arboris Marianæ. Ergo ex eo vel maximè bonitas, & perfectio cognoſci poteſt Arboris illius. Atqui prorsùs contrarium eveniret, ſi Beata Virgo fuiſſet ſemel concepta in peccato originalî; cùm hoc ſit privatio omnîs bonitatis, & perfectionis ſupernaturalis. Ergo, &c.

578. §. 4. *Hiſtoria.*

TrVnCo hæC Verba Contenta: *MarIa ConCepta sIne peCCato.*

ANnus agebatur, à nato Salvatore, Milleſimus, Sexcenteſimus, Quinquageſimus, Dies verò decima tertia Decembris; cùm in Oppido quodam Taraſcorum, Villa de Januâ nuncupato, in Epiſcopatu Michuacenſi, non ſine prodigio, Immaculata Beatiſſimæ DEI Genitricis Conceptio incolis illis fuit patefacta. Rem paucis accipe! Fortè Truncus quidam Arboris, à fabris lignarijs in uſum cujusdam ædificij adhibendus, per medium ſecabatur; cùm ecce! litteræ quædam perfectè efformatæ intùs reperiuntur: cumque, quid ſcriptura contineret? attentiùs inſpicerent, hæc omninò verba, Hiſpanico Idiomate conſcripta, obſervabantur: *MARIA concepida, ſin peccato.* Hæc porrò ſcriptura, pro confirmandâ Virginis Deiparæ puriſſimâ Conceptione, tam mirabiliter in Trunco illo reperta, meritò, ex mente Epiſcopi, pro inſignî miraculo ab incolis illis habita, atque ad Parochialem ibidem Eccleſiam, Patrum Auguſtinianorum delata eſt, ubi etiamnùm honorificè aſſervatur. *P. Franciſcus Calderon. S. J. in Epiſtolâ, ad Europæos ſcriptâ.*

§. 5. *Symbolum.*

FaVo MarIano, nIL De aCVLeo. 579.




Hic favus ex apibus non pungit, acumina neſcit:
Sit proviſa licèt cuſpide quæque ſuo.
Sic licèt ex lapſis ſe progenitoribus ortam
Virgo ſciat; labis cuſpide ſola caret.

*Favus diſtillans labia tua Sponſa!* Cant. c. 4. v. 11.

§. 6. *Antiquitas.*

TherIaCa, Contra aſpIDVM Venena. 580.

JUxta relationem Plinij, *lib. de naturalibus*, quædam in Indijs Arbor reperitur, cujus flores, & fructus, non ſuavem modò odorem, ſed & ſaporem dulciſſimum emittunt: In viciniâ autem Arboris prædictæ, manere Serpens aſſolet, quem Indi Aulum nominant, qui, dum Arboris odorem extremè averſatur, ut flores, & fructus deſtruat, ad radicem Arboris deveniens, ſuo eam veneno intoxicat; quod obſervantes Patriæ illius hortulani, ut Arborem conſervent, Theriacam accipiunt, ac in ſummitate cujusdam virgæ ipſius Arboris infundunt: unde fit, ut expulſo quantocyùs omnî veneno, Arbor ipſa, licèt

cèt toxico priùs nocentiſſimo infecta, longè impoſterùm reddatur fæcundior.

Per iſtam Arborem nonnè hominem intelligere liceat? cùm & *Marci c. 18.* dicatur: *Vidi homines, quaſi arbores ambulantes.* ſi enim Philoſopho credendum: *Homo eſt Arbor inverſa.* Flores hujus Arboris ſunt bonæ cogitationes, & bona propoſita: fructus verò bona opera; nam ſicut fructus oſtendit qualitatem Arboris: ſic bona opera conditionem hominis manifeſtant, juxta illud Matth. c. 7. *à fructibus eorum cognoſcetis eos.* Hæc Arbor ante lapſum primi hominis, fructus produxit dulciſſimos, ut verificatum fuerit illud: *Flores mei, fructus honoris, & honeſtatis.* Eccli. c. 24. v. 23. quos tamen Serpens antiquus ſuſtinere non valens, venenum in eâ poſuit, & radicem infecit, quando ſuggeſtione ſuâ primum hominem peccatorem effecit: ex quo Arbor illa adeò evaſit infecta, ut longiſſimo tempore fructum portare nequiens, per nulla opera, quantumcunque bona, Cœlum ingredi potuerit; Veruntamen ſapientiſſimus hortulanus, Pater Cœleſtis, malitiam & calliditatem Serpentis conſiderans, Theriacam, id eſt, Filium Divinum, infudit in Virgâ quâdam iſtius Arboris, longè à radice diſſitâ, ac conſequenter à veneno nondum infectâ, MARIA ſcilicet, ſine labe conceptâ, de quâ Iſaias: *Egredietur virga de radice Jeſſe, &c.* c. 11. v. 1. & ſic peccati veneno remedium tulit, toxicum expulit, Arborem denique ipſam fœcundiſſimam reddidit; quia nunc poteſt homo, per fructum boni operis, vitam conſequi ſempiternam.

### §. 7. *Anagramma.*

DEI VerI Mater, pVrè ConCepta. 581.

*O DEI veri magna Parens, Tu immaculata!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS LXXXIV.

582. AbsIt à DEI GenItrICe oMnIs sVſpICIo.

Dan. 6. v. 4. *Nullam cauſam, & ſuſpicionem reperire potuerunt; eò quòd fidelis eſſet, & omnis culpa, & ſuſpicio non inveniretur in eo.*

Quod Sacris in paginis, de omnigenâ Danielis innocentiâ, ſuccinctâ illâ, ſed ſatis efficaci Panegyrî celebratur: *Nullam cauſam & ſuſpicionem reperire potuerunt, &c.* hoc idem de Beatiſſimâ Numinis Genitrice meliorî jure deprædicandum: eam videlicet non ſolùm à communi illâ originis labe Divinitùs exemptam, ac præſervatam fuiſſe, verùm etiam nec minimam in tantæ Matris conceptione *ſuſpicionem* primæ culpæ reperiri. Placeat in hujus aſſerti confirmationem unum, alterúmve S. Scripturæ locum attentiùs perſcrutari. *Egredietur Virga de radice Jeſſe*, ait Iſaias. c. 11. v. 1 ſed cur non potiùs dixit Propheta: *Egredietur Arbor?* cur *Virgam* potiùs adducit, de radice Jeſſe egreſſuram? verùm, cùm ſub hac Virgâ, Virgo Deipara communiter ab expoſitoribus intelligatur; ideò Virga dicitur, & non Arbor egreſſura: ut tollatur à

MA-

Maria omnis etiam *Suſpicio* culpæ. in arbore nimirùm prævaricati ſunt primi parentes : arbor ergò ideò non dicitur, ut nec nominetenùs ad cauſam primi peccati dicat analogiam. & hæc ipſa eſt ratio, cur Petrus Damianus dixerit: *Germinat ergo Virga Jeſſe, de tortuosâ radice generis humani, & de Patriarcharum Arbore in altitudinem erumpens, omnem ignorat nodoſitatem, foliorum tenebras neſcit.* ubi ultima præſertim notanda verba: *foliorum tenebras neſcit.* quid enim eſt Mariam neſcire tenebras foliorum? niſi ut denotetur, non ſolùm Mariam peccati originalis labe caruiſſe in Conceptione; verùm etiam umbram peccati ignoraſſe. Arboris folijs, in quâ prævaricati fuerunt primi parentes, fecerunt ſibi perizomata, & operuerunt ſe, nudati gratiâ, folijs peccati. hæc folia ignoravit Maria, quorum umbrâ nunquam fuit cooperta. *Abſit ergò à DEI Genitrice omnis ſuſpicio.* Sed alium Scripturæ locum rei noſtræ faventem adducamus. Nato Salvatore noſtro, ait Angelus paſtoribus: *Invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.* quod piè conſiderans D. Bernardus, condolensque tantæ Mariæ, & Josephi inopiæ, ait: *Et cum eſſet tanta neceſſitas, nullam audio pellium fieri mentionem.* cur miraris melliflue Pater? quare ergo ibi nulla fit pellium mentio? aut cur illis infans DEUS non obvolvitur, pannis ſolis contentus? non aliam certè ob cauſam, niſi quia pelles primorum parentum in paradiſo fuerunt ornatus, juxta illud: *Fecit quoque Dominus DEUS Adæ, & uxori ejus, tunicas pelliceas, & induit eos.* cùm ergo pelles parentum nudidatem operuerint, ineptæ erant, ut eis Chriſtus involveretur: ne ubi aderat Maria, originalis culpæ eſſet vel minima *ſuſpicio*, aut recordatio. quod emphaticè ſatìs denotavit Bernardus, his verbis: *Primus Adam pelliceis veſtitur tunicis, pannis ſecundus obvolvitur.* quod eſt dicere: primus Adam pelliceis utitur tunicis, in ſignum ſuæ nuditatis, & prævaricationis: ſecundus verò non pellibus ſed pannis obvolvitur, ne ubi aderat Maria, vel minima primi dilecti *ſuſpicio* locum obtineret. Mirantur haud immeritò aliqui, cur Maria, tam chara Chriſti Mater, præſentibus Apoſtolis, ipſa abfuerit à cœnaculo, in quo pijſſimus Redemptor Auguſtiſſimum Evchariſtiæ Sacramentum inſtituit? Sacratiſſimum hìc præparabatur convivium, eademque caro, & ſanguis idem (ut cum Auguſtino loquar) quem ex Mariâ aſſumpſerat, ſub illis ſpeciebus miniſtrabatur: cur ergo à tantâ celebritate Mater excluditur? cur abeſt? num habet Evchariſtia oppoſitionem quandam cum MARIA? minimè. dicenda potiùs magna inter hanc, & illam conſanguinitatis cognatio. cur ergo non adeſt MARIA, cùm Chriſtus Evchariſtiam inſtituit? Reſpondeo: Ideò; quia fuit in gratiâ, & Sanctitate concepta; cùm enim Chriſtus in eodem cœnaculo pedes diſcipulorum laverit, & hac functione peccati originalis abluerit venenum (ut ex S. Ambroſio ſuperiùs Conceptu 69. oſtendimus) hinc conſultò dilectiſſimam Matrem illuc vocare non voluit, ubi de peccati originalis agebatur antidoto: ne de illâ vel leviter *ſuſpicari* quis poſſet, etiam fuiſſe ablutam. Tanto nimirùm ſtudio DEI Filius Maternæ conceptionis puritati providit, ut noluerit in Deiparâ minimam ſordis originalis *ſuſpicionem* reperiri. Verùm objicies: cur ergo non prohibuit quoque MARIAM ablui in fonte Baptiſmatis, qui etiam venenum ſerpentis abluit, imò ad id ſpecialiter eſt inſtitutus? Reſpondeo: MARIAM Baptiſmali quidem fonte (ut nullus dubito) tinctam fuiſſe: non tamen, ut originalis macula abſtergeretur, quam minimè contraxit, ſed tantùm, ut ſuo nos exemplo ad ſuſcipiendum Baptiſma invitaret, atque augmentum gratiæ per hoc Sacramentum ſuſciperet: adeoque Baptismum hunc, non tantùm MARIAM peccati originalis *ſuſpectam* non reddidiſſe, verùm potiùs augmenti gratiæ, &

Serm. de Annunt.

Luc. 2. v. 12.

Serm. 3. de Natal. Dom.

Gen. 3. v. 21.

loc. cit.

in Pſal. 89.

Oo San-

Sanctitatis præclarum indicium extitiſſe. *Abſit ergo à DEI Genitrice omnis ſuſpicio.* abſit à Chriſtiano, talia de puriſſimâ Virgine vel cogitare, ni tantis Scripturæ teſtimonijs refractarius, Divinæque reus vindictæ effici velit, &c.

## §. 2. *Authoritas.*

583. PſeLLVs, pVraM InDICans.

1. *Hos ordines Salomon ipſe proſpiciens, & Divino afflatus Spiritu, tanto ante cernens Verbi Sponſi puriſſimam incarnationem, & quæ ipſum ſine ſemine genuit, Sanctiſſimam DEI Genitricem MARIAM, illam immaculátiſſimam, quam omnes omnium hominum generationes, vocibus nunquam ceſſantibus beatiſſimam prædicant.* In Cant.
2. *Inter tot animas omnium hominum, qui ſalvantur, ut electa columba eſt una illa ſola, quæ Chriſtum genuit, Virgo, Mater, Puella, MARIA, quæ puritate profectò Cherubim, & Seraphim antecellit.* Idem ibid.

## §. 3. *Ratio.*

584. GenItores, NVMInIs Inſtar, à LIberIs CoLenDI.

Ariſtoteles *l. 8. Ethic. c. 14.* inter alia hæc habet: *Reddere oportet eum, qui debet: at quidquid fecerit Filius, nihil dignum collatis beneficijs fecit: Ergò ſemper debet.* & poſt pauca: *Honor quoque parentibus, quemadmodùm Dijs exhibendus eſt.* Ex quo ſequens Ratio pro immaculatâ Conceptione erui poteſt: Juxta Ariſtot. Filij tenentur Parentibus ſemper ea conferre, quæ poſſunt, ſimulque eos proſequi Divino propemodùm honore. Atqui Chriſtus fuit perfectiorî modo Filius MARIÆ, quàm alij; quia totum eſſe accepit à Matre, ſine Patre. Ergò magìs, quàm omnes alij, tenetur eam colere, honore quasì Divino, eique totum id conferre, quod poteſt. Atqui aliquem præſervare à peccato, eumque conſervare in gratiâ ſanctificante, eſt Divinum quasì honorem conferre; quia gratia, juxta Theologos, eſt ipſa participatio naturæ Divinæ: ſimúlque eam potuit præſervare. Ergò ſi eam non præſervâſſet à peccato originalì, nec eam coluiſſet ſemper honore quasì Divino, nec totum contuliſſet, quod conferre potuiſſet.


## §. 4. *Hiſtoria.*

DeIparæ pVrItas, B. OrIngæ ChrIſtIanæ, à ChrIſto ManIfeſtata. 585.

Beata Oringa Chriſtiana, Virgo in Cœlos animo, & mente ſæpiùs elata, videre aliquando meruit Chriſtum, eâ luce conſpicuum, cui comparata vel ipſa Solis lux obſcura videbatur: vidit & Beatiſſimam DEI Genitricem, ad Filij latus aſſidentem, ſupparî lumine coruſcam, & albâ veſte, eâque pretioſiſſimâ exornatam. Huic prætereà auguſtiſſimæ Cœli, terrarumque Reginæ ſuaviſſimè accinebant Cœleſtes genij, & omnis beatarum animarum corona: cui immixta Beata Oringa, viſa ſibi eſt, Virginem ſupplex revereri, quod dum facit, ſic eam Chriſtus alloquitur: *Miraris haud dubiè, Chriſtiana! dum contemplaris, qui plauſus dentur, quæ accinantur laudum cantica? verùm mirari mox deſines, ubi ex me audieris, celebrari hodie Feſtiviſſimam Solennitatem, immaculatæ Conceptionis illius, quæ deinde me concepit, ac genuit, illibatâ Virginitate. Illius autem immaculatæ Conceptionis index tibi ſit veſtis hæc candidiſſima, quâ nitentem conſpicis Matrem meam.* Hæc ad B. Oringam Chriſtus, in illo mentis exceſſu. *Bollandus in ejus vitâ, 10. Jan.*

## §. 5. *Symbolum.*

586. InsIgnI HoroLogIo SoLarI,
DefICIens VMbra.




Horam noſſe cupis, minimum ſeu noſſe diei
Momentum? noſces: ſi tamen umbra patet.
Punctum noſſe cupis conceptæ in labe MARIÆ?
Niteris incaſſum: deficit umbra tibi.

*Et non eſt umbra mortis.* Job. c. 34. v. 21.

## §. 6. *Antiquitas.*

pVer parVVs, à fVneſto VnDa-
587. rVM perICVLo, sVpernâ
VIrtVte præſerVatVs.

Adeò terribile aquarum diluvium, nocte quâdam, Feſtum omnium Sanctorum antecedente, in Flandriâ accidiſſe, referunt Hiſtorici, ut Oceano præter ſolitum intumeſcente, ac littoris margines, in nonnullis locis, mirum in modum excedente, horribilis, nec unquàm hactenùs, ſive in illâ Provinciâ, ſive in alijs circumjacentibus Regionibus viſa inundatio ſit ſubſecuta. Aliquæ nimirùm Zelandiæ Inſulæ omninò contectæ, Holandia inſuper, ac Friſia inde vix non ſubmerſa fuit. ſtrages præthereà facultatum perditarum adeò ingens extitit, ac exceſſiva, ut ſatìs illa explicari verbis non poſſit, Poſſeſſionibus, Villis, Palatijs, Terris, ac Civitatibus integris, liquido illi elemento vix non innatantibus. Credere quis non immeritò potuiſſet, cataractas cœli de novo apertas, prætheritaque Noëmi ſæcula redijſſe. Enimverò rem hìc percipite, ſummè admirandam! In colliculo enim quodam, Schlech nuncupato, paullò poſt repertus fuiſſe fertur tenellus infans, ſeu puer parvulus, qui toto durantis diluvij tempore, dulciſſimum ſomnum capiens, dum terra, Cœlum, & elementa, per diluvium armata, terræ illius incolas ad extremum uſque exitium infeſtabant, ac viginti circiter perſonarum millia, in ſolâ Friſiâ, ſuffocabantur, absque ullâ periculoſæ inundationis, aut naufragij moleſtâ cogitatione, Cœlo ſollicitè præſervante, in cunis ibidem ſuaviſſimè requievit. *Famianus ſtrada, lib. 7. fol. 350.*

Si diluvij hujus recenſiti aquæ omnes in lachrymas verterentur, non certè ſufficerent ad deplorandum horrificum illud, ac univerſale peccati originalîs diluvium, quo tot animæ, quot ex Adamo poſteri, miſerè periêre. ſtrages certè facultatum ex hoc diluvio tanta eſt ſubſecuta, ut prima, in quâ creatus fuerat homo innocentia, ac gratia Divina, omnibus terrenis facultatibus longè excellentior, irreparabilî damno fuerit deperdita. Veruntamen unica reperiebatur exempta, ac conſervata animula, non tenelli quidem infantis, faſcibus involuti, ſed MARIÆ ex caſtiſſimis Joachimi, & Annæ ſeminibus conceptæ: quæ in ipſo benedictæ Conceptionis inſtantî, ſuper collem Divinæ protectionis, media inter naufragantis mundi pericula, inventa fuit ſuaviter requieſcens, peccaminoſæ ſortis maculam ſol-vel ideò ignorans, ac orco in perniciem hominis conjurante, tran-

quillo corde obdormiens; quia à Numine, cujus Genitrix deſtinata erat, ſpeciali ſollicitudine præſervata fuit, ne vel minimus læderetur capillus, vel minimum inſtans benedictæ ejus innocentiæ turbaretur.

* * *

§. 7. *Anagramma.*

pVra à Labe, VIaM aD CœLos aperIs. 588.

*Mater, Agna, munda! Tu viam Coeli aperis.*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXXXV.

## §. I. *Scriptura.*

589. pVra DeIpara, CreDens DEO sVo, ILLæſa.

Daniel. c. 6. v. 23. *Nulla læſio inventa eſt in eo; quia credidit DEO ſuo.*

Quantâ injuſtitiâ, urgentibus Regni Perſarum Principibus, ac Satrapis, fideliſſimus DEI ſervus Daniel miſſus fuerit à Dario Rege in lacum leonum: econtrà, quàm gratiosè ab eorum morſibus, protegente Numine, conſervatus, Sacræ paginæ, ſuo loco, fusè deſcribunt: certè ſatìs erit, ipſum audire Danielem, ita de ſe loquentem:
Dan. c. 6. v. 22. *DEUS meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi; quia coram eo juſtitia inventa eſt in me.* & ſanè, cùm de lacu denuò innocens educeretur, *nulla læſio inventa eſt in eo; quia credidit DEO ſuo.* Atque, ne Danielem duntaxat tali modo à DEO ſervatum credamus, de pluribus quoque alijs, ſimili modo, miraculosè à morte præſervatis, diverſis in locis, mentionem Sacræ paginæ faciunt, ubi e. g. de Jonâ Prophetâ, de tribus Juvenibus, in Aulâ Nabuchodonoſoris, &c. ſermo inſtituitur.

Quæ cùm ita ſint, quis ſibi perſuadeat, ſimilem non etiam protectionem Deiparæ obtigiſſe? tunc nimirùm, quando alijs Adami poſteris, ob Parentis ſcelus, in lacum crudeliſſimi leonis, nempe peccati originalis, immiſſis, ac primo conceptionis momento, morſu diriſſimo vulneratis, etiam ipſa, per conceptionem, in hunc lacum immittebatur? Enimverò, ſi Jonas & Daniel, præter naturæ ordinem, à morte fuerunt illæſi, unus in ventre ceti, alter in lacu leonum: an non ſervârit DEUS Matrem illæſam, in utero Annæ, à morte ſpirituali, & à monſtro terribili, originalis noxæ? Magnum hic Auguſtinum audiamus, idem prorsùs, pro tuendo Deiparæ honore, interrogantem! *Jonam*, inquit, *ſervare iu ventre ceti, præter naturalem uſum, voluit incorruptum: MARIAM non ſervavit gratia? ſervatus eſt Daniel ab intemperatiſſimâ fame: non ſervanda eſt Mater, tantis dotata meritis dignitatum?* in quem modum, de tribus etiam illis Juvenibus, diſcurrit: *Non ſolum*, inquit, *DEUS puerorum corpora ſervavit, ſed etiam veſtimenta. cur abnuat in Matre, quod elegit in veſte aliena?* Dicendum ergo de MARIA idem eſt, quod de Daniele, nimirùm: *Nulla læſio inventa eſt in eâ; quia credidit DEO ſuo.* Ex quo patet MARIAM inter, & Evam, notabile diſcrimen; dum enim hæc ſerpentis ſibilo citò *credit*, non obturans aures, facilis in paradiſo Orat. de Aſſumpt. V. tom. 9.

diſo fœmina : dum econtrà infida DEO, mortem ſub Arbore non *credit:* dum Numini renuit fidem, quam prodigit dæmoni, in utroque nequam; quia nimìs fiſa, & nimìs parcè : illa tamen, nempe MARIA, dum ſerpenti non *credit*, Deoque ſervatori, omnî momento, ſervat fidem, à ſerpente non læditur, non mordetur, non intoxicatur. Hæc MARIÆ à morſu ſerpentis antiqui myſterioſa præſervatio clarè videtur adumbrata, in mirabilî illo eventu, quem gentium Doctori Paulo contigiſſe, Acta
c. 28. Apoſtolorum perhibent; cùm enim ille, captivus aliquandò Romam abduceretur, dirum in itinere naufragium paſſus, difficillimè evaſit, atque ad Inſulam Malteſem cum ſocijs appulit; hìc, cùm toti madidi, inſuper præ frigore, & fame, vix non mortui cernerentur, à barbaris illis benignè accipiebantur. cùm ergo Paulus ligna fortè igni admoveret: vipera venenoſa, inter ligna illa abſcondita, calorem ferventiùs perſentiſcens, ita manum Apoſtoli apprehendit, ut dentibus eidem fortiter infixis, pendula remanſerit. quid ad hæc Barbari ſpectatores? Dicebant intrà ſe : Hic homo magnus certè debet eſſe peccator, quia vix liber à maris periculo, venenoſo iterùm animali necandus offertur. Veruntamen Apoſtolus, *credens DEO ſuo*, ſine omnî doloris ſenſu perſiſtens, ſerpentem igni injecit, vivumque concremavit. Credebant interim omnes, Paulum veneno correptum, quantocyùs moriturum : ſed cùm viderent incolumem, ac *nulla læſio inveniretur in eo*, mox mutatâ opinione, quem priùs maximum peccatorem dixerant, nunc DEUM debere eſſe, omnes exclamabant. Idem prorsùs in puriſſimâ Deiparæ Conceptione accidiſſe videtur : Appropinquavit ſerpens, ad infigendum ei originalem morſum, in inſtantî, quando anima infuſa eſt corpori, omnesque illi, qui de ejus conceptione audierant, dicebant : eſſe aliorum inſtar hominum, infectam, & peccatricem : adhærere illi lepram Adami, &c. At Beatiſſima Virgo, *credens DEO ſuo*, ſerpentem, contrito capite, ad ignem tartareum projecit. Expectabant nihilominùs aliqui, illam veneno inflandam; nec tamen ita res ſe habuit; quia per totam vitam ſuam, *nulla læſio*, nulla culpa, nec mortalis, nec venialis, in eâ inveniri poterat. Hinc non defuêre aliqui, qui MARIAM etiam (*teſte S. Epiphanio*) ignoranter credebant, fuiſſe DEUM. nec mirum; cùm & ipſe S. Dionyſius Areopagita confeſſus fuerit, ſe Deam illam crediturum fuiſſe, niſi fides expreſsè contrarium perſuaſiſſet. Quamvìs ergo MARIAM eſſe DEUM, dicendum minimè ſit ; tamen omnes aliæ excellentiæ eidem ſunt attribuendæ, ipſa etiam impeccabilitas, quæ licèt ſoli DEO ſit propria, per naturam : nihilominùs per gratiam communicari non implicat puræ creaturæ, prout actu MARIÆ eſt communicata, in quâ hoc ipſo *nulla læſio inventa eſt*, quia plùs quàm Daniel, plùs quàm Jonas, plùs quàm 3. pueri, plùs quàm Paulus, ac omnes alij, *credidit DEO ſuo.*

## *§. 2. Authoritas.*

S. RIChArDVs â S. LaVrentIo, à Labe DefenDens. 590.

1. *In nullo alio invenit ſibi Thronum mundum; quia de ipsâ ſolâ dici poteſt : Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in Te.* De Laud. Virg. l. 10.
2. *MARIA habuit comas virtutum, quibus Chriſtum, caput ſuum, exornavit, totum attribuens gratiæ ejus, &c. & quia ſine ſarcinâ peccatorum fuit, & ſine humore alicujus concupiſcentiæ carnalis, & ſine amore terrenitatis.* De Laud. Virg. l. 12.

### §. 3. *Ratio.*

591. PensIo anneCtI non ſoLet beneficIIs, FILIo PrInCIpIs ConCeſsIs: Ergò neC MARIÆ.

DE Jure beneficia concedi non ſolent, niſi intuitu officij, obſequij, vel alicujus penſionis: ſi tamen Filijs Principum conferantur, hoc locum habere non videtur; cùm id ex ipſis Chriſti verbis colligatur, ubi ait, Matth. c. 17. v. 24. *Quid tibi videtur Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel cenſum? à filijs ſuis, an ab alienis?* nam cùm ille reſpondiſſet: *ab alienis. Dixit illi JESUS: Ergo liberi ſunt Filij, &c.* Hinc eſt, quòd licèt videamus, DEUM multa multis contuliſſe beneficia; tamen ea nunquàm contulerit, niſi intuitu alicujus penſionis. ſic Racheli contulit pulchritudinem, ſed cum penſione ſterilitatis: Liæ fæcunditatem, ſed non ſine onere deformitatis: mulieribus, ut concipiant, & pariant, ſed non ſine læſione virginitatis, & magnis doloribus: multos in gratiâ confirmavit, ſed cum debito, ut poſſint cadere in peccata venialia, ex fragilitate humanâ: eſſe dedit omnibus hominibus, ex Adamo procedentibus (quod reverà magnum beneficium eſt) ſed non ſine penſione, quòd nempe obnoxij ſint peccato originalî. cujus rei alia ratio eſſe non poteſt, quàm, quòd homines, tanquàm ex Adamo peccatore progeniti, filij Principis non ſint. Ergò, cùm è contrario, Beata Virgo ſit Filia Principis, juxta illud, Cant. c. 7. v. 1. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, Filia Principis!* hoc ipſo omnia beneficia, & Cœleſtia chariſmata accipit, ſine intuitu penſionis, vel oneris. ſic enim accepit pulchritudinem ſine ſterilitate, fœcunditatem ſine deformitate, maternitatem ſine læſione virginitatis, parere ſine dolore, confirmari in gratiâ, ſine annexo culpæ venialis, ac per conſequens, eſſe etiam habuit ex Adamo, ſine annexâ penſione culpæ originalis.

### §. 4. *Hiſtoria.*

IMago ILLIbatæ DeIparæ, ILLæſa In Igne ſerVata. 592.

INter alia prodigia, quibus Immaculatam Beatiſſimæ Genitricis ſuæ Conceptionem Mundo manifeſtare Omnipotens voluit, ſilentio non prætereundum, quod in Hiſpaniâ contigiſſe, Authores Hiſtorici referunt. Cùm enim puer quidam, Imaginem ejuſdem illibatæ Conceptionis, typis lenibus excuſam, & in chartâ ſubtilî expreſſam, manibus in glomum complicaret, ac in ardentem fornacem (neſcio, an ex puerilî nequitiâ, an verò excuſabilî quadam incuriâ?) proijceret, Imago mox in altum ſeſe ſublevans, ac integrè explicans, in flammis tamdiù hæſit inconſumpta, donec facto populi concurſu, ac obſtupeſcentibus omnibus, ipſe tandem Reverendiſſimus loci Epiſcopus ad ſpectaculum, & miraculum fuerit evocatus, qui cùm illæſam honorificè recepiſſet, pauculis duntaxat locis rubeſcentem obſervavit: ut nimirùm ad oculum conſtaret, ex igne fuiſſe productam, nec flammam tamen illi vel in minimo nocuiſſe. *Henricus Albi, in defenſ. Concept. Immac. c. 8. Serm. 6.* qui ſe proprijs vidiſſe oculis ait transmiſſum ex Hiſpaniâ Authenticum, Ordinarij ſubſcriptione, & ſigillo jugiter munitum. *Et Raynaudus Tom. 8. pag. 322.*

## §. 5. *Symbolum.*

593. GratIa præſerVans, Charæ DeIparæ VMbeLLa.




Si cupis à pluvijs ſervari, à turbine, ab æſtu,
Umbellam teneas : protegit iſta ſatis
Conceptam ſed quid ſervat ſine labe MARIAM?
Gratia præveniens : protegit iſta ſatis.

*Dediſti mihi protectionem ſalutis tuæ.* Pſ.17. v.36.

## §. 6. *Antiquitas.*

594. ObeLIsCo, à RaMIſe ereCto, IgnIs, aLIa CVnCta InCInerans, non noCet.

CElebriores inter columnas, ab Ægyptijs erectas, facilè primum locum obtinet illa, quam Rex Ramiſes, maximâ Solennitate, ac ſumptibus verè Regijs, erigi curavit. Refert enim Plinius *l. 36. c. 9.* ducenties mille artifices immenſo huic operi perficiendo inſudâſſe. Hæc columna, cùm ad ſummam perfectionem elaborata, erigi jamjam deberet, non modica Regem ſollicitudo tenuit, ne machinæ omnes, funes, imò ipſi quoque Architecti, tantæ moli in altum extollendæ impares eſſent: Eapropter ordinavit, ut unicus, ſibíque chariſſimus Filius, huic marmori alligaretur : quatenùs dicti Architecti, ſaluti Regiæ prolis intenti, tantò majorî ſtudio allaborarent, ne pretioſæ huic columnæ læſio inferretur, ſicque duplicatâ diligentiâ omninò ſecuram, ac ſollicitè conſervatam fundamento imponerent. Quod & factum; nam revocando identidem in mentem pretioſam Regij ſucceſſoris juventutem, non ſine immenſo labore, integram molem prorsùs illæſam erexére, ac pro rei memoriâ, eam impoſterùm non aliter, quàm *columnam Filij* dixêre. Elapſo deinde certo annorum ſpatio, Cambyſes, Rex Perſarum, cum ingenti armatorum exercitu, ad devaſtandam hanc Civitatem progreſſus, immanî prorsùs crudelitate, flammas ubique ſpargebat: jamque tam ſuperba conflagrabant Palatia, quàm minora ædificia: prophanata corruebant Templa, perque omnes ferè plateas indomitum ignîs elementum, horrendum in modum diſcurrebat, adeò, ut & ipſa marmora hinc inde in fruſta diſciſſa, horribilem ediderint fragorem. Imminebat interim dirum hoc incendium, dictæ etiam pretioſiſſimæ columnæ: cùm ecce! ſuperveniens Cambyſes, atque ad reverentiam tam dignæ molis commotus, juſſit, ut flammæ undequaque prohiberentur; quo factum, ut ignis, cuncta alia per totam Civitatem incinerans, Obeliſco, à Ramiſe erecto, non nocuerit. *Cùm ventum eſſet incendio ad crepidines Obeliſci* ( ſunt ipſiſſima Plinij verba ) *extingui ignem juſſit, molis reverentiâ, qui Urbis nullam habuerat.*

O! quàm verum eſt, ad propoſitum noſtrum, peccatum originale, voraciſſimum eſſe incendium, non uni tantùm Civitati, ſed toti mundo crudeliſſimè injurioſum! *Ignis eſt* (ait Jobus c. 31. v. 12.) *uſque ad perditionem devorans.* Talis ignis, cui extinguendo ipſa Divina bonitas undas ſalutiferas Baptismi providit: talis ignis, qui æqualiter deſtruit tam nobiles, quàm plebeios, pauperes, ac divites, Sanctos, & prophanos; cùm neque

ſit

ſit unus inter omnes, naturalî propagatione ex Adamo deſcendentes, qui remanſerit ab hujus ignis ferociâ præſervatus. attamen, approperante ferociſſimâ, ac voraciſſimâ hâc peccati flammâ, ad crepidines Obeliſci, ad fundamenta fortunatæ illius columnæ, quæ ſuis adhærentem viſceribus, tenere debebat unigenitum æterni Regis Filium, puriſſimæ ſcilicèt animæ, Virginis MARIÆ: mox ex ſingularî privilegio, juſſit ſupremus Monarcha, ut ſopiretur incendium, extingueretur flamma, & ipſa ſola illæſa præſervaretur.

### §. 7. *Anagramma.*

DEVM In haC Carne nVtrI. 595.

*Jam pura es: age! alito Deum incarnatum.*

Verſio litteralis,

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXXXVI.

### §. I. *Scriptura.*

596. VIa ILLIbatæ DeIparæ, ſepta ſpInIs, & MaCerIâ.

Oſeæ c. 2. v. 6. *Sepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceriâ, & ſemitas tuas non inveniet.*

CUm Terræ, ob creati paullò antè Protoparentis delictum, maledicere vellet ille, qui homini potiùs ipſi, primo ſtatim momento, non tantùm maledicere, ſed ad tartara illum, Luciferi inſtar, detrudere potuiſſet, miſericordiâ juſtitiam cohibente, ait: *Maledicta terra! &c.*
Gen. c. 3. v. 18. *ſpinas, & tribulos germinabit tibi.* Porrò, quid per *Spinas* has in pœnam excreſcere permiſſas, intenderit Omnipotens? magnum lubeat audire Au-
L. 1. in Geneſ. contra Manich. c. 13. guſtinum: *Per peccatum hominis* (inquit ille) *terra maledicta eſt, non ut ſpinas ſentiret, quia ſine ſenſu eſt, ſed ut peccati humani crimen ſemper hominibus ante oculos poneret, quo admonerentur, ut aliquando averterentur à peccatis, & ad DEI præcepta converterentur.* ſunt ergo *Spinæ*, figuræ peccatorum, non illorum tantùm, quæ actu hinc inde committimus, ſpineamque etiamnùm coronam Sanctiſſimo Redemptoris capiti ex illis flectimus, ac imprimimus: ſed & illius præſertim peccati, quo dictus noſter Protoparens *viam* noſtram in hunc mundum, ſive conceptionem noſtram, ſpinoſam reddidit, ac incultiſſimam. Attamen MARIÆ ſolius in hunc mundum *via*, id eſt, Conceptio, rectiſſima fuit, ac politiſſima: nihil in eâ *ſpinarum* occrevit, utpote, quæ ſine originario ſente, ſine peccati aculeo, præparata à DEO fuit tota innocua. dicere hæc ſola, ex omnibus, potuit illud Iſaiæ: *Sicut exaltantur Cœli à terrâ, ſic exaltatæ* c. 55. v. 9.
*ſunt viæ meæ, à vijs veſtris.* Enimverò, ſi MARIÆ conſideremus genealogiam, ab Adamo uſque ad Joachimum, & Annam pertingentem, *vias* videbimus varias, compluribus tamen *ſpinis* inſtratas; adeò nimirùm ſtipes (Adamus) totam vitiavit propaginem, adeò Eva ſocia, cum lacte, filijs mortem, omnî *ſpinâ* acerbiorem, propinavit. Ex hac deinde *ſpinâ*, ô! quot aliæ ſubortæ! nempe: natorum primus fratricida fuit, Chamus in patrem nefarius, Sara Angelis incredula, Rebecca partiaria, Rachel idolorum raptrix, Thamaris in-

inceſta, Rahab quæſtuaria, Ruth pagana, Bethſabea adultera, Salomon idololatra, ſceleſtiſſimus Achab, vanus Ezechias, alijs aliæ fuêre *ſpinæ*: & iſto ex ſtipite MARIA deſcendit. Crediſiſſes hìc utique, aliter fieri non poſſe, quàm, ut è tam hirſuto caudice, è ceſpite tam ſpinoſo, imbibat quoque illa *ſpinas*, quibus *via* ejus, ſeu conceptio, inculta reddatur, ac peccaminoſa; ſervavit tamen illam adeò Pater Cœleſtis, *ſpinas*que tam providè ab eâ coercuit, ut absque maculâ, absque omni peccato, absque ullâ puncturâ concepta, *via* ejus extiterit tritiſſima, ac prorsùs illibata. Haud diffiteor: *Septa* quidem fuit *via* ejus (nempe conceptio) *ſpinis*, imò non *ſpinis* tantùm, ſed & *maceriâ*, ut verificata in illâ fuerit prophetia Oſeæ, dicentis: *Sepiam viam tuam ſpinis, & Sepiam eam maceriâ*; veruntamen longè hæ aliæ ab illis fuêre ſpinæ, nempe *ſpinæ*, ac *maceria* Divinæ protectionis, quibus æternus Pater deſtinatam unigeniti Filij ſui Matrem gratiosè circumdedit, & aureâ ſepe Sanctitatis, ab originalî maculâ defendit; hinc illud etiam verificatum, quod dictus Propheta mox ſubjunxit: *& ſemitas tuas non inveniet*: eò quòd diabolus (cujus indefeſſus eſt labor, *ſpinas* hinc inde diſſeminare, quibus pedes offendantur obambulantium, id eſt, quibus animæ mortalium per peccata vulnerentur) acceſſum ad *viam* MARIÆ nullo momento invenerit, de quâ ſolâ dicendum, omnî tempore, illud Pſalmiſtæ: *In viâ peccatorum non ſtetit, & in Cathedrâ peſtilentiæ non ſedit.* Per quam *viam*, uti & *Cathedram peſtilentiæ*, intelligi poteſt originale peccatum, quod quamvìs ad modum generalìs cujusdam peſtilentiæ, totum infecerit genus humanum, beatiſſimam nihilominùs Virginem, longè à communî *viâ* disjunctam, ac jugiter Divinitùs cuſtoditam, nec invenire potuit, multò minùs contaminare. Utinam & *viæ* noſtræ, quibus omnî momento ad æternitatem pergimus, ſalubrî præteritorum ſcelerum noſtrorum conſideratione, jugiter *ſepiantur*, ne ſemitas noſtras peſſimus *ſpinarum* ſeminator ampliùs inveniat; utpote paribus cum MARIA *ſpinis* Divinæ protectionis, fortiſſimè præmunitas!

Pſal. 1. v. 1.

## §. 2. *Authoritas.*

RIChArDI à S. VICtore, pIa De DeIparâ opInIo. 597.

1. *Virgo tenebrarum Principibus terribilis fuit, ut ad eam accedere, eamque tentare non præſumpſerint; deterrebat enim eos flamma charitatis: intendebant orationes, & fervor devotionis: ſtupebant immunem à peccatis.* c. 26. in Cant.
2. *Ita confirmata eſt ex virtute Altiſſimi, obumbrata, & roborata, ut peccatum omninò committere non potuerit, & ſtatim, ex quo templum DEI facta eſt, ita privilegiata eſt, ut nullatenùs aliquâ maculâ deturpari potuerit.* Ibid.
3. *B. Virgo ſpecialis Chriſti ſpecies, quæ ſpeciem ſuam nunquam per aliquod peccatum maculavit: ipſa igitur ſingulariter ſpecies Chriſti, præ omnibus gratioſa, Chriſto ſimillima, non ſolùm ſpeciem Chriſti ipſa habens, ſed etiam in alijs hanc reſtituens.* L. 2. in Cant. c. 39.
4. *Niſi MARIA ab omni vitiorum contagione penitus purgata fuiſſet, DEUM, DEI Filium, generare non poſſet; ut enim Virgo conciperet, Virgo pareret, ſummâ ſanctitate, ſummâ puritate opus habebat.* De Emmanuele l. 2. c. 26.

## §. 3. *Ratio.*

AD qVeM pertInent onera, pertInere ſoLent & LVCra. 598.

TRitum, & vulgatum eſt illud: *Commoda qui ſentis, jungas onus emolumentis.*

& viciſſim: *Ad quem ſpectat onus, & emolumentum ſpectare debet.* L. *ſecundùm naturam.* ff. de Reg. Jur. l. 1. ff. de Inſtit. act: *Sic econtrà* §. 1. inſtit. de leg. Patro. & quo magìs quis ſentit onus, eo etiam majus exinde ſentire debet emolumentum, & lucrum. Atqui B. Virgo, longè ſenſibiliùs cæteris

teris omnibus mortalibus, in animâ ſenſit onus paſſionis Chriſti Filij ſui: *Stabat* enim *Mater doloroſa, juxta crucem lachrymoſa*, ac in eâ verificata fuit Prophetia Simeonis: *Tuam ipſius animam doloris gladius pertranſibit.* Luc. c. 2. v. 35. imò non deſunt Patres, qui aſſerunt, B. Virginem non tantùm dolores Filij ſui, verùm etiam omnium aliorum Sanctorum Martyrum, in animâ pertuliſſe. Ergo ipſa æquitas convincit, quòd longè majus cæteris omnibus lucrum, & emolumentum exinde acceperit. Jam ſi habuit majus emolumentum: Ergò eo ipſo debuit eſſe immaculatè concepta. Subſumpt. Conſ. Prob. Emolumentum primarium paſſionis Chriſti, eſt redemptio à peccato originalî, quæ juxta Authores, tantùm duplex eſt, præſervativa nempè, & liberativa, inter quas prima perfectior, ſecunda verò minùs perfecta: per quam poſteriorem cuncti defactò mortales à peccato originalî liberantur. Sed Beata Virgo, ex prædictis, habuit perfectius emolumentum, ex paſſione Chriſti derivatum. Ergo neceſſariò debuit habere redemptionem præſervativam à peccato originali, ac conſequenter debuit eſſe immaculatè concepta.

## §. 4. *Hiſtoria.*

E DeIparæ ILLIbatæ effIgIe,
599. ſangVIs CopIosè
proManans.

Cùm dira in Catholicos perſecutio, ante centum circiter, ac quinquaginta annos, in Sancta, & Sacra fureret, ac incendijs, rapinis, ſacrilegijs, omnia conculcaret, devaſtaretq;, impius quidam hæreticus, anno Milleſimo, Quingenteſimo, Sexageſimo ſecundo, Lugduni, in Templo Athanacenſi, Ordinis S. P. noſtri Benedicti, dæmoniaco percitus furore, in venerandam quandam immaculatæ Conceptionis imaginem (cujus myſterium paullò ante in Galliâ à fidelibus religioſo cultu honorari cœperat) pleno impetu irruere non dubitavit, ac haſtâ, quam manu geſtabat, ictum ſacrilegum intorquere. Sed ecce! vix vulnus Sacra illa effigies accepit; cùm copioſus promanavit ſanguis, non ſine omnium adſtantium ingentî admiratione. Aderat hos inter prodigioſo ſpectaculo unicus ejus Monaſterij Sacerdos, Ordinis Sacri profeſſus, Sacræque ſupellectilis cuſtos, qui idipſum, quod contigerat, miraculum Priori ſuo, reliquis fugâ elapſis, etiamnùm ſuperſtiti, pluribusque alijs fideliſſimè enarravit. Sic nimirùm vox ſanguinis, non ſolùm vindictam clamavit, contra deteſtandos truculenti Iconoclaſtæ auſus, verùm etiam ipſius immaculatæ Conceptionis veritatem, inſignî prodigio, abundè comprobavit. *Raynaud. Tom. 8. p. 326.*

## §. 5. *Symbolum.*

VInea CIrCVMData. 600.




Semper tuta magis circumdata Vinea ſpinis
Uvas ſat tutas non ſine ſepe puto.
Vinea, quæ *Veram* profert puriſſima *Vitem*,
Labe caret: ſepit gratia, ſpina tegit.

*Plantavit vineam, & ſepem circumdedit ei.* Matth. c. 21. v. 33.

### §. 6. *Antiquitas.*

601. AnnICerIDIs , MIrI , & artIfICIosI gIJrI.

FAmoſum ſuæ profeſſionis ſpecimen Platoni exhibuit Anniceris, auriga celebratiſſimus ; cùm enim, die quâdam, Victores illi omnes, qui in ludis Olympicis palmam aliquando currendo retulerant, ex universâ Græciâ in unum conveniſſent, adfuit & ille, glorioſum omnibus exhibiturus ſpectaculum; Direxit nimirùm equos ſuos, & currum, velociſſimo curſu in gyrum, & confecto primâ vice, mediantibus rotis, perfectiſſimo circulo, illud ipſum iter viginti alijs vicibus repetijt, adeò intentè currûs ſui greſſum, ac arenæ ſemitas obſervans, ut nè digitum quidem latum unquam diſcederet ab orbitis, ſed ſemper in eodem ſpatio punctualiſſimè permaneret. Vidit quidem Plato hanc Anniceridis exactiſſimam circumgyrationem, majorî tamen cum patientiâ, quàm oblectatione: qui tandem modeſtè ſubridens, artificioſum pronuntiavit hominem, qui ſciret, viginti curſitationibus non plus itineris conficere, quàm unicâ confeciſſet, ac proinde & tempus, & novendecim curſus, inutiliter ad vanam oſtentationem prodegiſſet. *Ælianus. lib. 2. c. 26. vet. Hiſt.* Longè mirabiliorem, ac nullis antehàc ſæculis auditum gyrum MARIA exhibuit; ſic enim de ſeipsâ teſtatur, Eccli. c. 24. v. 8. *Gyrum Cœli circuivi ſola.* non quomodò in terris peccatores currere conſueverunt, de quibus Pſalmiſta, Pſ. 11. v. 9. ait: *In circuitu impij ambulant*, ſed ſine omnî peccato, etiam originalî, ita ut nè unicum quidem punctum, nè inſtans quidem Conceptionis primum, ab orbitâ innocentiæ divelleretur, ſed ſemper in eâdem gratiæ ſemitâ, à principio, uſque ad finem, feliciſſimè permaneret. Quod proſpiciens non titularis ille Divinus Plato, ſed ipſamet Divina Majeſtas, tantam oſtendit in MARIA complacentiam, ut, quæ Filium ejus unigenitum, curru Virginei uteri, mundo inveheret, dignam judicârit, & actu elegerit.

### §. 7. *Anagramma.*

DEI fVtVra Mater, sIne peCCato. 602.

*Natum DEI paries: una ergo immaculata.*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXXXVII.

### §. 1. *Scriptura.*

603. VIrgo DeIpara , Mons sVper CoLLes.

Michææ c. 4. v. 1. *Erit mons domûs DOMINI præparatus, in vertice montium, & ſublimis ſuper colles.*

COnſiderans præclaras has, non Michææ tantùm, ſed & Iſaiæ voces, magnus noſter Gregorius, inſigne eruit de MARIA, ſine labe conceptâ, vaticinium: *Poteſt* inquit, *hujus Montis nomine, Beatiſſima ſemper Virgo MARIA, DEI Genitrix deſignari: Mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem, electionis ſuæ dignitate tranſcendit. An non Mons ſublimis MARIA? quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem, ſupra omnes Angelorum Choros, uſque ad ſolium Divinitatis erexit?*

c. 2. v. 2.

in l. 1. Reg. c. 1.

*xit?* & poſt pauca: *Mons quippe in vertice montium fuit; quia altitudo MARIÆ ſupra omnes Sanctos effulſit.* Atque, ut MARIÆ, *Montis* noſtri myſtici, ſuper omnes *colles*, ſive reliquos Sanctos, ſublimitatem clarè perſpiciamus, ſequentia libeat obſervare. Concipiuntur Sancti alij, & naſcuntur in peccato, veluti communis naſcendi lex eſt: concipiuntur alij, at non naſcuntur in peccato, quales fuêre Hieremias, & Baptiſta: alij nec concipiuntur, nec naſcuntur in peccato, illius tamen contrahendi habent debitum, & hæc fuit Virgo beatiſſima, quæ, ceu vera Adami filia, fuerat utique obligata, ad tolerandam patris prævaricatoris ærumnam, nec tamen incurrit illam, nec contraxit unquàm; quippe modo ſingularî, ac beneficio prorsùs inaudito, libera, immunis, intacta, non nata ſolùm, ſed & concepta, indeque redempta unicè. Ita Sanctorum altitudo, aut in maternis viſceribus, *Sanctificationis* eſt, aut in vitâ, *juſtificationis*, MARIÆ *præſervationis*. Altitudines magnæ, & eximiæ omnes! alia tamen celſior aliâ. *Colles* ergo ſublimes ſunt Sancti, in vitâ juſtificati: ſublimiores ante ortum Sanctificati: ſublimiſſima (in gradu ſuperlativo) Virgo, à capite conceptûs ſui præmunita. hinc pulchra in hanc rem extat D. Bernardini ſententia: *Mons domûs Domini elevabitur ſuper omnes colles; quia Virginis altitudo ſublimiſſima eſt, ſuper ſummos, latiſſima ſuper cunctos, & firmiſſima, & inconcuſſa, ut moveri non poſſit.* cui adſtipulatur Damaſcenus: *Virgo*, inquit, *Mons eſt ille, qui collem omnem, ac montem, id eſt, Angelorum, & hominum ſublimitatem exuperat.* Verè *Mons*, cujus fundamenta, & generationis, ortûsque initia, fuêre ſublimes illi Patriarcharum, Prophetarum, Regum, aliorumque Virorum illuſtrium *colles*, in quorum perfectionibus, ac meritis, DEI Mater vitæ ſuæ baſes, ac fundamenta collocavit. *Mons* altus, ob Divinam electionem: *Mons pinguis*, ob gratiarum affluentiam: *Mons coagulatus*, ob virtutum congeriem: *Mons* denique, *in quo beneplacitum eſt DEO, habitare in eo*, idque non tribus duntaxat modis illis generalibus, per eſſentiam, præſentiam, ac potentiam: non per gratiam juſtificantem tantummodò, ſed in quo beneplacet DEO habitare, ut naturali filio; qui factus ſit in ejus utero DEUS-homo, unitis ſibi puriſſimis ejus ſanguinibus, & Sanctiſſimâ carne illius. Quis ergo non dicat, cum Ezechiele: *Iſta eſt lex domûs, in ſummitate montis: omnis finis ejus, in circuitu, Sanctum Sanctorum eſt.* id eſt (ut Barradius explicat) *Hæc eſt lex Virginis Deiparæ, quæ domus DEI eſt, in celſiſſimo Sanctitatis monte exædificata: omnis finis ejus, in circuitu: Conceptio, Nativitas, vita, cogitationes, verba, opera omnia, Sancta Sanctorum, hoc eſt, Sanctiſſima, ab omniq; peccato, ſive originalî, ſive actualî remotiſſima ſunt.* Meritò igitur hujus celſiſſimi *Montis* gloriam deſcripturus Iſaias, ait: *Gloria Libani data eſt ei.* Sed quænam obſecro illa gloria? Montis quidem Sinai gloria eſt, data fuiſſe ibi Moyſi Divina præcepta, ac corpus D. Catharinæ ibidem miraculosè ſepultum: gloria Montis Horeb eſt, DEUM ibidem cum Abrahamo fuiſſe locutum: gloria Montis Thabor, Chriſtum ibi in præſentiâ Moyſis, ac Eliæ, gloriosè transfiguratum: gloria Montis Sion, ibidem in Feſto Pentecoſtes, Spiritum ſanctum ſuper Apoſtolos venientem, ſuis eos donis replêſſe. quænam ergo erit gloria illa Montis Libani, quæ data MARIÆ dicitur? Scio quidem, in hoc Monte, fortiſſimas, atque altiſſimas in magno numero excreſcere Cedros: ſcribente idcircò ad Regem Sidoniorum Salomone: *Præcipuè, ut præſcindant mihi ſervi tui Cedros de libano; quia cogito ædificare Templum DOMINI*, ut MARIA meritò gloriari poſſet, prout actu gloriatur: *Quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano.* veruntamen licèt glorioſam hoc reddat MARIAM; necdum tamen probat immaculatam. Hæc igitur prærogativa Montis Libani

Marginal notes: Tom. 3. Serm. 11. c. 2. — Orat. 1. de Nativ. — Pſal. 67. v. 17. — c. 43. v. 12. — L. 6. concord. c. 3. — c. 35. v. 2. — L. 3. Reg. c. 5. v. 6. — Eccli. c. 24. v. 17.

ni data eſt MARIÆ, quod ad illum ſerpentes acceſſum non habeant, ob odorem Cedrorum, adeò, ut appropinquare illi nullo modo poſſint, atteſtante id Minorum Doctore maximo, Bonaventurâ, ijs verbis: *Ideò frequenter B. Virgo Cedris Libani comparatur; quia ſerpentes fugant, & occidunt; ita & ipſa ſtatim in Conceptione, contrivit caput Draconis, & Serpentis.* O prærogativam igitur nemini alteri, quàm MARIÆ communicatam! O *Montem* Virgineum, *in vertice Montium* collocatum, ſuper omnes reliquos Sanctos, tanquam totidem *colles*, ſublimem! Quemcunque ergo tenet deſiderium *collium* æternorum, ad Marianum hunc *Montem*, per devotum immaculatæ Conceptionis cultum, frequenter aſcendat, ut per hunc (nempe MARIAM) ad *Montem*, *qui Chriſtus eſt*, ſecurè perveniat.

Serm. 4. de Concept.

## §. 2. *Authoritas.*

604. S. RVpertVs TVItIensIs, pVræ VIrgInIs, eXtra peCCatI LabeM ConCeptæ, eXCeLLens faVtor, & propVgnator.

1. *Uterus tuus nulli viro, nulli carnali commercio acceſſibilis, & mens tua nulli Spirituali nequitiæ, unquàm fuit penetrabilis.* Lib. 4. in Cant.
2. *Idcircò ancillæ Evæ calcaneum ſerpens momordit, an non quia diſcalceatis pedibus? Tu autem Filia, Principis! calceata caput ſerpentis contriviſti.* L. 6. in Cant.
3. *O dilecta ſingularis! libera es, ab omnî jugo peccati.* Ibid.
4. *Signatè de terrâ viventium dicit, non verò morientium: ut intelligatur, de eâ Virgine naſciturus Chriſtus, quæ mortua, illâ infamîs peccati morte, non fuerit, quâ omnes in Adam moriuntur.* Super illud Iſaiæ. c. 53. v. 8. *Abſciſſus eſt de terrâ viventium, &c.* Lib. 2. in Iſaiam.

## §. 3. *Ratio.*

VILes nataLes MatrIs, prInCIpI oDIosI. 605.

NIl magìs erubeſcunt, odioque habent Principes, imò & antiquarum Familiarum Nobiles, quàm habere matres, vel etiam ſponſas, natalium ignobilium, vel infamium, ratione publici cujusdam criminis; per hos enim haud levem non ſibi tantùm, ſed & antiquæ ſuæ familiæ, notam ignominiæ inurunt, damnumque grave quandoque inferunt; cùm ratione horum non parvis priventur Juribus, quæ aliàs illis competerent, ad acquirendas dignitates, ac proventus, tum Eccleſiaſticos, tum civiles. Ergo multò magìs æterni Patris Filius erubeſcere debuiſſet, ſi Matrem ſibi elegiſſet ignobilem, & per generale ſcelus infamem. Atqui talis haud dubiè fuiſſet Beatiſſima Virgo, ſi unquàm peccatum originale contraxiſſet; nil vilius enim, & ignobilius eſt, ante conſpectum Divinæ Majeſtatis, quàm peccator, & ejus iniquitas, ſimúlque fuiſſet infamis; quia evaſiſſet mancipium diaboli, & rebellis DEO. Ergo &c.

## §. 4. *Hiſtoria.*

SanItas IoannIs à VIterbIo, per DeIparæ ConCeptIoneM. 606.

COncionator in Civitate quâdam Italiæ exiſtens, Magiſter Joannes à Viterbio, cùm puriſſimam DEI Genitricis conceptionem ſæpiùs impugnaſſet, tandem ad mortem uſque infirmatus, nullâ ulterioris vitæ reſiduâ ſpe, utiliter mente revolvit miraculum illud, nuper à nobis, in Hiſtoriâ Conceptûs 77.mi, de Alexandro Alenſi

ſi recenſitum. Eum proinde piè imitaturus, tales ad MARIAM preces effudit: *O Virgo Sacratiſſima! ſi verum eſt, quòd ſine peccati maculâ concepta fuiſti: digneris, obſecro! ſanitatem mihi tuis maternis precibus à Filio impetrare, idque in ſignum illibatæ puritatis tuæ! quod ſi feceris, voveo, ac promitto, toto reliquæ vitæ tempore, Sanctam hanc celebrare Feſtivitatem, ac fervidè concionari, pro tuâ puriſſimâ conceptione, retractando libentiſſimè, quidquid hactenùs in contrarium propoſui.* Vix votum Joannes fecerat; cùm ſanitati integrè reſtitutus, ob tam repentinam ab incurabilî infirmitate reconvaleſcentiam, omnes adſtantes, medicos præſertim, in maximam traxit admirationem. Hinc non expectans ordinarium proximæ concionis tempus, confeſtim populum, per campanæ ſonitum, convocari jubet, publiceque, quod ſibi obvenerat, prodigioſum beneficium, fideliter enarrans, pulcherrimum de immaculatâ Conceptione ſermonem proponit, validiſſimis MARIAM argumentis præſervatam oſtendendo. præclarum inſuper Tractatum, de eâdem materiâ, in jugem recepti beneficij gratitudinem edidit. verbo: eò majori reverentiâ, ac devotione, myſterium hoc venerari ſtatuit, quantò illud ardentiùs antehàc ſtuduerat impugnare: ut verificatum dixiſſes illud Iſaiæ, cap. 60. v. 14. *Venient ad te, qui detrahebant tibi, & adorabunt veſtigia pedum tuorum.* Raynaud. *Tom. 8. in Tract. de pietat. Lugdun. fol. 293.*

## §. 5. *Symbolum.*

MARIA VIrgo, ILLIſa ILLIDIt. 607.




Quid tanto illidunt ſcopulum fragore procellæ,
Quas tamen illiſas fortior ipſe fugat?
Illiſæ hic ſcopulus præclara figura MARIÆ eſt,
Illæſæ à maculâ: fortior ipſa fuit.

*Non commovebitur in æternum.* Pſal. 124. v. 1.

## §. 6. *Antiquitas.*

LeX MortIs, non Lata De pLatone phILoſopho. 608.

PRudentiſſimum profectò reſponſum Anniceris ille Cyreniacus dedit civibus Æginæ; cùm enim illi Platonem, ſapientiſſimum illius ætatis Philoſophum, morti adjudicare vellent, eam præcisè ob cauſam, quòd Athenis Æginam profectus eſſet; cùm nimirùm inter utramque Civitatem (neſcio, quas ob diſcordias) inviolabilî lege ſancitum fuerit, ut ſiquis ex hac ad illam, vel ex illâ in hanc Civitatem, pedem inferre præſumeret, morte quantocyùs ab incolis afficeretur; reſpondit Anniceris: Legem illam de hominibus quidem latam eſſe, non tamen de Philoſophis, utpote, qui mediæ cujus-

juſdam naturæ, velut Heroes quidam, DEUM inter, & homines, haberentur: Quâ ratione Æginenſes facilè perſuaſi, excellentem hunc Philoſophum, qui exinde *Divinus* audijt, lege communî non obſtante, liberum, ac illæſum dimiſerunt. *Laertius Lib. 3. & alij.*

Non diffiteor, MARIAM Adæ filiam eſſe, perque ejus propaginem, in hunc mundum adveniſſe: nego tamen, eam æternæ mortis imperio, vel ad momentum, ſubjacere debuiſſe; Lex enim de incurrendo primi hominis peccato, ſive de conceptione, in maculâ originalî, in illos tantùm Adami filios lata eſt, qui ſuprà hominem nihil haberent, non verò in DEI Matrem, quæ ob hanc præcellentiam, meritò ſuprà homines evecta eſt, ad mediam quandam conditionem, velut Heroina inter DEUM, & homines, eamque ob cauſam cultu etiam Hyperduliæ, Latriam inter, ac Duliam medio, à fidelibus honoratur.

### §. 7. *Anagramma.*

DeIpara pLanè pVra à Labe, aC Mater IesV. 609.

*Virgo planè munda, ac mater amati JESU.*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXXXVIII.

### §. I. *Scriptura.*

610. ALtare VIoLatVM, InDeCens.

1. Machab. c. 4. v. 44. & 45. *Cogitavit de Altari holocauſtorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret? & incidit illis conſilium bonum, ut deſtruerent illud, ne fortè illis eſſet in opprobrium; quia contaminaverunt illud gentes: & demoliti ſunt illud.*

INter alia præclariſſima celeberrimi Machabæorum Anteſignani, Judæ, facinora, inſignem præ reliquis meretur commendationem ſingularis de Templo DOMINI, ejusdemque Altarî ſollicitudo; cùm enim victoriâ contra Lyſiam feliciter jam eſſet potitus, primum hoc ipſi erat cum fratribus ſuis negotium:
c. 4. v. 36. *Ecce!* inquit, *contriti ſunt inimici noſtri: aſcendamus nunc mundare Sancta, & renovare!* Prætereà ſic ſacer textus hiſtoriam proſequitur: *Et elegit Sacerdotes ſine maculâ, voluntatem habentes in lege DEI: & mundaverunt Sancta, & tu-* v. 42. & ſeq.
*lerunt lapides contaminationis, in locum immundum. Et cogitavit de Altarî holocauſtorum, quod profanatum erat, quid de eo faceret? & incidit illis conſilium bonum, ut deſtruerent illud, ne fortè illis eſſet in opprobrium; quia contaminaverunt illud gentes: & demoliti ſunt illud.* Atque ut facti ſpecies paucis tota habeatur, ſequentia ſubjungit: *Et accepe-*
*runt lapides integros, ſecundùm legem; &* v. 47.
*ædificaverunt Altare novum, ſecundùm illud, quod priùs fuit, &c.* Admiranda profectò præſtantiſſimi Belli-Ducis Sacrorum cura, noſtris utinam temporibus, pariter à bellatoribus imitanda! Liceat, in hoc caſu, duo à Religioſiſſimo hoc Machabæo laudabiliter geſta attentiùs conſiderare. Primò, Altare antiquum redegit in pulverem. Secundò, aliud Altare conſtruxit. Primum quod attinet, Al-

Altare antiquum ideò demolitus eſt; *quia contaminaverunt illud gentes*: indecens haud dubiè judicans, ut DEO vero illud ultrà deſerviret, quod falſis jam antehàc Numinibus fuerat oblatum. aliud ergo Altare extruendum videbatur. Sed mira res! ergóne Altare hoc etiamnùm eſſet indecens, ad exhibendum DEO vero cultum, ſi Sacris priùs mundaretur ritibus, à contaminatione gentium? nonnè talî modo jam eſſet reconciliatum, ut Divino impoſterùm cultui deſervire poſſet? quomodò ergo tunc in opprobrium eſſe poterat Judæ, ac populo illius? quare ex integro demoliendum? Verùm enimverò audire mihi videor reſponſum ſatìs efficax; quia quantumvìs Altare illud mundaretur ritibus, ac cœrimonijs Sacris, non tamen aboleretur, contaminatum aliquandò fuiſſe, & falſis gentium ſuperſtitionibus violatum. meritò igitur aliud Altare novum ſubrogari Judas præcepit, purum, incontaminatum, ſemperque mundum: exiſtimans, Altare, quod DEO deſervire deberet, ad exhibendum illi in eo cultum, mundum eſſe oportere, non à maculâ tantùm præſenti, verùm etiam à contractione omnîs maculæ.

Pulcherrimum profectò Beatiſſimæ Virginis MARIÆ, ſine omnî labe conceptæ argumentum! ſi enim Andreæ Cretenſi fides, haud abſimile *Altare* in MARIA reperitur; ait enim: *MARIA eſt Altare, in quo Agnus Chriſtus, vivum Sacrificium, ſpiritualiter offertur.* Hoc ipſo ergò dicendum erit, nullo eam momento fuiſſe violatam, aut contaminatam primorum parentum peccato; nam indecens eſſet *Altare*, ſi infelicis maculæ contraxiſſet immunditiam; quantumvìs enim celſiſſimis deinceps gratiæ privilegijs ornaretur, verum quidem eſſet, quòd mundaretur à culpâ, non tamen aboleretur, culpam aliquandò contraxiſſe, quod maxima foret indecentia; enimverò ſi contaminatum fuiſſe à gentibus, obſtitit adeò Altari illi holocauſtorum, ut ibidem DEO exhiberetur cultus: potiori jure obſtitiſſet MARIÆ, quæ multò Sacratius *Altare* eſt, ut Filij DEI Mater efficeretur; cùm & ipſi ceſſurum eſſet in opprobrium, ſi matrem haberet, tam turpî maculâ aliquando contaminatam. ut adeò dici oporteat, nunquam illam contraxiſſe, ſed potiùs omnî novitate gratiæ novam, ſine ullâ vetuſtate veteris Adæ, Chriſto Filio fuiſſe præparatam, tanquam *Altare Sanctiſſimum, & animatum*, ut illam jam pridem Methodius *in Hypopant*: nominavit. Quod ſi *Altaria* cordium noſtrorum hucuſque compluribus ſcelerum maculis fuêre prophanata, ac vel ideò indigna, è quibus Numini gratum offeratur Sacrificium, deſtruamus per ſeriam pœnitentiam veterem hominem, perque opera bona novum extruamus *Altare*, ad perpetuum Numinis, ejusdemque immaculatæ Genitricis, immaculatum Sacrificium.

Orat. 2. de Nativ. ad fin.

## §. 2. *Authoritas.*

S. Sabbas, DeIparaM VoLens sIne CVLpâ. 611.

1. *In te, quæ nulli unquam culpæ affinis fuiſti, ſpem omnem meam repono.* Ex Menæis 3. Jan. Ode 3.
2. *In te primi parentis ſubſiſtit lapſus, ultrà pergendi facultate ſublatâ.* 5. Jan. Ode 9.
3. *Nemo ut tu, Domina! inculpatus eſt æquè, nec præter te intaminatus quiſquam, O nævo nulli ſubjecta!* Ibid.
4. *Ex te ſolâ tanquam puriſſimo Lilio, in medio ſpinarum invento, uterum incolens tuum Sponſus ille tuus proceſſit.* 29. Jan. Ode 6.
5. *Tu quidem, O Virgo! ab æterno propter ſplendorem integritatis, & pulchritudinem Virginalem, ac demùm propter chariſmata, ſeu gratiæ dona, quæ ab omni te nævo immunem fecerunt, manifeſtè ſola fuiſti digna tanti partûs honore.* 12. Febr. Ode 1.
6. *Tu, ô macularum ſemper omnium expers!*

*pers! ligno vitæ ſimillima, non alium nobis fructum germinâſti, quàm Chriſtum, qui omnibus ad vitam aperuit aditum.* Ibid. Ode 9.

7. *O Virgo Deipara! de te ſola publicè conſtat, quòd ab æterno munda extiteris.* Die 18. Martij, Ode 6.

8. *O Joachime, afflatu Divino decore! tu quoque Anna Divinitùs clara! vos gemini eſtis lychni, à quibus orta eſt lampas, circa quam nullum umbræ, ſeu peccati veſtigium cernimus. Vos quoque abundanter implevit ipſamet DEI gratia, id eſt, Genitrix DEI.* Die 25. Jul. in Veſp. de obdorm. S. Annæ.

## §. 3. *Ratio.*

612. CorreLatIVa Debent eſſe sIMVL.

Communis Philoſophorum ſententia, cum D. Thomâ, & Ariſtot. eſt: Relativa eſſe ſimul naturâ, & cognitione, hoc eſt, quòd ratio formalis unius ſignificationis non poſſit intelligi ſine alterâ: ut habet idem Doctor Angelicus q. 13. a. 7. ad 6. *Ad cognoſcendum, utrùm relativa ſint ſimul naturâ, vel non? non oportet conſiderare ordinem verum, de quibus dicuntur, ſed ſignificationes ipſorum relativorum; ſi enim claudat in ſuo intellectu aliud, & è converſo, tunc ſunt ſimul naturâ, ſicut duplum, & dimidium, Pater, & Filius.* Ex quo ſic argumentor, pro immaculatâ Conceptione: Ratio Filiationis in Chriſto, & ratio Maternitatis in MARIA, ſunt correlativa, ſeu relativa mutua, non quidem æquiparentiæ, ſed disquiparentiæ: conſequenter ſunt ſimul naturâ, & cognitione. Atqui ratio Filiationis intelligitur ante omne peccatum, ſeu Filius fuit prædeſtinatus ante omne peccatum. Ergo etiam ratio Maternitatis intelligitur ante omne peccatum, ſeu Mater fuit prædeſtinata ante omne peccatum. Min. Prob. Qui eſt decretus, & prædeſtinatus ante omnem creaturam, etiam eſt prædeſtinatus ante peccatum originale. Sed Filius, nempe Chriſtus, fuit decretus, ac prædeſtinatus ante omnem creaturam. Ergo etiam ante peccatum originale. Maj. patet; quia peccatum originale introivit primùm in hunc mundum, per lapſum Adami. Ergo qui decretus eſt ante Adamum, utpotè aliquam creaturam, etiam decretus eſt; ante peccatum originale. Min. verò conſtat ex Apoſtolo, *Coloſſ. 1. v. 15.* ubi Chriſtum appellat *primogenitum omnîs creaturæ*, dans rationem: *Quoniam in ipſo condita ſunt univerſa, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant; & ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ.* Atqui primogenitus non fuit in executione, uti manifeſtum eſt: Ergo fuit in intentione, id eſt, decreto, & prædeſtinatione Divinâ. Ergo à primo ad ultimum, cùm ratio Filiationis in Chriſto, & ratio Maternitatis in MARIA, ſint correlativa, ſicut ratio Filiationis fuit prædeſtinata ante omne peccatum: ita etiam ratio Maternitatis debuit eſſe prædeſtinata ante omne peccatum, ac conſequenter, cùm creaturæ eo modo exiſtant, & producantur in ſeipſis, quomodò ſunt in decreto, & prædeſtinatione Divinâ, producta etiam actu fuit MARIA, absque omnî peccato.

## §. 4. *Hiſtoria.*


SICCa peDIs TIbIa, VIgorI reDDIta. 613.

Eò jamjam Religioſi cujusdam viri, ex Ordine D. Franciſci (F. Thomas de Bohemiâ dicebatur) res devenerant, ut deſiccatâ, neſcio, ex quo infortuno? ac omnî prorsùs vigore deſtitutâ Tibiâ, cum crure, nulla ſpes reſtitutionis, ac ſalutis appareret: jamque ex unanimi Medicorum, ac Chirurgorum conſilio, proximè à reliquo corpore præſcindenda erat, cùm ecce! ad Beatiſſimam Virginem, cui admodùm erat devotus, pro extremo recurrit remedio, inſtantiſſimè ſupplicans: dignaretur ei (ſi Divinæ non obſiſteret voluntati) priſtinam pedis integritatem, ac incolumitatem, à mi-

à miſericordiſſimo Numine impetrare, idque ad laudem puriſſimæ ſuæ, ac prorsùs immaculatæ Conceptionis, in cujus honorem,uni ſolummodò pedi inſiſtens, reliquo corpore, prout poterat, Altari adnixus, Miſſæ celebravit Sacrificium, licèt ſummâ cum difficultate, ac maximo cruciatu. Vix autem idem Sacrificium eâ, quâ cœperat, devotione finijt: cùm ecce! perfectiſſimè reſanatus, ac à diuturnâ illâ, & incurabilî infirmitate (dicam potiùs, doloriferâ carnificinâ) confeſtim liberatus, obſtupeſcentibus omnibus, inambulare cœpit pedibus ſuis incolumis, qui antehàc ſine alterius adjutorio progredi nec ad paſſum valebat, adeò quidem, ut Romam paullò poſt pedeſter profectus fuerit. *Bernardin de Buſti Serm. 7. part. 2. mirac. 12.*

## §. 5. *Symbolum.*

614. MIſſa, DICta In ALtarI
prIVILegIato.




Præ reliquis, Aram facit Indulgentia claram,
Una ubi Miſſa animam dicta beare poteſt.
Virginis aſt Animam, ceu claram Numinis Aram,
Gratia commendat, quæ ſine labe beat.

*Tu meo utere privilegio.* Ruth. c. 4. v. 6.

## §. 6. *Antiquitas.*

TeMpLo IoVIs, ab IrrVentIbVs PersIs DeVaſtato, VnIVersVs eXerCItVs 615.
oppreſsVs.

CAmbyſes, Perſarum Rex, poſtquàm univerſam ſibi Ægyptum, inſuperabilî armorum potentiâ ſubjugâſſet, ac omnia Regionis illius Templa non ſpoliari tantùm, ſed & deſtrui curâſſet, ſpecialiſſimè juſſit, ut ipſum etiam Templum præcipuum, ac magnificentiſſimè extructum, ipſique conſecratum Jovi, absque ullo reſpectu funditùs everteretur. Veruntamen (non obſtante, quòd diruta hæc Templa profanis eſſent Numinibus dicata) mirum audite, quod eidem Regi paullò poſt accidit, ſupplicium. Vix enim cum exercitu ſuo, prædis divite, Africam gloriosè repetiturus, modicum iter perfecerat: cùm ecce! ventus exoritur validiſſimus, ac horrendæ adeò omni ex parte tempeſtates, ut ſublimiſſimi etiam Montes, formidabilî fragore concuſſi, totum exercitum, nemine evadente, operirent, atque eâ ratione, diræ omnes internecioni traderentur. *Juſtin. l. 2. apud Thom. de Trus. p. 2. fol. 135.*

Quòd ſi tantum ijs ſubeundum fuit ſupplicium, qui urgente Cambyſis Regis imperio, præter alia viliora Templa, illud etiam deſtruere ſunt auſi, quod profano cuidam, ac fictoJovis ſimulacro fuerat ſpecialiter dedicatum: quis jam inter Chriſtianos audeat, inſtigante tenebrarum Principe, ac immitî animarum tyranno, ſplendidiſſimum Spiritûs Sancti Templum, ab ipsâ æternâ Sapientiâ, non profano cuidam Jovi, ſed ſibi ipſi magnificentiſſimè extructum, MARIAM nempe, ita impetere, ut dicere non abhorreat, eam aliorum inſtar mortalium, fuiſſe per originale peccatum gratiâ Divinâ, donisque ſupernaturalibus ſpoliatam,

ac turpiter everſam? certè, qui amaro in MARIAM animo, ac pertinacî inhæſione, ſimilibus dicterijs Virgineum hoc Templum invaderet, haud dubiè commeritas dare pœnas ſuo tempore cogeretur: præterquàm, quòd à montibus excelſis, quorum nomine graviſſimos Patres, ac Doctores intelligo, ingentî ſententiarum, ac rationum, pro illibatâ conceptione pugnantium, pondere penitùs obrueretur.

### §. 7. *Anagramma.*

616. SCaLa, ab ADaMI IVgo abſoLVta.

*Scala aurea! Te non premit jugum Adami.*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS LXXXIX.

### §. I. *Scriptura.*

617. Vna Ioanne MaIor, non CaDens, neC sVrgens.

Matth. c. 11. v. 11. *Non ſurrexit, inter natos mulierum, major Joanne Baptiſtâ.*

MAgna olim inter diſcipulos Chriſti exorta eſt controverſia, in eo conſiſtens: *Quis eorum videretur eſſe major?* (Luc. c. 22.) ut enim D. Vincentius Ferrerius exiſtimat: primatum ambiebat Petrus, utpotè ab ipſo Salvatore, caput Eccleſiæ conſtitutus, cui dictum: *Tu es Petrus, &c.* (Matth. c. 16.) Andreas majorem ſe cæteris autumabat, quòd primus Chriſti eſſet diſcipulus, ante Petrum ad Apoſtolatum vocatus: cujus operâ demùm & ipſe Petrus ad Chriſtum fuiſſet adductus. Joannes virginalem allegabat caſtimoniam, ac amorem Chriſti in ſe extraordinarium, utpote qui ſe ſolum, in ultimâ cœnâ, in ſinu recumbere ſit paſſus. Reponebat econtrà Joanni Jacobus major, jus primogenituræ, ætatiſque prærogativam: cedere proinde minorem oportere majori. Thadæus, Simon, & Jacobus minor, præcedentiam urgebant, eò quòd nepotes exiſterent ex primâ ſorore Virginis MARIÆ. Matthæus majorem ſe cæteris rebatur, ob aurum, & argentum pro Chriſto abdicatum; cùm priorum nullus, niſi lacera retia, & hamos exiles reliquiſſet. (S. Vinc. Ferrer. Serm. 1. fer. 3. poſt Dom. Quad.) Philippus major eſſe volebat, eò quòd à Chriſto ipſo diu inquiſitus, tandem inventus, & ad ſequelam ejus ſit invitatus: ad ſuamque inſtantiam, panes fuerint mnltiplicati. Bartholomæus genus allegabat Regium, quo eſſet ortus: decere porrò piſcatores non altum ſapere, ſed retia ſua ſubjicere Purpuræ. Thomas gloriabatur, ſe Legis peritum, & Doctorem: decere proinde, ut rudibus piſcatoribus præiret. Ipſe denique proditor Judas loculos monſtrabat turgidos, ex quibus reliqui omnes alerentur. adeò nimirùm illi contenderant, quis eorum eſſe *major* videretur? Similem prorsùs quæſtionem & ego, in præſentî, moveo, quis nimirùm, non inter Apoſtolos duodecim, ſed inter omnes omninò natos mulierum *major* habendus? Reſolvit quidem quæſtionem hanc ipſum Divinæ veritatis oraculum, dicendo: *Non ſurrexit inter natos mulierum major Joanne Baptiſtâ.* Sed quid? Ergóne Joanes major erit ipſo etiam Chriſto? nunquid enim & hic à muliere natus eſt? Abſit illud: intelli-

telligendus eſt enim loqui de ijs, qui de muliere, ſuſcepto ſemine, non qui de Virgine, ex virtute Spiritûs Sancti, nati ſunt: ita enim explicat magnus Eccleſiæ Doctor Hierony-
in Matth. mus, dum ait: *His igitur præfertur hominibus, qui de mulieribus nati ſunt, & de concubitu viri, & non ei, qui eſt ex Virgine, & Spiritu Sancto.* Sed hoc ipſo novum exoritur dubium: Ergo ſaltem Joannem eſſe Beatiſſimâ Virgine MARIA *majorem*, dicendum erit: eò quòd ambo nati ſint de muliere non Virgine, & virtute humanâ? verùm id nemo aſſerere præſumat; cùm fuerit illa Joanne, & ſimul omnibus Sanctis, merito, & Sanctitate *major*, atteſtante id D. Andreâ Cre-
de Laud. Virg. tenſi: *Excepto DEO, ſola eſt omnibus major.* quomodò ergo ſupradicta increatæ Sapientiæ verba verificari potetunt, quibus falſum ſubeſſe non poteſt?

Videtur autem mihi, hoc ipſo encomio, immaculata potiùs B. Virginis Conceptio deprædicata, quàm Baptiſtæ excellentia celebrata: quid enim ſibi vult terminus: *ſurrexit*, quare non dictum potiùs: *inter natos mulierum non eſt natus, non eſt ortus, non venit in mundum?* cur dicitur: *non ſurrexit major?* ſciendum igitur, quòd *ſurgere* præſupponat *cadere*: neque de terrâ aliquis ſurgit, quin priùs ceciderit; hinc cùm non ſurrexerit *major Joanne Baptiſtâ*, id de MARIA intelligendum erit, quæ ſola, poſt Chriſtum, *Joanne major* extitit, vel ideò non ſurgens, quia nunquam in originale cecidit. Perpendit nimirùm MARIA, quàm nullus pejor ſit morbus, morbo caduco, & nullus magìs caducus, quàm peccatum, quo non humana tantùm, ſed Angelica quoque natura colliſa eſt, lachrymante Prophetâ:
Iſai. c. 14. v. 12. *Quomodò cecidiſti Lucifer, qui manè oriebaris?* cecidit de Cœlo Lucifer: cecidit de Paradiſo Adam: uterque peccato. Sola igitur inter Adami poſteros, *inter natos mulierum*, non ſurrexit MARIA,
c. 19. v. 25. de qua Joannes: *Stabat juxta Crucem JESU, Mater ejus.* ut adeò ſi quæramus: quid in hoc mundo fecerit Virgo? nil ſit aliud reſpondendum, quàm: *ſtetit.* quid in conceptu? ſtetit. quid in ortu? ſtetit. quid in morte Filij? ſtetit. verbo, *ſtabat* una, toto orbe cadente, etiam ipſo magno Joanne Baptiſtâ. quis ergo non videt, *inter natos mulierum*, ipſo etiam magno præcurſore, MARIAM *majorem* eſſe? Celebret modò Chryſoſtomus dignitatem Baptiſtæ, his verbis: *Cùm ad nos adveniſſet Redemptor noſtri generis, venit protinùs ad ſuum amicum Joannem, dum adhuc eſſet in ventre matris: quem cùm ex utero, in uterum aſpexiſſet Joannes, terminos naturæ concutiens, exclamat: Video Dominum, qui naturæ impoſuit terminos*: celebrabo ego potiori jure MARIAM; cùm enim nondùm ad nos adveniſſet Redemptor generis humani, venit tamen protinùs ad illam, tanquam amicam ſuam dilectiſſimam, Matremque futuram, non tantùm, dum ea adhuc eſſet in ventre matris, ſed quamprimùm, per Conceptionem, ventrem matris ſubire datum eſt. Fuerit Baptiſta Joannes Prophetarum maximus, qui, quem cæteri promittebant, ipſe digito monſtraret: fuit tamen illo Prophetis MARIA *major*, quæ eundem & concipere, & mundo parere, & caſto pectori adſtringere, nunquam non eſt auſa. Ille præcurſor eſt Domini, quem iſta ſecum detulit: ille *gratia* vocatur, hæc *plena gratiâ*: ille vox, à DEO miſſa in hunc mundum, hæc vox, ex ore Altiſſimi profecta, *Verbum bonum*, ut Conceptu LVI. vidimus: ille eſt *vox clamantis*, hæc vox amantis: ille loquelam Parenti, hæc Verbum Patri extorſit. ut proinde jure meritò, ſi DEI præſentia Joannem ſanctificavit in utero, hodie digniùs pietas Eccleſiæ (ob majorem, omnî vicinitate, Matris cum Filio conjunctionem) hanc ex utero præſervatam agnoſcat: ſi illum adjuvit, ut *ſurgeret*, veriùs iſtam credat ſuſtinuiſſe, ne *caderet*. verbo, ut verè MARIA à nobis dicatur, *una Joanne major*, nunquam ſurgens; quia nunquam cadens. Utinam & nos, qui non per originale tantùm, ſed

per

per actualia etiam peccata, frequenter cecidimus, mediante in immaculatam Virginem devotione, ſeriò tandem ſurgamus!

## §. 2. *Authoritas.*

618. S. SophronIVs, DeIparæ pVrè ConCeptæ aMator.

1. *Bene gratiâ plena nominatur; quia cæteris per partes datur, MARIÆ verò tota ſe infudit gratiæ plenitudo: & ideò immaculata; quia in nullo corrupta. verè hortus deliciarum, in quo conſita ſunt univerſa florum genera, & odoramenta virtutum, ſicque concluſus, ut neſciat violari, neque corrumpi. fons ſignatus totius ſigillo Trinitatis, ex quo vitæ fons. manat, in cujus lumine videbimus lumen.* Serm. de Aſſumpt.
2. *Quidquid in eâ geſtum eſt, totum puritas, & ſimplicitas, totum gratia, & veritas fuit.* Ibidem.
3. *Ex inviolabilî, & Virginalî ſanguine, Sanctæ, atque immaculatæ Virginis MARIÆ, Verbum eſt incarnatum.* Epiſt. ad Sergium Patriarch. Conſtantinop.
4. *CHRISTUS in maniſeſtiſſimum omnipotentis Divinitatis ſui indicium, & argumentum, Virginem, ex qua prodijt, integram, incorruptamque conſervavit.* Orat. in Chriſti Natal.

## § 3. *Ratio.*

619. BeatIVs eſt Dare, qVàM aCCIpere.

JUxta Apoſt. Act. c. 20. v. 35. *Beatius eſt magis dare, quàm accipere*, & ut Syrus dicit: *Beatior, vel melior eſt ille, qui dat, quàm qui accipit.* & S. Aug. l. 3. contra Maxim. c. 14. Quia dare ſignum eſt abundantiæ, accipere verò ſignum eſt egeſtatis. Sed ſi Beata Virgo ſemel contraxiſſet peccatum originale, plus illa dediſſet Chriſto, Filio ſuo, quàm ea ab illo accepiſſet. Ergo major tunc abundantia, & liberalitas, ſorſque beatior fuiſſet in Matre, quàm in Filio, quod tamen nemo facilè dixerit. Min. Prob. Chriſtus eligendo ſibi Matrem, ſimul ab eâ accepit totam ſuam carnem, & corpus, ex Virgineo ſanguine formandum, & hypoſtaticè uniendum Verbo Divino: illa autem ſi contraxiſſet peccatum originale, accepiſſet corpus, & animam turpî maculâ infectam: accepiſſet eſſe inimicam DEI, & vile dæmonis mancipium. Sed hoc ipſo minus accepiſſet, quàm dediſſet: imò reſpective nihil accepiſſet; quia Scriptura, & SS. Patres rationem formalem peccati, per terminos negativos, v. g. *tenebras*, *umbram*, *nihil*, &c. explicant. Ergo plus dediſſet Chriſto, quàm accepiſſet: conſequenter beatior fuiſſet. Hoc autem dici non poteſt. Ergo dicendum, nunquàm eam contraxiſſe peccatum originale.

## §. 4. *Hiſtoria.*


In Corpore IoannIs à CrVCe, IMago ConCeptIonIs ConſpICata. 620.

JOannes à Sanctâ Cruce, Illuſtriſſimum illud Carmelitanæ Familiæ lumen, ejusdemque Eliani Ordinis, poſt Sanctam Matrem Thereſiam, Parens, ac propagator zeloſiſſimus, Sanctitate non minùs, quàm frequentium miraculorum gratiâ inſignis, cùm omnia per annum Feſta, ea præſertim, quæ Beatiſſimam DEI Genitricem concernunt, ſummâ devotione peragere conſueviſſet, ſingularî tamen præ reliquis ſtudio, Solenne ſibi quotannis voluit Feſtum Immaculatæ Conceptionis: In cujus ſingularis obſequij gratam remunerationem, Virgo Beatiſſima non tantùm pluribus illum in vitâ gratijs cumulavit, verùm inſuper, poſt vitam beatè clauſam, in membris ejus, non ſine miraculo, puriſſima Conceptæ ſine labe Virginis Imago apparuit, in evidens Divini ſuper hoc obſequio beneplaciti teſtimonium, & validum apud poſteros, ejusdem immaculatæ Concep-

ceptionis argumentum. *Marracius cap. 37. Fundat. Marian.*

## §. 5. *Symbolum.*

621. DeIpara, qVoqVò IaCtata, ſeMper reCta.




Det numerum quemcunq; velit; tamen alea ſemper,
Quoquò jactetur, non niſi recta cadit.
Conceptum obſerva! Vitam meditare MARIÆ!
Cerne obitum! ſemper theſſera recta cadet.

*Nunquid eſt cor tuùm rectum cum corde meo, ſicut cor meum cum corde tuo?* 4. Reg. 6. 10. v. 15.

## §. 6. *Antiquitas.*

622. perſIſtentIa StIJLItæ, In eDItâ CoLVMnâ.

TOtum orbem, quà latè patet Oriens, obſtupefecit eximiæ Sanctitatis, ac admirandæ mortificationis Simon ille, dictus communiter Stylita, dum (Theodoſio juniore imperante) novâ, ac prioribus ſæculis inauditâ vivendi formâ, à terrâ totus ſejunctus, editam columnam, triginta ſex (vel, ut alij volunt, quadraginta) cubitos in altitudine habentem conſcendit, in eâque velut Angelus terreſtris, Divinæ contemplationi vacans, omnibus Cœli injurijs expoſitus, ſine ullo propè alimento, ac ſommo, per ipſos octoginta annos ſtetit, ac immobilis perſtitit. *Portentum ſæculorum* veriſſimum! ut eum vocat Cornelius *in c. 8. Iſaiæ*, ad quem, tanquam ſpectaculum hactenùs inauditum, turmatim concurrêre Perſæ, Armeni, Medi, Scythæ, Æthiopes, Reges, ac Principes, omnes Sanctitatis hoc prodigium admirabundis oculis aſpicientes, deſideratamque Benedictionem pro voto reportantes. *Baronius ad Annum Chriſti 432.*

Quòd ſi totus obſtupuit Orbis miram hanc Stylitæ perſiſtentiam, in editâ illa columnâ: quidnì magìs ille obſtupeſcat, MARIAM ſine omnî maculâ conceptam? editam enimverò columnam nemo negaverit, ſublimiſſimam illam Divinæ præſervationis gratiam, cui Virgo hæc per omne vitæ ſuæ tempus, imò in ipſo jam conceptionis momento, firmiſſimè inſtitit, â terrâ penitùs ſejuncta, medias inter injurias Cœli, ob originale peccatum laceſſiti, ſola inconcuſſa; quia ſola immaculata. Veriſſimum *portentum ſæculorum*; quia à ſæculis inauditum *ſæculorum negotium.* Si igitur tantus factus eſt gentium concurſus, ad intuendum, ac pro obtinendâ Benedictione implorandum Stylitam illum: quis non concurrat, ad contemplandam potiùs frequenter, ſuâ in Imagine, Virginem immaculatam, maternamque ab illâ benedictionem devotis precibus câlidiſſimè efflagitandam?

## §. 7. *Anagramma.*

TV, Mero DeI ConsILIo, sIne orIgInaLI! 623.

*Tu merâ Divinâ ope, immaculata regnas!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS XC.

### §. I. *Scriptura.*

624. PretIosVs ChrIstI sangVIs, pro reLIqVIs reMIſsIVè, pro VIrgIne Verò DeIparâ præſerVatIVè effVsVs.

Matth. c. 26. v. 28. *Hic eſt enim Sanguis meus, novi teſtamenti, qui pro multis effundetur, in remiſſionem peccatorum.*

QUænam hæc, obſecro! benigniſſimi Redemptoris noſtri, pro omnibus utique morituri, mira locutio? cur amabò! non dixit: *Sanguis meus, qui pro omnibus*, ſed tantùm: *qui pro multis effundetur?* Scio equidem, hunc ipſum loquendi modum etiam alibi Sacris in paginis reperiri, e. g. dum apud Matth. pariter
c. 20. v. 28. ait: *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam, in redemptionem pro multis.* Reſpondendum tamen, (ut paucis eloquar) complures exiſtimant Doctores: hæc ideò dixiſſe Redemptorem; quia pro omnibus quidem Sacratiſſimam erat Paſſionem ſuam ſubiturus, & ſanguinem pro omnibus effuſurus, ſed non pro omnibus *in remiſſionem peccatorum* commiſſorum; quia talì redemptione ſciebat opus non eſſe MARIÆ, Matri ſuæ Virgineæ, ſine omni labe conceptæ, utpotè nulli unquàm, nec actuali, nec originali peccato obnoxiæ: redimendæ quidem, & actu redemptæ præſervativè, à peccato aliàs committendo, minimè autem ab ullo actualiter commiſſo. ut mirum videri non debeat: MARIAM ſpecialiter quoque fuiſſe gaviſam, adeò, ut cùm reliqui unanimiter dicunt, ac in
Pſal. 94. v. 1. plurali: *Exultemus DEO, ſalutari noſtro*, MARIA ſingulare depromat canticum, dicens: *Et exultavit ſpiritus meus, in DEO ſalutari meo.* Luc. c. 1. v. 47. illi nimirùm *poſt*, hæc *ante lapſum* ſalvata. Quòd jugiter confirmare videtur Doctiſſimus P. Vieira, in Serm. ſelect. *Salvavit*, inquiens, *omnes alios, à peccato liberando, MARIAM verò Matrem ſuam, ne incurreret, defendendo, utpotè qui propugnator eſt ad ſalutem.* cui etiam ſententiæ Sanctiſſimus noſter Archi-Epiſcopus Anglicanus, pro more ſuo in Deiparam devotus, præclarè adſtipulatur: *Indiguit*, ait, *Beata Virgo redemptione, & Chriſti paſſione, non propter peccatum, quod infuerit, ſed propter peccatum, quod infuiſſet, niſi ipſemet, ex ſpeciali privilegio, eam præſervaſſet.* l. 2. cur DEUS homo. c. 10. Bene ergo dicitur Sanguis Chriſti *pro multis*, non tamen *pro omnibus, in remiſſionem peccatorum* effuſus; quia pro MARIA jam antecedenter in præſervationem applicatus: quæ ſpecialis dici poteſt redemptio. Et certè, quantò major eſt libertas, nunquam ſervîſſe, quàm poſt ſervitutem exemptum eſſe: tantò major, meliorque redemptio cenſenda eſt, nunquàm peccâſſe, quàm poſt peccatum in gratiam redijſſe: quod jugiter in Virgine adimpletum eſt: quam hoc ipſo Petrus noſter Damianus *præredemptam ſanguine Chriſti* concelebrat. Serm. de B. V. Quemadmodùm autem talì ſpecialiſſimo modo redemptam MARIAM vidimus, ita videtur etiam, ſpeciali prorsùs à reliquis creaturis modo, ab Omnipotente fuiſſe creatam; hoc enim eſt, quòd non obſcurè ipſamet inſinuat, ijs Eccleſiaſtici verbis: *Dixit mihi Creator omnium, & qui creavit me.* c. 24. v. 12. Cur enim ſuam ſpecialiter creationem recenſet, ac ſi extrà numerum eſſet reliquarum rerum creatarum? nonnè ſat illi erat dicere: *Dixit mihi Creator omnium*; cùm & ipſa jam

jam inter ſphæram creaturarum omnium comprehendatur? verùm optimè dictum credite, nec ullam redundare litterullam exiſtimate, dum ait: *Creator omnium, & qui creavit me.* ut nimirùm item intelligamus, quòd, licèt MARIA pura ſit creatura, tamen à ſui exordio omnium creaturarum extiterit feliciſſima, ejusque Conceptio, & creatio longè in donis, & gratijs, excellentior fuerit cæterarum conceptione; quamvìs enim Angeli in Cœlo, & primi Parentes in Paradiſo, in primo inſtantî productionis, gratiam obtinuerint; tamen non ſine diſcrimine amittendi eam: MARIA econtrà non ſolùm in primo inſtantî, abundantiorî gratiâ fuit prædita, verùm etiam in illâ adeò confirmata, & præſervata, ut nequaquam eam poſſet amittere. quod lacteus Virginis Encomiaſtes melleo indicavit eloquio, dum ait: *Ipſa maternis circumſepta viſceribus, ſublimioris ſanctificationis genere mundata eſt.* nam ſi hoc de majorî gratiæ intenſione intelligeremus, parum eſſet; Intenſio enim gratiæ, nec ad ſublimiorem naturam elevat, ſed intra eandem conſervans, reddit efficaciorem: cùm ergo gratiæ ſublimitas, quâ ornata fuit MARIA, in ejusdem Conceptione, non fuerit gratia unionis, reſtat, ut ſit ſtabilitas, & confirmatio in gratiâ, & præſervatio à peccato; nam ſi Angeli, qui ſuperbiam Luciferi contempſerunt, in ſequenti inſtanti, fuerunt confirmati in gratiâ, & Apoſtoli, in die Pentecoſtes, per adventum Spiritûs Sancti, ſimiliter in eâ roborati: ut Deiparæ aliquid ampliusconcedamus, dicendum: in primo eam inſtanti hoc dono præſervationis fuiſſe ornatam, ac illo ipſo momento non quidem *in remiſſionem* peccati commiſſi, ſed in *præſervationem* à peccato aliàs committendo, ex prævíſis Sacratiſſimi Chriſti Sanguinis, ac Paſſionis meritis redemptam.

Bernard. Serm. de privil. S. Jo. Bapt.

* * *

## §. 2. *Authoritas.*

S. StephanVs SabaIta, MARIÆ pVrè ConCeptæ Defenſor. 625.

*O quæ Lucem Divinam progenerâſti! quâ Luce Sol quoque ipſe poſterior eſt, &c. Te inquam, O benedicta, & ab omnibus maculis munda! velut Deiparam magnificis extollimus verbis.* Ex Menæis 1. Jan. Ode 9. de Circumciſ.

## §. 3. *Ratio.*

BenefaCIentIbVs BenefaCere DebeMVs. 626.

IPſa honeſtas, & lumen rationis dictat: beneficia eſſe rependenda beneficijs: ut habetur L. *Virtutum præmia.* C. de ſtatuis & Imagin *Merentibus præmia tribui oportet.* Item L. *etſi.* §. *Conſuluit* de pet. hæred. *Benefacientibus nobis benefacere debemus*; *nam beneficij receptor naturaliter obligatur*: Atqui DEUS Pater ab æterno prævidit, Filium ſuum unigenitum aliquandò à Beatiſſimâ Virgine ſingularia beneficia, præ cunctis alijs hominibus, eſſe recepturum: quæ nempe eum, per novem Menſes, ſummâ cum ſollicitudine geſtaret, puriſſimo ubere lactaret, & paſceret, maximâ curâ educaret, ac foveret. Ergò (ſecundùm noſtrum intelligendi modum) naturaliter obligatur, ut hæc ſingularia beneficia Beatæ Virgini rependat denuò, per ſingularia beneficia. Subſumo: Atqui ſi eam non præſervâſſet à peccato originalî, ſed tantùm liberâſſet, non ſpeciale beneficium, præ cæteris hominibus, ei tribuiſſet; quia redemptio liberativa omnibus mortalibus fuit communis. Ergo DEUS Pater naturaliter videtur obligatus fuiſſe, ut Virginem Beatiſſimam præſervaret à peccato originalî.

* * *

§. 4.

## §. 4. *Hiſtoria.*

627. IgnIs,SaCroſanCtæ EVCharIſtIæ, & IConI MarIæ ConCeptæ, non noCens.

CUm Beatus Petrus Regalatus, Ord. Minorum, Anno Milleſimo, Quadringenteſimo, Decimo quinto, Abroxanum fundâſſet Eremitorium, jamque Eccleſia, ſub Nomine *Scalæ Cœli*, Conventui illi adjuncta, ac ceremonijs in Eccleſiâ uſitatis jugiter fuiſſet conſecrata adeò primi Eremitorij illius incolæ, licèt in maximâ adhuc paupertate conſtituti, in omnî virtutum genere profecerunt, ut quemadmodùm in myſticâ illâ Patriarchæ Jacobi ſcalâ, frequenter aſcendentes, & deſcendentes cernebantur Angeli; ſic de hoc quoque Sacro loco dici potuerit, Angelos eſſe omnes, qui per contemplationem indeſinenter aſcenderent in Cœlum, & per charitatem deſcenderent in terram, ad proximorum utilitatem, ſalutemque procurandam. Verùm, proh dolor! exorto poſt ducentos, & novem annos, (Anno nimirùm Milleſimo, Sexcenteſimo, Vigeſimo quarto, die 8. Aprilis, fer. 2. Paſch.) ingentî incendio, Sacer ille Conventus, unà cum Regio adjuncto Palatio, tanto flammarum impetu conflagravit, ut ipſæ etiam petræ in cineres abierint. Afflixit haud immeritò fatalis hic caſus omnem circumcircà Regionem tam vehementer, ut magno undique numero, cujúsvis ætatis, ſexûs, & conditionis homines accurrerint in auxilium: dumodò ei locus fuiſſet, pertinacî vento flammas horrendùm exaſperante. Illud porrò in tam triſti rerum articulo mirandum acciderat, quòd cùm reliqua cuncta victrices flammæ depaſcerent, ad Sacroſanctum tamen Evchariſtiæ Sacramentum, & Iconem Immaculatæ Conceptionis, quamvìs noviès in ejuſdem Sacellum irrupiſſent, pervadere tamen nunquàm potuerint, ac nè parietes quidem Sacræ ejusdem Ædis, fumo denigrare. Crevit profectò exinde, mirum in modum, populi, erga Sanctiſſimum principaliter Altaris Sacramentum, deinde etiam erga dictam DEI Genitricis, ſine labe conceptæ Imaginem, communis devotio: adeò, ut collatis certatim eleemoſynis, ac oblationibus, intrà biennium, novus à fundamentis Conventus extrui potuerit, ipſo præ cæteris Rege, ſex ducatorum millia contribuente. *Joann. Bollandus in Actis Sanctorum, ad Diem 30. Martij.*

## §. 5. *Symbolum.*

SoLIDa, Vt CoraLIVM. 628.




Mollia dum medijs extracta Coralia lymphis
Auram percipiunt, firma repentè rubent.
Gratia ſic primo inſtantî ſolidata MARIÆ
Mox fuit, ac Geniti rubra cruore ſui.

*Quare ergò rubrum eſt indumentum tuum?* Iſaiæ c. 63. v. 2.

## §. 6. *Antiquitas.*

629. prӕCLara aLeXanDrI prӕMIa.

PRofanos inter Reges, celeberrimum jam ſæpiùs produximus Alexandrum. Hunc enimverò magnum Macedoniæ Monarcham, ex multis alijs, ſingulariter commendat inſignis erga amicos ſuos liberalitas, quibus non ſemel præclara admodùm, ac pretioſiſſima elargiri præmia conſuevit. Expertus id fuit Anaxarchus Philoſophus, qui, cùm à Regio quæſtore centum petijſſet Talenta, ille verò tam enormem, ut ſibi videbatur, petitionem ad ipſum Alexandrum referendam exiſtimaret, inaudiens, quod petebatur, Rex in hæc verba reſpondit: *Rectè fecit Anaxarchus, ſciens, ſe amicum habere, qui tantum dare poſſit, & velit.* Similiter, cùm ex amicis Alexandri unus, nomine Periltis, dotem ab illo pro filiabus petijſſet, juſſit Rex dari quadraginta talenta: cui cùm reponeret ſupplicans: *Decem eſſe ſatis.* Rex reſpondit: *Tibi quidem ſatis eſt, tantum accipere; mihi verò ſatis non eſt, tantum dare.* Cùm denique alteri Urbem donaret, isque diceret: *Non convenit fortunæ meæ tantum donum.* ipſe repoſuit: *Non attendo, quid te deceat accipere, ſed quid me deceat dare.* Magua certè, ac verè Regia Magni Macedonis liberalitas!

Sed quis majorem non dixerit liberalitatem Regis Regum, erga amicos ſuos, ac præſertim erga dilectiſſimam Matrem? Experiebatur certè illa, amicum ſe habere, imò futurum quondam Filium, qui dare omnimodam à peccatis omnibus præſervationem & poſſit, & velit: noverat illa, ſatis quidem ſibi futuram, pro peccato originalî, ſi quod ex Adamo (ſecundùm debitum, quod habebat proximum) incurriſſet, redemptionem liberativam, deperditæ aliquando gratiæ reſtitutricem: noverat illa, non convenire fortunæ ſuæ tantum præſervationis donum; ſiquidem præcisè, ut Adami filia conſideretur: quod utique, ſub talî formalitate, minimè illi competeret. Attamen Cœleſtis Alexander (munificentiâ verè Regiâ) abſolutè Redemptionem voluit adhibere præſervativam, ac ſi ad MARIAM diceret: Tibi quidem, ut Adæ Filiæ, ſatis eſſet, tantum accipere, nimirùm illam communem redemptionem: mihi verò ſatis non eſt, tantum dare, ſed dandam tibi exiſtimo Redemptionem perfectiorem: non ergò attendo, quid deceat accipere Matrem creati hominis, ſed quid me deceat dare, æterni Patris, omnium Creatoris filium, Matri futuræ Redemptoris, &c.

## §. 7. *Anagramma.*

TV Manes à Labe LIbera, aC pVra DeIpara. 630.

*En Tu manes immaculata Virgo Deipara!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS XCI.

### §. 1. *Scriptura.*

631. SI VIna noVa In Vtres noVos MIttantVr , DIV ConſerVantVr , aLIter VtraqVe perIbVnt.

Luc. c. 5. v. 37. & 38. *Nemo mittit vinum novum in utres veteres; alioquin rumpet vinum novum utres, & ipſum effundetur, & utres peribunt: ſed vinum novum in utres novos mittendum eſt, & utraque conſervantur.*

QUod Sacrum hìc Lucæ Evangelium, in ſenſu quidem myſtico potiùs, quàm moralî, utiliter monuit, de vino novo in novos pariter utres mittendo, idipſum frequens etiam confirmat experientia; neque enim novi aliquid eſt, præclariſſima quandoque vina, vaſis veteribus, ac maleolentibus improvidè infuſa, ſaporem ab ijs ingratum contrahere, ſicque primâ, quâ ante pollebant, amænitate quantocyùs deſtitui: accidit prætereà non infrequenter, vaſa vetera, novo, eóque generoſo vino immiſſo, diffracta concidiſſe, liquoremque pretioſum, eodem impetu, in non leve Patris-familias diſpendium, perijſſe.

Si MARIAM *Vaſi* aſſimilavero, quis ibit inficias? cùm commune hoc ſit elogium, MARIÆ à SS. Patribus frequentiſſimè applicatum. Libeat, hac de re Eccleſiæ Præſules audire! ducat verò agmen magnus Ambroſius: *Non de terrâ*, inquit ille, *ſed de Cœlo Vas ſibi hoc, per quod deſcenderet, Chriſtus elegit, & ſacravit templum pudoris.* (Lib. de inſtit. Virg. c. 5.) S. Gregorius Thavmat. eam vocat *Vas omnium miraculorum, ac myſteriorum Divinorum.* (Orat. 2. de Añunt.) S. Germanus, *Vas electum, quod ſibi DEUS elegit.* (Orat. 1. in præſ.) D. Bonaventura Seraphicus; *Vas pretioſiſſimum, & ſanctiſſimum, in quo DEI Verbum mirabiliter eſt conceptum.* (de Laud. Virg.) Doctor noſter mellifluus, *Vas electionis, opus ſummi artificis, nihil habens cum terrâ commune.* (de Concept. B.V.) Agmen denique claudat doctiſſimus Idiota, *Vas* eam appellans, *profundiſſimum per humilitatem, ſolidiſſimum per patientiam, integerrimum per virginitatem, ampliſſimum per charitatem, puriſſimum per caſtitatem.* (p. 14. contemp. B.V.) Vas ergo eſt MARIA, & tale quidem, de quo Eccleſiaſticus ait: *Vas admirabile, opus excelſi.* (c. 4. v. 2.) Vas eſt, in quod erat infundendum Cœleſte illud *vinum, germinans Virgines,* (Zach. c. 9. v. 17.) æterni ſcilicèt Patris Verbum, in utero Virgineo, tanquam in utre, incarnandum. Quis ergo credat, *utrem* hunc Marianum fuiſſe *veterem*? infuſum aliquandò geſſiſſe Protoparentis peccatum? contraxiſſe abominandum originalîs maculæ fætorem? abſit ſimilia dicere! quid enim indignius DEO, quàm *vinum*, id eſt, ſanguinem Agni immaculati, in Cruce immolandi, deſumptum ex *vaſe*, dæmonis fætoribus conſpurcato? Nolebat certè Chriſtus, ſummæ puritatis amator, poſt mortem pro nobis perpeſſam, imponi ſepulchro, ubi fœtidum jam antehàc cadaver, alterius cujuſcunque fuiſſet repoſitum: & credat quis, permiſiſſe DEUM, ut Virgineum illud ſepulchrum, in quo per novem Menſes requievit, à morte, ac ſerpente infecto, fuerit contactum, & (quod plus eſt) ab originalî inhabitatum? dicam potiùs ego, quòd ſicut ſepulchrum illud ultimum, ſic & primum Virginale ſepulchrum Chriſti, à venenoſâ morte intactum fuerit: adeò nempe *vinum novum in utres noves mittendum eſt, & utraque conſervantur*, prout ambos, Chriſtum nempe, & MARIAM, conſervatos à pecca-

to cernimus. Pulchrè in hanc rem doctiſſimus noſter Trithemius perorat, dum hiſce Divam Annam, puriſſimæ Virginis Genitricem, dilaudat:
c. 4. de Laud. S. Annæ. *Non erat in Iſraël ſanctior altera, quæ in conceptione DEI Genitricis, Spiritui Sancto vas ſine maculâ conſtruxit.* Erat ergo MARIA *Vas ſine maculâ*, nunquam disruptum; quia conſtanter *novum*. disruptum econtrà *vas*, natura eſt humana reliqua, formata quidem à Factore ſupremo, & inſignita imagine Divinitatis elegantiſſimâ: *vas*, omninò repletum vino generoſo, originalis juſtitiæ, at ruptum, compreſſumque Adami culpâ, dolente rupturam totâ miſerâ poſteritate, & quolibet noſtrum ex ore Davidis gemente:
Pſal. 30. v. 13. *Factus ſum tanquam vas perditum*, vas abjectum, dirutum, inglorium contumelioſum: *Vas* oculis, proh dolor! ſtygijs placens; quia vinum Divinæ gratiæ, in ipſo ſui exordio, perditè profundens. Quare, cùm MARIA ſola (ut vidimus) *Vas* ſit ſemper novum,
In ſpeculo. *purum*, *purius*, *puriſſimum*, ut vocatur à Fulberto Carnotenſi: *Vas* Divinis placens oculis, gratiâ, Deóque ipſo plenum: quilibet noſtrûm, tanquàm *vas in contumeliam*, ad *vas in honorem*, Deiparam, recurrat: atque qui, quam habuimus, & accepimus in Baptiſmalî fonte, gratiam juſtificantem, illam etiam delinquendo perdidimus, per MARIAM iterùm illam nobis ſuperinfundi, calidiſſimis precibus efflagitemus!

## §. 2. *Authoritas.*

632. TertVLLIanVs MarIÆ Conſtans Defenſor.

*DEUS imaginem ſuam à diabolo captam, æmulâ operatione, recuperavit. In Virginem adhuc Evam irrepſerat verbum ædificatorium mortis: in Virginem æquè introducendum erat DEI Verbum, extructorium vitæ, ut quod per hujusmodì ſexum abierat in perditionem, per eundem ſexum, redigeretur in ſalutem. Crediderat Eva ſerpenti, credidit MARIA Gabrieli: quod illa credendo deliquit, hæc credendo delevit.* Lib. de carne Chriſti. c. 17.

## §. 3. *Ratio.*

nVbere ConDeCenter DesIDeras? nVbe parI. 633.

TRitum, ac vulgatum Axioma eſt: *Si vis nubere, nube pari.* uti etiam confirmatur in Jure *L. art. ff. de act. & obli.* Senatores, Præfecti, & alij in dignitatibus conſtituti, ducere non debent ancillas, vel alias obſcuras mulieres, nullâ dignitate, vel nobilitate affectas in uxores. Atqui in maximâ poſſibilî dignitate ſunt conſtituti Filius Divinus, & Spiritus Sanctus. Ergo, ut Sponſam condecentem, & ſuo modo parem eligant, hæc non debet eſſe ancilla, ſeu mancipium, ſed nobilis, & in dignitate conſtituta. Subſumo. Sed defactò (juxta communem mentem Eccleſiæ) Filius dicitur, ſibi uniendo hypoſtaticè mundiſſimam carnem Beatæ Virginis, matrimonium inijſſe, ſimulque Spiritum Sanctum verè ſibi deſponsâſſe Beatam Virginem. Ergo hæc non debuit eſſe obſcura mulier, ſed nobilis, &c. Sed ſi ſemel contraxiſſet peccatum originale, jam non ampliùs eſſet nobilis, ſed ancilla, & mancipium, nempe diaboli: conſequenter nec eſſet in dignitate conſtituta; quia per peccatum originale quis privatur omnî dignitate ſupernaturalî, ſimulque in obſcuriſſimo ſtatu conſtituitur. Ergo vel non potuit eſſe Filij, & Spiritûs Sancti ſponſa, quod eſt contra mentem Eccleſiæ: vel debuit eſſe ſine peccato originalî.

## §. 4. *Hiſtoria.*

MarItVs, à DeIparâ CorreCtVs. 634.

CArmonæ, Oppido quodam Luſitaniæ, vir habitabat, Doctor Juris, vitijs depravatus, in conjugem ſummè ſeverus, erga pauperes duriſſimus: cujus frons non niſi nebulas, oculi ignes, os tonitura, manus fulmi-

mina præſeferebant. Tantâ mariti crudelitatem bona uxor, Lucia nomine, ſummè formidabat, ſpecialiter dolens, etiam ſibi eſſe prohibitum, pauperi quidquam elargiri; cùm interim affluere ſciret divitias, tum è pauperum ſanguine expreſſas, tum ex propriâ, quam eidem ipſa attulerat, ampliſſimâ dote profectas. Cùm igitur neminem haberet afflicta, ſuam cui miſeriam patefacere poſſet, ad Deiparam, commune miſerorum refugium, converſa, omnem ei ſtatûs ſui miſerandi ſeriem, multis cum lachrymis expoſuit, humiliter ſupplicans, ut virum tam erga ſe, quàm erga pauperes, mitiorem efficere dignaretur. Fuit autem in extremitate Oppidi illius Sacellum quoddam, immaculatæ Conceptioni Virginis Deiparæ dedicatum, quod Lucia frequenter accedere ſolebat, diebus præſertim Sabbathinis, ſuaſque ibi neceſſitates, calentî, ac prolixâ prece, Virgini explicare. Accidit aliquandò, ut illâ taliter orante, exorta interim tempeſtas, tantas deijceret pluvias, ut creſcentibus aquis, omnis ad domum reditus Luciæ prohiberetur; Hinc eâ nocte in eâdem Æde Mariana ſubſiſtere, neceſſum erat: quam longas etiam, & anxias inter preces, partim ſomno, partim timore mariti interruptas, tranſegit, quem zelotypiæ interim æſtu abreptum, omnia potiùs alia, quàm quod erat, cogitaturum noverat. Eàpropter non verbera tantùm, ſed & mortem animo volvens, ſollicita, ne fortè imparata ab eodem mori cogeretur, primo mane, noxis per confeſſionem expiatis, Divino epulo in eodem Sacello refecta, vovit, huic ſe Ædiculæ Cænobium adjuncturam, ſi mariti furias evadere, eique ſuperſtitem vivere daretur. Redit deinde plena timore domum, maritoque, quid contigerit, candidè exponit. Verùm ille, non tam uxoris inſolito, & cordato affatu, quàm præteritæ noctis cogitationibus, jam totus alius: *Deſine*, inquit, *Lucia! deſine vereri ſuſpiciones, verbera, mortem, &c. alius ſum, & multùm mutatus ab illo, qui fui: alium me Deipara hac nocte effecit. non quidem mihi illa apparere, aut loqui dignata eſt, ſed, O DEUS! quos timores non ſenſi? quæ non mente evolvi præteritæ vitæ pericula? alius idcircò ſum, & utique tuis, ad immaculatam Virginem, precibus alius, vitam poſthàc agam, ad tuæ pietatis regulas.* Dixit, fecit, vitam vixit homine Chriſtiano dignam, quam poſt paucas ſeptimanas, fine optimo clauſit: Lucia verò tandem libertati reddita, tam beneficij, quàm voti memor, Parthenonem Monialibus S. Franciſci, ſuis ſumptibus, juxtà Sacellum, ædificari curavit: quas inter, aliquanto tempore ſupervivens, piè & ipſa è vivis exceſſit. *P. Guilielm. Gumppenberg. in Atlante Mar. Franc. Gonzaga, in Annal. Min. part. 3. apud P. Mich. Pexenfelder. Conc. Hiſtor.*

## §. 5. *Symbolum.*

DeIpara ConCepta, Vas 635.
absqVe rIMâ.




Infundis fruſtra Vaſi, cui rima, liquorem:
Haurit, quæ fundis, fundit & illa brevî.
Gratia mox perijt genitoribus indita primis;
Vas rimam ignorans ſola MARIA fuit.

*Aliud quidem Vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Rom. c. 9. v. 21.

### §. 6. *Antiquitas.*

636. MIDæ, RegIs PhrIJgIæ, à BaCCho Vana petItIo.

DE Midâ, Rege Phrygiæ, memorant Poëtæ: adeò eum felicem fuiſſe, ut à Baccho (quem lauto fortè hoſpitio exceperat) optio ei ſit data, quidvis petendi, & ſecurè impetrandi. Petijt idcircò Midas, ut quidquid contingeret, mox in aurum verteretur. Annuit Bacchus; verùm, cùm ſtolidus ſentiret Rex, & cibos, & potum in aurum converti, facti pœnitens, ne fame periret, Baccho iterum ſupplex factus rogavit, ut conceſſum nimìs aureum donum auferret, & gratioſo hoc malo ſe denuò liberaret. Impetravit iterum, quod voluit; at in pœnam ſtultæ electionis, aſininæ poſtmodùm aures eidem ab Apolline ſunt appenſæ. *Ovid. 11. Metam.*

Aures hæ aſininæ neminem magìs, quam primos quondam parentes noſtros decebant, veros Midæ imitatores. Erant hi in dignitate verè Regiâ conſtituti; dictum enim illis fuerat: *Replete terram, & ſubijcite eam: Dominamini piſcibus maris, & volatilibus Cœli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* Gen. c. 1. v. 28. & 29. Verùm hac non contenti dignitate, petierunt ulteriùs, non quidem, ut in aurum omnia verterentur, ſed ut omnia ſcirent: *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum, & malum.* c. 3. v. 5. Hanc omnigenam ſcientiam ſummis exambientes votis, manum ad fructum extenderunt, eumque vix ori applicantes, mox damno ſuo ſenſerunt, ſcire ſe omne malum. Optâſſent certè, ut obtenta hæc irreparabilîs mali, ac damni ſui ſcientia denuò à ſe auferretur, tantoque malo, per Malum illato ipſi liberarentur; verùm, qui aures nimiùm longas impoſtori priùs præbuerunt, in pœnam ſtultæ electionis, meritò omnî felicitate, cum poſteris, privati ſunt. Tam vano petito, tamque peccaminoſo mali ſcientiæ deſiderio, nunquam ſtulteſcere voluit MARIA, hoc ipſo prudentiſſima; quia mali omnîs ignara: nil ſcire deſiderans, quàm DEUM, ſummum bonum. Hinc, quemadmodùm racemifer ille, ebriorum DEUS, hoſpitio à Midâ exceptus, omnia ejus in aurum vertit; ſic Unigenitus DEI Filius, *vitis vera*, hoſpitio poſtmodùm à MARIA, novem Menſibus, in utero exceptus, omnia ejus longè feliciùs in aurum convertit, ut non Nativitas modò, ſed & ipſa MARIÆ Conceptio, tota aurea fuerit, ac fulgida, nunquam aliquâ peccati ſcoriâ contaminata.

### §. 7. *Anagramma.*

CoLo Te pVra à Labe, DIVa, aMata RegIna! 637.

*Colimus Te puram: En Diva, amata Regina!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS XCII.

### §. 1. *Scriptura.*

638. DeIpara VIrgo, à tenebrIs LabIs orIgInaLIs non CoMprehenſa.

Joann. c. 1. v. 5. *Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.*

NUnquid cognoſcentur in tenebris mirabilia tua? dixerat aliquando Vates Regius. nec immeritò; quid enim aliud per *tenebras* illas intelligere Propheta poterat, quàm denſiſſimam peccati originalîs caliginem, totum humanum genus (uni- Pſal. 87. v. 13.

cam

cam MARIAM ſi excipias) miſerrimè involventem? præſertim cùm hoc ipſum ſatis indicâſſe videatur Iſaias, di-
c. 5. v. 30. cendo: *Aſpiciemus in terram, & ecce! tenebræ tribulationis, & lux obtenebrata eſt in caligine ejus.* quod alibi clariùs ex-
c. 6. v. 2. plicat, his verbis: *Ecce tenebræ operient terram, & caligo populos: ſuper Te autem orietur DOMINUS, & gloria ejus in te videbitur.* Porrò hoc de MARIA ſpecialiter intelligendum eſſe, ex illis Divi Bernardi verbis clarè
Serm. in illud: Signum magnum. convincitur: *Cujus* (nempe MARIÆ) *omnia tam excellenter irradiata noſcuntur, ut nihil in eâ, non dico tenebroſum, ſed nè obſcurum ſaltem, vel minùs tenebroſum aliquid liceat ſuſpicari.* Hinc quamvìs de reliquis omnibus, ipſis etiam Sanctiſſimis hominibus, verificetur illud
Epheſ. 5. v. 8. Pauli: *Eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino*; tamen in ipſis jam *tenebris*, ſola lucebat MARIA; quia ſine labe concepta. Videre mihi hìc videor pictorem aliquem, varias in telâ hominum figuras, veluti nocte quâdam obſcurâ obambulantes, efformantem, quarum aliæ latent in opaco, aliæ præ atro vix conſpiciuntur, aliæ ad crepuſculum veluti emergunt non nihil: addit poſteà ille radios quosdam Solares, è nube condensâ effulgurantes, ijsque unum aliquem hominem, mirum quantùm illuſtrem, ac clarum, ſpectabilem facit. Simili enim ratione formavit DEUS, in *tenebris* culpæ originalìs, in mundum, ceu chartam, telámve Geographicam, multas omninò figuras, & tantas quidem, quot erant, &
Jo. 3. v. 19. ſunt homines; adeò nimirùm *dilexerunt homines magìs tenebras, quàm lucem.* fuerant autem nonnullæ, & profectò potior earum pars, atro, & opaco penitùs obvolutæ, illæ nimirùm, quæ conceptæ, natæque ſunt in peccato, quales, heu miſeri! ſumus nos omnes: aliæ in tenebris partim, partim in crepuſculo verſabantur, veluti Hieremias ille, & Verbi vox Joannes: concepti quidem in *tenebris*, nati tamen in luce. Sed MARIA, fuerit licèt in telâ iſtâ peccati *tenebris* obductâ (quia tanquam Adami poſtera, debitum etiam obſcuritatis contraxerat) fuit tamen ab immenſo illo, incircumſcripto, æterno, nulli que alteri puræ creaturæ acceſſo, eamque ab omnî etiam minimâ opacitate, ac caligine præſervante lumine adeò perfectè irradiata, illuſtrata, ac ſerenata, ut unica & ſola, in totâ iſthâc telâ eniteat, & quasì *lux in tenebris luceat*, à denſis peccati *tenebris* neutiquam *comprehenſa.* Quòd ſi lubeat *lucem* MARIÆ *in tenebris lucentem* attentiùs examinare: videbimus in illâ non unam tantùm, ſed multiplicem *lucem.* fuit nimirùm in eâ *lumen* cognitionis tam naturalium, quàm moralium: quod deſerviebat ad perfectiſſimam Scripturarum, ac Theologicarum veritatum intelligentiam. fuit in eâ *lumen* prophetiæ; unde & juſſit nuptialibus Canæ miniſtris: quæ imperaturus eis foret Filius, illicò perficerent, præſcia, ad primas Matris preces, primum ab ipſo miraculum patrandum. Fuit in eâ *lumen* Divinarum revelationum, & Angelicarum apparitionum, quibus fuit viſitata aſſiduè. Ille præſertim Gabrielis Archangeli, vultu lucidiſſimo, ad MARIAM properantis, eamque de modo humanandi Verbi, & imminentis Maternitatis, caſtè edocentis acceſſus, nonnè *lux* fuit, è Cœlis delapſa, illibatæ Virgini ſuper omnes omninò homines illuminandæ? ita ſanè; ſic enim id accepit Regius Propheta, qui prænoſcens Angelicæ illius Salutationis myſteria, eaque toti proclamaturus mundo, non alio quàm claræ *lucis*, ac diei uſus eſt
ſymbolo, dicens: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam.* id eſt: Pſal. 18. v. 3.
*Dies*, Archangelus, luce ſupernâ inductus MARIÆ, *Diei*, *noctis neſciæ*, eructavit *verbum*, cùm dixit: *Ecce concipies & paries Filium*; tunc enim obviæ ſibi ſunt factæ, & in mutuos ivêre complexus, lux cum luce, cum die dies: lux puritatis Marianæ, cum

cum luce puritatis Angelicæ: dies emiſſus à Sole, cum die ab Aurorâ emicante: contrariè è diametro, illi matris Evæ, cum ſerpente infernali, fuliginoſo dialogo, quo triſtis *nox noEti* atram *indicabat ſcientiam*, & in mutuos ceſpitârunt occurſus, Angelus tenebrarum, cum matre culparum: non tractantes alia, quàm negotia umbrarum: de contemptu mandatorum: de eſu vetitorum: de capitali
Iſaiæ. 5. v. 20. in DEUM rebellione, cum inani illâ promiſſione: *Eritis ſicut Dij, ſcientes bonum & malum.* Hinc ad tenebroſum iſtud colloquium, *luce* ſe gratiæ, cum totâ ſuâ poſteritate, Eva ſpoliavit: dum ex adverſo MARIA, *lux in* primis jamjam *tenebris lucens*, ab originali *non comprehenſa*, jam cum Angelo colloquens, Sancto iterum, ac Divino lumine fuit de novo illuſtrata. Væ proinde omnibus illis, qui MARIAM etiamnùm *tenebris* protoparentum involvere conantur! *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras!* Noverint enim tales, MARIAM inter denſiſſimas etiam, & plùs quàm Cimmerias, orbis univerſi *tenebras*, luculentiùs emicâſſe. convertantur ergò aliquando à *tenebris* ad lucem, à ſiniſtrâ illâ opinione, ad devotam Virginis immaculatè conceptæ profeſſionem. Tu verò glorioſiſſimum Lucis integerrimæ receptaculum! impetra & nobis radium Divini ſplendoris, quo è *tenebris* iniquitatum noſtrarum educti, perducamur ad admirabile lumen, viſionis Beatificæ.

## §. 2. *Authoritas.*

639. theoDoretVs, pVræ ConCeptIonIs aMator.

*Inter tot animas omnium hominum, qui ſalvantur, ut electa columba eſt illa ſola, quæ CHRISTUM genuit, Virgo Mater, puella MARIA, quæ puritate profectò Cherubim, & Seraphim antecellit.* Lib. 3. in Cant. ubi etiam paullò ante eam vocat *Sanctiſſimam, & immaculatam DEI Genitricem, MARIAM.*

## §. 3. *Ratio.*

ConCeſſo aCtV, ConCeDenDa & aCtVI neCeſſarIa. 640.

*Aliquo conceſſo, ea omnia intelliguntur conceſſa, ſine quibus eo commodè uti non poſſumus.* L. *Verbo victus. ff. de verborum ſignificat. L. Legatis. de aliment. Legat. cum ſuis concor.* Sed Beatæ Virgini erat conceſſum, ut aliquandò eveheretur in munus, & dignitatem Genitricis DEI in terris. Ergo & intelligendum eſt, omnia illa ei ab æterno conceſſa eſſe, ſine quibus tantæ munus Maternitatis ſubire non poſſet. Atqui præſervatio, & exemptio à peccato originali, vel maximè neceſſaria eſſe videtur, ut munus Maternitatis Divinæ commodè creatura aliqua ſubire valeat; nam contraxiſſe ſemel peccatum originale, multas incongruentias, & inconvenientias, (quas alibi probavimus) repugnantes huic Maternitati affert. Ergo per hoc, quod Beatiſſimæ Virgini conceſſa ab æterno fuerit Maternitas DEI, etiam illi concedenda erit, ab æterno impertita, & conceſſa exemptio, ac præſervatio à peccato originali.

## §. 4. *Hiſtoria.*

ObſeſsI Vera reſponsIo, De prIMo ConCeptIonIs InſtantI. 641.


HAbitabat, in Ducatu Ferrarienſi, homo quidam ex plebe, rudis, litterarumque omnium penitùs imperitus. Hic, Divini Numinis permiſſu, ab hoſpite infernalì obſeſſus, ac crudeliter quandoque diſcruciatus, ad magnam omnes permovit commiſerationem; hinc ejus

ejus loci Sacerdotes, miſero Divinâ virtute auxilium laturi, ſolitos applicare exorciſmos ſtatuerunt: quod ut inaudijt Sereniſſimus Ferrariæ Dux, ipſemet adjurationi huic præſens voluit aſſiſtere; cùmque ergà immaculatam Deiparæ Conceptionem ſingulariter eſſet devotus, inter complures alias quæſtiones, quibus dæmonem in dicto obſeſſo, in nomine Sacratiſſimæ Triados, à Sacerdotibus adjuratum, ipſemet interrogabat, etiam quid de Conceptione Virginis Beatiſſimæ ſentiendum? ſtudioſè indagavit. Hìc orcinus hoſpes, iteratis adjurationibus, volens, nolens adactus, mediante illius idiotæ, ſive prorsùs illitterati hominis linguâ, tam eloquenter, latino ſermone, in laudes Deiparæ reſpondit, ut alter Tullius, obſtupeſcentibùs omnibus, videretur. hæc autem Panegyrîs erat ſeries: *Omninò tenendum eſſe, Beatiſſimam Numinis Genitricem fuiſſe à DEO, omnî inſtantî, gratioſiſſimè præſervatam*, quod etiam dictionis argumentum, compluribus rationibus, ijsdemque efficaciſſimis, ac ijs potiſſimùm, quas Scotus olim in Univerſitate Pariſienſi adduxerat, confirmavit. Verè grande miraculum! quòd ipſi etiam Mariani nominis hoſtes infenſiſſimi, immundiſſimi Spiritus, non poſſint, nec audeant, immaculatum Ejusdem Virginis vituperare Conceptum.

*Bernardin. de Buſti. Serm. 7. de Concept. part. 2.*

## §. 5. *Symbolum.*

Vna ſeMper aCCenſa, VIrgo DeIpara. 642.




Candela, extinctis reliquis, hæc una refulget:
Altior accenſa ex omnibus iſta manet.
Sic quamvis fuerit reliquos extincta per omnes
Gratia prima; tamen lucida Virgo manet.

*Lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt.* Jo. c. 1. v. 5.

## §. 6. *Antiquitas.*

gregarII MILItIs, De Leone VICtorIa. 643.

De milite quodam gregario, natione germano (cui Wickhero nomen) refertur *in Chronicis Hieroſolymitanis, l. 7. c. 24. & l. 8. c. 70.* complura illum, non communis fortitudinis, ſpecimina commilitonibus ſuis dediſſe; cùm enim Godefridus Dux Bullionius, plurimis militum copijs inſtructus, Jeroſolymas petijſſet, tempore Henrici IV. Imperatoris, atque inter alios dictus quoque Wickherus illuc perveniſſet, frequentiſſimum hoc illi fuit, inimicos, unico valoroſo ictu, per medium diſciſſos proſternere: prout etiam cathaphractum quendam Turcam, à quo provocatus ad ſingulare certamen fuerat,

 ſimi-

ſimili ictu, Antiochiæ ſuper pontem, in duas deſuper partes diviſit. Id præſertim de valoroſo hoc milite notandum: quòd cùm equum quondam ſuum, gramina depaſcentem, à longè obſervâſſet, immanî leone è vicino monte decurrente (qui plurimòs jam non homines tantùm, ſed & equos dilacerârat) atque pleno curſu equum versùs appropinquante, ipſe Wickherus de baiulo hoc ſuò magìs, quàm de propriâ vitâ ſollicitus, mox ſcuto apprehenſo, gladioque diſtricto, jubatæ illi belluæ obviàm proceſſerit: quæ milite conſpecto, mox equi immemor, tota in hominem exacerbata, scutum ejus apprehendit. Verùm valoroſa Wickheri dextera, primo ſtatim ictu, caput cerebrumque Beſtiæ adeò confregit, ut ad pedes ipſius exanimis quantocyùs illa corruerit, ſicque magno totius exercitûs applauſu ipſe victor evaſerit: ſalutem non ſibi tantùm, ac equo ſuo, ſed & alijs à ferâ hac ulteriùs infeſtandis concilians.

Miranda certè gregarij hujus militis fortitudo! ſed magìs omninò miranda Virgineæ DEI Genitricis bellicoſitas: quæ unico puriſſimæ ſuæ Conceptionis ictu, non unum tantùm leonem, objecto Divinæ protectionis ſcuto, ac gladio deſtinatæ maternitatis proſtravit, ſed & *ſuper aſpidem, & baſiliſcum* inambulans, conculcavit *Leonem, & Draconem*, peccatum originale, mortale, ac veniale, verbo, omnes inferni vires, unico illo ictu dejecit. Nec mirum! ſi enim tantam Wickherus de ſuo equo curam habuit, ut ipſe pro conſervandâ ejusdem vitâ, propriam periculo vitam exponere non dubitârit; quanta cura non fuerit DEO, de ſuâ dilectiſſimâ Matre, in vitâ gratiæ omnî momento conſervandâ? Vitam certè, quam nondùm hauſerat, & mortem, quam necdùm oppetierat, pro tali Matris conſervatione, tanquàm ſcutum inexpugnabile, præſervativè exhibere voluit, ut de tartareo Leone Matri ſuæ dilectiſſimæ victoriam conciliaret.

### §. 7. *Anagramma.*

VIrgo InfeCta? nVLLo MoDo. 644.

*Virgo! an deturpata es à maculâ? minimè.*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS XCIII.

### §. I. *Scriptura.*

645. Chara GenItrIX, non ConDeMnata.

Joann. c. 8. v. 10. & 11. *Mulier! ubi ſunt, qui te accuſabant? nemo te condemnavit? quæ dixit: Nemo Domine. Dixit autem ei JESUS: Nec ego te condemnabo.*

Quæ verba, in præſentî, ex Evangelio recitata, benigniſſimus Salvator noſter, ad adulteram illam, ac peccatricem mulierem proferre dignatus eſt, eadem ipſa hodie ad mulierem non peccatricem, ſed peccati omnîs expertem, charam ſcilicèt Numinis Genitricem, uſurpare non vereor: *Mulier!* ſeu potiùs (ut cum Archangelo reverentiùs ad Virginem loquar) *Benedicta in mulieribus! ubi ſunt, qui Te accuſabant? nemo Te condemnavit?* maculæ nimirùm originalîs, non minùs quàm adulterium quodlibet, animam

mam deſioneſtantis? Reſpondere autem & illa mihi videtur: *nemo.* Et meritò; vel enim ijs, quibus MARIÆ exemptionem, à turpi hac maculâ, impugnare, ac ſaltem in dubium trahere, & verbo, & calamo, volupe fuit, ſilentium à ſummis Pontificibus impoſitum: vel, qui prærogativam hanc devotè jam pridem ſenſerunt, de die in diem ferventiùs illam tueri non deſinunt; hinc tanta extant Pontificum, ac Conciliorum, in hujus Myſterij favorem ſuffragia, tot Patrum, ac Doctorum teſtimonia, Univerſitatum, ac facultatum ſententiæ, minimè MARIAM accuſantium, multò minùs condemnantium, ſed pro immaculatâ ejus Conceptione, cum ſolenni ut plurimùm juramento, fortiſſimè decertantium. Atque ſi Scholas ſingulas compendio percurrere lubeat: non accuſat, nec condemnat eam Theologia ſpeculativa, imò demonſtrat, eſſentiam Divinam, ejúſque attributa, non infinitè fore perfecta, niſi Sapientia nôſſet, potentia valuiſſet, bonitas voluiſſet, futuram Verbi incarnandi genitricem à lege communi eximere. Non accuſat, nec condemnat eam Theologia moralis, imò abſolvit eam ab omni voluntario peccato, etiam voluntate alienâ contracto; cùm non deceat, ſuperioris voluntatem ſubijci voluntati inferioris, qualis Adam reſpectu MARIÆ fuerat. Non accuſat, nec condemnat eam Theologia Polemica, imò dicit, opinionem contrariam fore vel errori proximam, vel piarum ſaltem aurium offenſivam, poſt tot nimirùm Eccleſiæ conſtitutiones, ac Tridentini inſuper Concilij declarationes. Non accuſat, nec condemnat eam Juriſprudentia, imò ſi rationes huic Operi inſertas libeat examinare, pluribus, pro illâ defendendâ, Textibus proviſa invenietur; cùm *partus* præſertim *ventrem ſequatur*, adeoque bene dicamus omnes, cum muliere illâ Evangelicâ: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ ſuxiſti.* Non accuſat, nec condemnat

Luc. c. 11. v. 27.

eam Medicina, Ethica, Matheſis: imò remedium prima offert præſervativum, cum dicto: *Principijs obſta, &c.* Secunda Reginam anteponit ſubditis, majoremque Angelis MARIAM conſtituit. Tertia Lunam defectuoſam pedibus ejus ſubijcit, punctúmque reputationis Divinæ, in ejus Genitrice inviolatum requirit. Quid porrò de Philoſophiâ dicendum? num fortè illa MARIAM condemnabit? minimè gentium. Abſtrahit certè Metaphyſica ab omni labe, probè intelligens, ex MARIA, ac peccato, fieri nullo momento poſſe concretum, maculamque in eâ chimæram reputans, ac ens rationis Metaphyſicum. Pariter Phyſica invenire nequit materiam ſubjectivam peccati, dicens: MARIÆ generationem plùs fuiſſe opus gratiæ, quàm naturæ: nec admittens ullo momento vacuum in illâ, quæ *plena gratiâ* à Gabriele eſt ſalutata. Dialectica, Ambroſij dicto inhærens, ubi *MARIAM* ait idem ſignificare, ac: *DEUS ex genere meo*, probat, *genus* hoc eſſe debere à peccato liberum, niſi & *individuum*, nempe Filium, velimus ejusdem peccati reum dicere. Rhetorica, & Poëſis non accuſant, nec condemnant MARIAM, imò millenis eam laudibus, ſoluto, ligatoque ſtylo floridè deprædicant, immaculatamque perorant. Tandem (ut de minimis quoque non minima loquar) nec Syntaxis, nec Grammatica invenit, per quam regulam MARIA Accuſativum pati deberet culpæ, quæ Genitivum æterni Verbi promeruit; convenire potiùs exiſtimat tantæ gratiæ Dativo, Ablativum culpæ originalis, quam conjungere cum MARIA, ex eo ſibi videatur difficile, quòd requirat illa Participium plusquàm perfecti: magnum denique fore ſolæciſmum, in ipſis etiam Rudimentis pietatis, ſcribere MARIAM cum peccato originali conceptam: nec Præmio certè condecorandum eſſe, niſi illum, qui Argumentum, de Conceptione Deiparæ, ſine tali, quamvis minimo,

de Inſtit. Virg. c. 5.

ac inſtantaneo erroreſit compoſiturus. En! quomodò nemo ſit, qui MARIAM condemnet? ut mirum adeò videri non debeat; omnibus his in Ejusdem ab originalî exemptionem conſentientibus, receptam hanc ſententiam eſſe, non in Galliâ tantùm, Angliâ, & Hiſpaniâ, ſed in Germaniâ etiam, Scotiâ, Hiberniâ, Sclavoniâ, Pannoniâ, Italiâ, &c. Unum ſupereſt, ut quid ipſi etiam Hæretici, Judæi, Turcæ, de Virginis Conceptione ſentiant? num audeant eam illi condemnare? curioſiùs inveſtigemus. Atque ne nimiùm longus ſim, prætereundo Rotterodamum, & alios, unum ex hæreticis Lutherum adduco: *MARIA Virgo*, inquit ille, *juxta corpus quidem ſine gratiâ, juxta animam autem, plena gratiâ concepta eſt: hoc ſibi volunt verba illa, quæ Angelus Gabriel ad eam dicebat: Benedicta tu in mulieribus; non enim ad eam dici poſſet benedicta tu, ſi aliquando maledictioni obnoxia fuiſſet. Dignum etiam, ac juſtum erat, hanc perſonam ab originali peccato præſervari, de quâ Chriſtus ſumpturus erat carnem, quâ omnia peccata ſuperaret.* Hæc Lutherus. Judæos quod attinet, fatentur ij, matrem veri Meſſiæ debere eſſe, ſine originali culpâ. Turcæ denique (ut alibi retulimus) Machometem ſuum ſequuntur, *in Alcorano* hæc ſcribentem: *Nullus eſt ex Adam, quin tenuerit eum ſathan, præter MARIAM, & Filium ejus. Ubi ſunt* ergo (ſi denuò quærere ex Te liceat) Virgo Beatiſſima, mulierum feliciſſima! *qui Te accuſabant? nemo Te condemnavit?* dumque reſpondes: *nemo*, aliud mihi non ſupereſt, niſi dicere: *nec ego te condemnabo*, ſed ad ultimum uſque vitæ halitum, immaculatam Tuam conceptionem pro viribus propugnabo.

Poſtill. latin. major ſuper Feſtum Concept.

## §. 2. *Authoritas.*

646. Theophanes NICænVs, pVraM DICens.

1. *Inveniſti gratiam apud DEUM, quam invenit nulla alia quæpiam, O Immaculatiſſima! Tibi gratia eſt data, O DEI Genitrix! Tibi omnis creatura clamat: O DEI Nympha! Tu enim ſola Mater Filij prælecta es pura.* In Hymn. Annunc. B. V.
2. *O Virgo, omnipotentis artificis, Spiritûs, agricultura, quo corpus Domino univerſorum fructificâſti, in quâ condemnavit peccatum Orbis, & vitam fontificavit perennem.* In Salut. ad B. Virg.
3. *Salve! per quam ſumus lætitiam conſecuti ſempiternam. Salve! quæ ſuſtuliſti triſtitiam Evæ, unàque dejectionem Adami in hilarem planè vultum mutâſti.* Ex Menæis. 9. Jan. Ode 8.
4. *Immaculatæ, & omnium Sacratiſſimæ Virgini MARIÆ acclamatione fauſtâ plaudamus; nam ex ipsâ donorum nobis Cœleſtium, quæ mentem humanam excedunt, ſcaturigo promanat, ut, quæ eſt torrens quidam bonitatis Divinæ.* 17. Jan. Ode 7.
5. *Te O Virgo Mater! præviderunt Prophetæ, tanquam Tomum quendam, ſeu librum planè intaminatum, in quo conſcriptum eſſet Verbum Divinum, cujus Divinitas incircumſcripta exiſtit.* 25. Jan. Ode 6.
6. *O à cunctis ſordibus incontaminata, & ſuper omnes inculpatos inculpatiſſima Domina! antiquus ille dierum in ſanctificatum uterum tuum, tanquam imber deſcendit in vellus: moxque apparuit novus, velut novus Adam, & amator gentis humanæ.* 23. Febr. ante init. Odes 4.

## §. 3. *Ratio.*

ACtore nIL DeMonſtrante, tV abſoLVerIs. 647.

DAmnari nequit, niſi aut convictus, aut ſpontè confeſſus. *cap. primo 2. q. 1. C. de cohabit. Cleric.* hinc juxta L. *qui accuſare* 4. C. de eden. L. *actorum* 23. C. de probat. *Actore non probante, reus abſolvitur; affirmanti enim incumbit probatio, non neganti.* Malus non præſumitur, ſed probatur. Sed Beata Virgo nec fuit confeſſa, nec probata, nec convicta de peccato originalî. Ergo damnari nequit, quod ullo

ullo unquam tempore illud incurrerit. Min. Prob. Primò non eſt confeſſa; quia hujus ab ipsâ editæ confeſſionis deberet extare authenticum inſtrumentum, vel teſtimonium, quod tamen exhiberi nequit. Secundò, nec eſt probata; quia omnes rationes hucuſque adductas, contrà immaculatam Conceptionem, diſſolverunt facilè SS. PP. Ildephonſus, Anſelmus & alij: prout etiam Scotus publicè Pariſijs ducenta ſimilia argumenta, ſummâ omnium admiratione eluſit: ut alibi vidimus. Nec denique convicta; licèt enim contrarium olim ſenſerint aliqui; tamen defactò multò plures, imò quasì omnes Catholici immaculatam Conceptionem conteſtantur. Ergo Beatiſſima Virgo, utpotè nec confeſſa, nec probata, nec convicta, ab originalî eſt abſolvenda.

## §. 4. *Hiſtoria.*

648. InVoCatIo ILLIbatæ DeIparæ, frangIt IraM.

OFfendebat fortè in capitalem ſuum inimicum Italus quidam, ac civis Aquilanus: jamque humanâ præoccupatus fragilitate, irâ præproperante, occidere illum ſtatuebat; cùm arrepto, hunc in finem, gladio, mentem hominis ſalutaris ſubibat cogitatio, propoſitum hoc ſuum Divinæ Majeſtati ſummè fore contrarium, ac idcircò minimè executioni mandandum. Quapropter ex piâ devotione, ad Beatiſſimam DEI Genitricem converſus, humiliter rogabat, ne permittere illa, per ſuam immaculatam Conceptionem, vellet, ut tam gravî peccato, atrocîque in proximi vitam auſu, propria à ſemetipſo conſcientia contaminetur. Vix hæc piè ſecum cogitabat; cùm ecce! adeò gladium ſuâ in vaginâ retortum animadvertit, ut nullo modo extrahi poſſet, nec ad ictum, aut percuſſionem tam facilè ampliùs deſervire. Ambo igitur antagoniſtæ, ferventis concertationis locò, contendere ab illo momento cœperunt, in fervore pio, quis nimirùm majori, ac ardentiori impoſterùm devotione, MARIAM ſine labe conceptam proſequi poſſet, ac deperire? Gladius verò dicto modo mirabiliter retortus, pro jugi tantæ rei memoriâ, etiamnùm Aquilæ aſſervatur, ac oſtenditur. *Bernardin. de Buſti Serm. 7. de Concept.*

## §. 5. *Symbolum.*

AqVa, à MaLeDICtIone abſoLVta. 649.




Juſta Creatoris tetigit maledictio Terram:
Non lego, quòd placidis hic maledixit Aquis,
Primus homo cecidit: tetigit maledictio cunctos:
Numinis una Parens non maledicta fuit.

*Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Cant. c. 4. v. 15.

## §. 6. *Antiquitas.*

MeteLLVs, pro genItore sVo InterCeDens. 650.

MEtellum, pro genitore ſuo, adeò copioſis lachrymis, precibusque ferventiſſimis, apud populum Romanum interceſſiſſe, ut *Pij* exinde cognomen retulerit, fusè Sabellius, *lib. 3.* deſcribit. Hiſtoriam

pau-

paucis accipe: In civilibus bellis, quibus inter ſe Antonius, atque Octavius decertârunt (quemadmodùm ſæpiùs evenire ſolet) contigit, ut fratres cum fratribus, & cum filijs parentes, diversâ acie concurrent. itaque poſtremo prælio, quo Octavius Antonium devicit, Metelli genitor, alios inter, ad Octavium captivus deducitur: cujus facies, quamquàm propter anxietatem, carcerisque moleſtias, à conſuetâ admodùm mutata videretur, à filio tamen Metello, qui Octavij partes tenuerat, primo momento agnitus fuit; Hinc filialî plenus pietate, ſtatim in parentis amplexum cucurrit, deinde lachrymabundus ad Octavium his verbis convertebatur: *Hic quidem hoſtis tuus mortem meritus eſt: ego autem præmio ſum dignus; quia tibi fideliter inſervivi: Oro igitur te, ut pro eo, quod à te mihi debetur munere, hunc ſerves incolumem, meque pro eo morte afficias.* Placuit generoſa Metelli, pro genitore ſuo intercedentis oratio Victori Octavio, tantâque filij pietate permotus, Metellum patrem, quem mori aliàs cum pluribus alijs oportuiſſet, eidem dono conceſſit.

Simile quid in bello illo, DEUM inter, hominemque inito accidiſſe videtur; cùm enim ſub infelicibus Adami vexillis, ſerpente duce, totum humanum genus diræ ſtragi, ac captivitati æternæ traderetur, jamque ipſa Divini Numinis futura Genitrix, imminente conceptionis ſuæ inſtanti, (ob debitum ſaltem remotum, contrahendi originalis peccati) eidem cum alijs captivitati eſſet ſubijcienda: ecce pyſſimum Metellum, Unigenitum nimirùm DEI Filium! qui ſtatim obſervans, ac præcognoſcens, hanc Matrem ſuam humanâ in carne futuram, in Parentis benedictæ amplexum velociſſimè currens, ſic Cœleſtem Patrem videtur allocutus: *Hanc ſi conſideres præcisè ut Adæ peccantis filiam, ſine dubio, primo ſtatim Conceptionis ſuæ momento, ob hæreditariam parentis ruinam, maculæ, æternæque per conſequens morti obnoxiam fore confiteor. Veruntamen oro te, ut pro eo munere, quod mihi Filio tuo, æternùm tibi fideliſſimo, ac per omnia coæquali debes, hanc Matrem meam ſerves, ac præſerves incolumem, & immaculatam! quod ut faciliùs obtineam, me pro eâ occidas, id eſt, meum aliquandò humanâ in carne effundendum ſanguinem, pro ejus præſervatione acceptes!* Quid ergo mirum, ſi tantâ in puriſſimam Genitricem Filij pietate commotus æternus Pater, illi Mariam (quam aliàs, unà cum reliquis, cadere oportuiſſet) à caſu liberam dono dederit?

### §. 7. *Anagramma.*

Magna aDVoCata, tV ILLIbata! 651.

*Mundi Patrona, age, jure immaculata es!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XCIV.

### §. 1. *Scriptura.*

652. DeIpara peCCatI haVD argVenDa.

Joann. c. 8. v. 46. *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Quod innocentiſſimus mundi Redemptor tentantibus aliquando Judæis, ut eum accuſare poſſent, dixerat: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* hoc ipſum Beatiſſimam ejus Matrem, optimo jure, de ſe

ſe quoque aſſerere poſſe, nulli eſſe dubium poteſt, eo præſertim ex capite, quod (juxta Conceptum ſuperiorem) à nemine ſeſe condemnatam, gaudeat Mater, non tantùm in vitæ totius decurſu, ſed etiam in ipſo Conceptionis ſuæ exordio, per omnia inculpabilis. Quòd ſi Divinus ejus Filius, Agnus immaculatus, per ea verba: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Judæorum confudit perfidiam, audaciamque calumniantium compeſcens,
Sap 10. v. 14. *mendaces oſtendit, qui maculaverunt illum*: mendaces etiam, occaſione hujus textûs, oſtendam ego, & temerarios omnes illos, qui maculam MARIÆ affingere in Conceptione allaborant. Hi enim, qui puriſſimam DEI Genitricem peccati *arguunt*, ejusdemque Conceptionem labe infectam calumniantur, nil aliud efficere videntur, quàm quòd amaras ex Divini Filij oculis lachrymas exprimant; quid enim ægriùs ferret filius erga Matrem devotus, quàm eam videre, intolerabilî affictæ labis ignominiâ infectam? qui proinde, ut pietati Filij ſatisfaceret, amaras certè lachrymas effundere teneretur, ob tantam innocenter redargutæ Matris infelicitatem. Sed lubeat Conceptui noſtro ex veteri teſtamento confirmationem quærere. Mortuo tandem magno illo Patriarchâ Jacobo, Fratres Joſephi, timore correpti, ſic ad caſtiſſimum hunc Ægypti Præſulem ſunt locuti: *Pater*
Gen. 50. v. 17. & ſeq. *tuus præcepit nobis, antequàm moreretur, ut hæc tibi verbis illius diceremus: Obſecro, ut obliviſcaris ſceleris fratrum tuorum, & peccati, atque malitiæ, quam exercuerunt in te: nos quoque oramus, ut ſervo DEI, Patri duo dimittas iniquitatem hanc.* Hìc examinare mihi liceat amaras Patriarchæ Joſephi lachrymas; ut enim Sacer Textus immediatè ſubjungit: *His auditis flevit Joſeph.* Cur ergo, Vir præclariſſime! modò lachrymas fundis, qui mirâ quondam fortitudine, Regiam illam pulchritudinem te allicientem ſuperâſti? Verùm multa ſe offerunt hac de re dicenda. Flevit enim Joſeph; quia Fratres ejus, cùm eſſent orti ex Perilluſtri Jacobi genere, petulanter mentiri non erubeſcebant, verba illa, à Patre, animam jam agente, commendata fingentes, ut notavit Lyranus, *ſuper præfata verba*, ubi Nobiles reprehendit à veritate aberrantes, & amplectentes mendacia. Flevit etiam; quia putavêre Fratres, Joſephum præteritam proditionis injuriam vindicaturum: quo non modicùm dedecorabatur ejus virtus & nobilitas; cùm vindictam ſumere de injurijs, ignominioſiſſimum, deque viro ingenuo id ſuſpicari prorſus ſit lachrymabile. Ego interim ad rem præſentem reſpondeo: ideò fleviſſe Joſephum; quia cùm Fratres ejus redigerent in memoriam, proditionem illam Iſmaelitis factam, eo ipſo Parentem quoque Jacobum tanti flagitij complicem facere, ac ejusdem cum filijs inquitatis *arguere* videbantur, dicendo: *Nos quoque oramus, ut ſervo DEI, Patri tuo dimittas iniquitatem hanc.* Hinc minimè mirandum, quòd Joſeph lachrymas effundat, cùm audit, Patrem quoque fraternæ proditionis *argui*, eâdemque cum undecim fratribus culpâ maculari? Alienum namque ſcivit Jacobum à tanto crimine; attamen, quia audivit, à fratribus flagitij illum *argui*, quamvìs falſi, in amaras meritò reſolvitur lachrymas, etiam falſum in Patre crimen deplorans. Et ſanè, quomodo fieri poſſet, Jacobum contraxiſſe culpam, & Joſephum filium ex eâ dedecore non affici? Ex quo ſequens pro firmando noſtro Conceptu deduci poteſt argumentum. Si Joſeph vel mentitum ob crimen, à Fratribus Parenti impoſitum, adeò triſtatur, ut lachrymas cohibere non poſſit: quas lachrymas Chriſtus non effunderet, ſi MARIÆ puriſſimæ ejus Genitrici (quæ eſt decor, & *ſtella Jacob*) mortifera illa Protoparentum culpa imponeretur? ſi labe originalî infecta diceretur? ſi *de peccato*, quod nullo unquam momento contraxit, impiè à malignantibus *argueretur?* præſertim, cùm timere eti-

am ipſe haud immeritò poſſet, ne talis culpa, Matri ſuæ imputata, in ſe quoque, tanquam Filium, aliquomodò transfunderetur. Timeant ergo tales, qui MARIAM labis *arguendo*, Divinis ex oculis lachrymas eliciunt: & ſibi factam credant illam æterni Judicis comminationem: *Arguam te, & ſtatuam contra faciem tuam.* Pſal. 49. v. 21. Ne ergo nobis idem aliquando obveniat, non ſolùm MARIAM peccati *arguere* humiliter abſtineamus, verùm etiam totis viribus immaculatè Conceptam defendere allaboremus, ut cum Regio Vate fructuosè & nos orare, ac Virgine mediante impetrare poſſimus: *Domine ne in furore tuo arguas me, neque in irâ tuâ corripias me, &c.* Pſal. 37. v. 1.

## §. 2. *Authoritas.*

653. S. ThoMas ApoſtoLVs, CeLebrIs DeIparæ propVgnator.

*O MARIA! quàm felix es, & fortunata, quæ initio & ante ſæcula, & in initio viarum DEI, ab ipſo electa fuiſti, & Adæ peccato prævíſo non fuiſti cum omnibus alijs condemnata. Sed voluit DEUS, ut merita Filij tui tibi ſuper omnes prodeſſent, Teque pro minimo momento noluit inimicam, ſed ſemper pro chariſſima amicâ.* Serm. in Tranſitu B. V. apud Amadeum, raptu 8.

## §. 3. *Ratio.*

654. De CHRISTO, VIrgInIs genIto, benè ſCrIpsIt ThoMas.

DE Chriſto, Virginis genito, benè ſcripſit D. Thomas; ſic enim verba ſonuêre imaginis ipſius Chriſti, è cruce pendentis: *Bene ſcripſiſti de me Thoma!* Ergo pariter bene ſcripſit D. Thomas de immaculatâ ejusdem Matre; cùm eodem prorsùs oraculo tam ſuam Sanctitatem, quàm Matris ab originalî labe immunitatem, approbâſſe Crucifixus videatur. Prob. Conſeq. quo enim pacto ſtaret, Angelicum Magiſtrum de Chriſto, Virginis genito, benè ſcripſiſſe, niſi per eandem è Cruce pendentis cenſuram à Sanctiſſimâ Matre id omne ſentiret remotum, quidquid ad ignominiam, & infamiam in Filium redundaret? *Gloria* quippe *filiorum Patres eorum.* Prov. 17. Unde per oppoſitum, ignominia Matris in filium redundâſſet. Atqui nil magìs ad ignominiam & dedecus redundat, quàm peccatum, vel ad inſtans contractum; cùm hoc ex ſuâ naturâ ſit ipſa ignominia, & indecentia: Ergo ſi D. Thomas de Chriſto Virginis Genito, immaculato, & ſegregato à peccatoribus, benè ſcripſit, approbante ipſo Chriſto: ſequitur, eodem oraculo, Matris puriſſimam, & immaculatam conceptionem approbatam fuiſſe, ne ignominia Virgineæ Matris in Genitum tranſijſſe videatur.

## §. 4. *Hiſtoria.*

InterfeCto In CataLonIâ CanonICo VIta proLongata, pro DefensIone ConCeptæ DeIparæ. 655.

ANnus agebatnr, à reparatâ ſalute, Milleſimus, Quadringenteſimus, Vigeſimus Octavus, cùm Manreſſæ, in Cataloniâ, Franciſcus Muleti, Eccleſiæ Collegiatæ Vicenſis Canonicus, Juris Baccalaureus, ab hoſte ſuo infenſiſſimo, Franciſco de Planes, crudeliter interfectus, ad terram prolaberetur, homicidiâ paullò poſt commeritas pœnas dante, atque è malâ cruce, alijs ad terrorem, ſuſpenſo. Quod autem hìc ſpecialiter notandum occurrit, eſt: dictum Canonicum, poſt quatuor ab interfectione horas, vitæ reſtitutum, ſurrexiſſe, ac in multorum præſentiâ, talia profari cœpiſſe: *Scitote! me per quatuor haſce horas in medio purgatorij habitâſſe, qui aliàs ob certa quædam peccata æternùm haud dubiè damnandus fuiſſem, niſi validâ interceſſione immaculatæ DEI*

*DEI Genitricis*, *adhuc evaſiſſem*, *Hujus ergò precibus vitæ redditus ſum*, *ut publicè coram vobis devotam hanc pro immaculatâ Conceptione ſententiam conteſtarer*, *ac MARIÆ præſervationem*, *cui in vitâ hactenùs adverſatus fueram*, *in omnium præſentiâ profiterer*: *hunc in finem*, *benigniſſimum Numen novem mihi adhuc horas aſſignavit*, *dein iterum morituro.* Dixit, & finito novem horarum ſpatio, iterùm vixit. Factum hoc prodigioſum communiter ab Hiſpanis *Miraculum Manreſſæ* dicitur, illudque perantiqua pictura, in muro ejusdem Collegiatæ Vicenſîs Eccleſiæ, hodiedùm atteſtatur. *Joannes Nierenbergius in cap. 4. vitæ S. Ignat. Franciſcus de Torres*, *d. 2. de Concept. cap. 4. Joannes Biſſelius Soc. JEſu in Exemp. Quadrageſ. Exemp. 30.*

## §. 5. *Symbolum.*

656. A Cæſare DIVIno, aMata CerVa.




Cæſatis hanc chatam noli ( tibi ſuadeo ) Cervam
Tangere, quam chara eſt vita vel ipſa tibi.
Cæſaris at ſummi Matrem magè tangere noli,
Dicendo impuram, quæ ſine labe fuit.

*Cujus eſt imago hæc*, *& ſuperſcriptio? Dicunt ei Cæſaris.* Matth. c. 22. v. 20.

## §. 6. *Antiquitas.*

ApoſtoLI hæsItatIo, aLIorVM In fIDe ConfortatIo. 657.

Abſurdum fortaſsè nonnulli videbitur, geſtum quoddam Apoſtoli, Antiquitatibus, aut omninò fictis, aut ſi veris, plerumque tamen profanis annumerare; Veruntamen quid communius, obſecro! cum gentilium erroribus, quàm Thomæ, licèt Apoſtoli, vix corrigenda infidelitas? *niſi videro*, *non credam*, dixit ille, ſat longo abhinc tempore, ante mille nimirùm, ſexcentos ſeptuaginta novem annos. Occaſionem prætereà deſumpſi, tam ab Authoritate, quàm Ratione, huic Conceptui inſertâ, quarum prima Thomam Apoſtolum, altera Aquinatem concernit: ut vel ideò Antiquitatem utrique communem adjungere, non inconſultum duxerim. Sic autem res ſe habet: Cùm pientiſſimus Redemptor noſter gloriosè à mortuis reſurgens, paullò poſt diſcipulis ſuis apparuiſſet, dicens: *Pax vobis! ego ſum*, *&c.* Jo. c. 20. & Thomas cum illis non fuiſſet, dubitavit ille, atque in ſupradicta verba incautus prorupit: *niſi videro*, *&c. non credam.* v. 25. Attamen ex ipsâ hâc hæſitatione non modica Eccleſiæ novellæ procrevit utilitas; plus enim lucis, dubitatione ſuâ, reliquis fidelibus Thomas contulit, quàm ſi cum cæteris Apoſtolis in luce Fidei nunquam caligaſſet; ſic namque factum, ut de caliginoſis Thomæ tenebris, Divina lux in fidelium cordibus clariùs reſplenduerit, & veritas ventilata plus radiârit. Atque hoc eſt, quod magnus noſter Gregorius *homil. 26. in Evang.* clarè inſinuat, dum ait. *Plus nobis Thomæ infidelitas ad fidem*, *quàm fides credentium diſcipulorum profuit*; *quia dum ille ad fidem palpando reducitur*, *noſtra mens*, *omnî dubitatione poſtpoſitâ*, *in fide ſolidatur.*

Id, quod in hoc caſu circà myſterium Dominicæ Reſurrectionis accidit, hocipſum in alio caſu circà

 my-

myſterium Marianæ immaculatæ Conceptionis eveniſſe, nemo eſt, qui neſciat; Ex adverſariorum nempe altercatione, hæc veritas magìs ſemper, ac magìs illuxit: ut verificatum jugiter fuerit illud Caſſiani *lib. 1. de Incarn. c. 6. Semper veritas ventilata plus rutilat.* & quemadmodùm ibi Thomas hæſitans aliorum fuit in fide confortator: ſic in caſu noſtro, alius Divus Thomas, Doctor nimirùm Angelicus, de ſingularî immaculatæ Conceptionis myſterio aliquandò dubitando, & diſputando, vel (ut quidam volunt) negando, plùs tamen ad piam opinionem, & venerationem, in fidelium cordibus ſolidandam contulit, quàm antiquæ omnium Patrum, ac Doctorum, pro Virgine defendendâ, ſententiæ profuêre: etſi Angelicum hunc Doctorem, pro immaculatâ Virginis Conceptione fortiter ſtare, ex ejuſdem Authoritate, ac ſententijs, Conceptu ſequentî fideliter adducendis, imò ex teſtimonijs omnî exceptione majoribus, Eminentiſſimi p. m. Cardinalîs noſtri Sfondrati, abundè maneat demonſtratum.

### §. 7. *Anagramma.*

IaM VaLe, Labe Carens, 658.
pVra DeIpara!

*Jam vale, ſemper munda, intacta Virago!*
Verſio litteralis.
*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XCV.

### §. 1. *Scriptura.*

659. NON IntraVIt ADæ peCCatVM.

Paul. ad Rom. 5. v. 12. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt.*

O Diram introgreſſi in hunc mundum *peccati, mortiſq;* concomitantis memoriam! quam veritas illa Catholica, à S. Concilio Tridentino nobis propoſita, ſollicitè inculcat; docet enim hæc Sancta Synodus: poſt peccatum primorum parentum, per traductionem naturæ, traduci etiam peccatum originale, unicuique proprium, quæ (ut ibidem ait Concilium) *mors eſt animæ.* Hanc mortem communem, ſub egregiâ quondam metaphorâ, Ezechiel prædixerat, ijs verbis: *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt.* Sed clariùs illud ipſum Jeremias inſinuavit, dicens: *Patres noſtri peccaverunt, & non ſunt, & nos iniquitates eorum portavimus.* Porrò non me latet, multos hanc veritatem hæreticos oppugnâſſe, quorum non minimus, Julianus ille apoſtata dicebat: *Non peccat iſte qui naſcitur: non peccat ille qui genuit: non peccat ille, qui condidit: per quas igitur rimas, inter tot præſidia innocentiæ, peccatum fingis ingreſſum?* Verùm audi hæretice verba Pauli, pro Conceptûs noſtri Themate adducta! quibus clarè oſtendit rimas, per quas ad nos penetravit peccatum: *Per unum*, inquit, *hominem, peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt.* atque, ut modum, quo ſubintravit peccatum originale, clariùs intelligas, familiarem quandam ſimilitudinem auſculta! Certè, ſi conſideres frumentum, quod terræ mandatur, nec in eo paleas reperies, nec illæ in manu ſeminantis adſunt, nec in terrâ, in quâ ſeri-

Seſſ. 5. decr. de pecc. orig.

c. 18. v. 2.

Thren. 5. v. 7.

Teſte Auguſt. ad Valer. de nuptijs c. 28. tom. 7.

ſeritur, præexiſtebant, nec tandem cum pluviâ Cœleſti, quâ terra illa irrigatur, decidunt: & nihilominùs frumentum poſteà paleâ involutum naſcitur. Haud aliter ergò peccatum originale nec erat in animâ, quæ ſecundùm ſe omni maculâ caret: nec erat in manu DEI creantis; cùm ipſe ſit fons totius puritatis: neque in utroque parente generante, quos ſupponimus juſtos, & ſanctos eſſe: nihilominùs tamen, dum per naturalem propagationem anima tangit carnem, ex primo illo prævaricatore ortam, in quo omnes nos peccavimus, peccati turpitudinem contrahit quò clarè collimare videntur verba illa Auguſtini: *Pone juſtum baptizatum, tanquàm granum purgatum: non attendis, quia de grano purgato naſcitur frumentum cum paleâ, ſine quâ ſeminatum fuerat?* quo autem modo id fiat, in hunc modum explicari debet: nimirùm, quòd Adam fuit conſtitutus à DEO caput ſuæ poſteritatis, tam naturale, quàm morale: naturale quidem; quia omnes poſteri ab eo erant per naturalem generationem propagandi: morale verò; quia in illius deliberatione conſtituit DEUS, tam pro ſe, quàm pro filijs ſuis, permanentiam in ſtatu innocentiæ, vel culpabilem illius amiſſionem: unde in voluntate Adæ, moraliter conſtituit DEUS voluntatem omnium noſtrûm. Ex quo factum, ut ipſo transgrediente Divinum præceptum, omnes in illo transgreſſores facti ſimus, quoad ſufficientiam quidem, antequàm generaremur: quoad efficaciam verò, quandò actu geniti ſumus; tunc enim actu contrahit homo peccatum ipſum originale, quod licèt non ſit voluntarium actu proprio, & formalî, verè tamen quaſi virtualiter & interpretativè, in actu primi parentis, quatenùs in ejus voluntate, ut in capite morali, omnium noſtrûm voluntates continebantur, & omnes in illo unum eramus. Quod ex unico Divi Thomæ exemplo clariùs patebit: Omnes enim cives pro uno corpore reputantur, & quod Reipublicæ capita efficiunt, omnia illius membra feciſſe dicuntur. hinc licèt e. g. nil magìs voluntarium debeat eſſe, quàm votum; nihilominùs, ut votum jejunij alicujus Civitatis obliget futuros cives, nondum natos, ſufficit votum illud emiſiſſe, non per ſeipſos, actu proprio, ſed per actum eorum, qui capita erant Reipublicæ, in quorum voluntate cenſebantur eorum voluntates moraliter exiſtere: ſic ergò, quia voluntates omnium poſterorum continebantur in Adamo, velut in capite morali, originalia eorũ peccata cenſentur voluntaria, quatenùs membra erant illius capitis.

De verb. Apoſt. Serm 14.

Verùm quid poſt longam hanc originalîs peccati explanationem, de MARIA dicendum? num & in illam Adæ *peccatum* ac conſequenter *mors pertranſijt?* Aſſero ego indubitanter, quòd licèt peccatum primi parentis, ob rationes dictas, habuerit ſufficientiam, ad maculandam Beatam hanc Virginem, ſicut & reliquos Adæ poſteros: re tamen ipsâ non habuit efficaciam *intrandi* in eam, aut inferendi ei maculam aliquam; quia Filius DEI prævidens illam ipſius Matrem futuram, ſuâ eam gratiâ, ne inficeretur, præmunivit: ſicque *intrare* non poterat *peccatum*, in quam intrare ſecunda Deitatis Perſona ſtatuerat. Addo prætereà, Sacris in paginis ſæpiùs per *mundum* ſignificari *homines, gratiâ Divinâ vacuos*: ſic enim Chriſtus ipſe videtur locutus, dum ait: *Mundus eos odio habuit; quia non ſunt de mundo: ſicut & ego non ſum de mundo.* Jo. 17. v. 14. Cùm ergò MARIA ſemper *gratiâ plena* fuerit, quis credat, MARIAM in hac *mundi* ſignificatione comprehendi, quando dicitur *per unum hominem in mundum intrâſſe peccatum, & per peccatum mors?* dicendum potiùs: ſicut omnipotenti DEO placuit, Apoſtolos quandóque ſuos liberare, *ne computarentur de mundo*, hanc ipſam gratiam multò magìs dilectiſſimæ ſuæ Matri in Conceptione conceſſiſſe, ſicque *Adæ peccatum in eam non intrâſſe.* O utinam

 non

non *intrarent* in nos frequenter alia *peccata* actualia, & per illa formidabile æternæ *mortis* periculum!

## 660. §. 2. *Authoritas.*

### S. thoMas AqVInas, faVtor ConCeptæ DeIparæ.

1. *Poteſt aliquid creatum reperiri, quo nihil purius eſſe poteſt in rebus creatis, ſi nullâ contagione peccati inquinatum ſit: & talis fuit puritas Beatæ Virginis, quæ à peccato originali, & actuali immunis fuit.* In 1.um ſent. diſt. 44. a. 3. ad. 3.um

2. *Virgo fuit electa Divinitùs, ut eſſet Mater DEI, & ideò non eſt dubitandum, quin DEUS, per ſuam gratiam, eam ad hoc idoneam reddidit, ſecundùm quod Angelus ad eam dicit: Invenisti gratiam apud DEUM: ecce concipies, &c. non autem fuiſſet idonea Mater, ſi peccaſſet aliquando, tum quia honor parentum redundat in prolem, &c. unde & per oppoſitum, ignominia Matris ad Filium redundâſſet: tum etiam, quia ſingularem affinitatem habuit ad Chriſtum, qui ab eâ carnem accepit. Dicitur autem 2. ad Corinth. 6. Quæ conventio Chriſti ad Belial? tum etiam, quia ſingularî modo DEI Filius, qui eſt DEI ſapientia, in ipsâ habitavit, non ſolùm in animâ, ſed etiam in utero. Dicitur autem Sap. 1. In malevolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis.* Part. 3. q. 27. a. 4.

3. *Virum ex millibus unum reperi, ſcilicèt Chriſtum, qui eſſet ſine omni peccato: mulierem autem ex omnibus non inveni, quæ à peccato omninò immunis eſſet, ad minùs originalî, vel venialî. Excipitur puriſſima, & omnî laude digniſſima Virgo MARIA.* Lect. 6. in c. 3. Ep. ad Galat. NB. Hic Textus, licèt in recentioribus editionibus omiſſus, tamen reperitur in antiquis.

4. *MARIA puriſſima fuit, quantùm ad culpam; quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* Opuſc. 4. de Salut. Angel. teſtantibus id Catherino, Caniſio, Salmerone, &c.

## §. 3. *Ratio.*

### IVra poſterIora, nVnqVaM Derogare poſsVnt IVrIbVs 661. prIorIbVs, nIsI In CasIbVs, à Lege ſatIs eXpreſsIs.

SI Beata Virgo dici poſſet pro aliquo inſtantî infecta peccato originalî, ratio eſſet; quia pariter cum cæteris mortalibus fuiſſet ſubjecta huic legi, & ſtatuto: *Omnes in Adamo moriuntur*: Atqui huic legi non erat ſubjecta. Ergo, &c. Min. Prob. Huic ſtatuto ſubjectus non eſt, qui per privilegium acquiſivit jus, ut præſervetur ſemper immunis ab omnî peccato. Sed tale jus ab æterno Maria acquiſivit. Ergo dicto ſtatuto ſubjecta eſſe nequit. Maj. patet; In tantum enim quis ſubjectus eſt huic ſtatuto, in quantum actu contrahere poteſt peccatum. Sed qui habet jus, ut ſemper præſervetur ab omnî peccato, nullum peccatum actu contrahere poteſt: Ergo, qui tale habet jus, ſtatuto illi: *Omnes in Adamo moriuntur*, ſubjectus eſſe non poteſt. Min. verò Prob. quando quis, per privilegium acquiſivit aliquod munus, eoipſo etiam per illud acquiſivit jus, ad ea omnia, quæ ſunt neceſſaria, & connexa cum tali munere. Sed B. Virgo ab æterno, per privilegium, acquiſivit munus Maternitatis DEI, & ſimul præſervatio ab omni peccato eſt quid neceſſarium, & connexum cum tali munere: ut alibi probavimus. Ergo ab æterno habuit jus, ut præſervetur ab omni peccato. Dices: Huic Juri derogari per poſterius jus, ſive per illud ipſum ſtatutum: *Omnes in Adamo moriuntur.* Sed contrà eſt commune Axioma Juridicum: *Jura poſteriora nunquam poſſunt derogare prioribus, niſi in caſibus, à Jure expreſſis:* Atqui hic non eſt caſus à Jure expreſſus: Ergo huic

Juri priori, de immunitate ab omni peccato, non poteſt derogari, per hoc poſterius: *Omnes in Adamo moriuntur.*

### §. 4. *Hiſtoria.*

662. pVerVLVs AnnI, & MensIs VnIVs, pro VerItate, qVatVor VersVs DIſtInCtè pronVntIans.

QUàm benè cecinerit Pſalmiſta Regius, dum Pſal. 8. verſ. 3. ait: *Ex ore infantium, & lactentium, perfeciſti laudem, propter inimicos tuos, ut deſtruas inimicum, &c.* id ſequens confirmat miraculum: dum in quadam Hiſpaniæ Urbe, innocens tredecim menſium puerulus, nè verbum adhuc integrum effari doctus, ſed tantùm inconditè quandoque balbutiens, in honorem tamen Beatiſſimæ Virginis, ſine labe conceptæ, pulcherrimos quatuor verſus diſtinctiſſimè pronuntiavit, ſicque omnes Mariani hujus privilegij impugnatores validè confundendo, non exiguam digniſſimæ Numinis Genitrici, ex ore ſuo, laudem perfecit. Fuit autem hoc miraculum, Anno Milleſimo, Sexcenteſimo, Decimo ſeptimo, Romam transmiſſum, ab ipſo Hiſpalenſium Archi-Epiſcopo, cùm ibidem ritè priùs diſcuſſum, ac approbatum fuiſſet, atque coram Beatiſſimo Papâ, PAULO V. in Congregatione S. Officij, primo loco, inter alia propoſitum.

*Raynaudus Tom. 8. pag. 322.*

### §. 5. *Symbolum.*

RaDIo SoLarI, LVtVM non noCet. 663.




Solaris medias radius ſplendore cloacas
Pertranſit: tamen haud contrahit inde lutum:
Peccantis medias Concepta MARIA cloacas
Naturæ tranſit: nec trahit inde lutum.

*Eripe me de luto, ut non infigar.* Pſal. 68. v. 15.

### §. 6. *Antiquitas.*

ConſtantInI MagnI, DebeLLatIs hoſtIbVs InsIgne. 664.

MAgnus ille Conſtantinus, cùm debellatis glorioſo triumpho Imperij ſui perduellibus, Maxentio, & Licinio, victor ad propria reverteretur, aureum cudi imperavit Numisma, perpetuum inſignîs triumphi monumentum. Cernebatur in hoc Numismate, unâ ex parte, laureata ipſius Conſtantini effigies: ex alterâ videre erat labarum Crucis †: in eodem labaro tres orbes: ex parte verò ſuperiori, victorioſum Chriſti Salvatoris Nomen: infrà ad ſtipitem Crucis jacebat in ſpiram ſe volvens contritus ſerpens. Quo Numismate, nihil aliud Cæſar pijſſimus denotare intendebat, quàm partam virtute Sa-

cræ Crucis victoriam : devictas tres Orbis partes: hoſtium denique, Maxentij, & Licinij ſerpentina capita, contrita, & contuſa. *Jacobus Gretſerus Tom. 3. de S. Cruce, l. 1. c. 5.*

Poſſet haud immeritò aureum hoc Numiſma applicari in Inſigne, relatæ à puriſſimâ DEI Genitrice victoriæ, in ſuâ Conceptione; Laureata enim Conſtantini effigies quid aliud proderet, quàm conſtantiam, in nemine dignùs, quàm in MARIA, lauro coronandam? quæ ſola conſtanter pura, nullum maculæ momentum admiſit. Quid labarum Crucis, quàm partam in illâ, non niſi virtute Crucis, tam ſingularem de tartaro victoriam deſignaret? Per tres deinde in labaro orbes, non quidem devictas tres Orbis partes, ſed tria peccatorum genera, toti reliquo Orbi communia, à MARIA debellata, intelligere poſſemus. Contritus denique ſerpens, ad ſtipitem Crucis, in ſpiram convolutus, ſerpentem nobis infernalem ad vivum exprimeret, virtute ejuſdem Crucis, à MARIA glorioſiſſimè in capite contritum, juxta illud: *Ipſa conteret caput tuum.* Sic enimverò eadem, quæ Conſtantino magno, magnæ non minùs, ac glorioſæ DEI Genitrici, ſine labe conceptæ, debellatis hoſtibus, Inſignia deſervirent.

### § 7. *Anagramma.*

665. DeIpara, à Labe pVra, aC MIra tVteLa!

*Agna pura es, O mei, ac mundi mira tutela!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS XCVI.

### §. I. *Scriptura.*

666. GLorIoſa, sIne MaCVLâ, & rVgâ ADæ.

Ephes. c. 5. v. 27. *Ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam.*

EO jam antiquæ DEI Sponſæ, Synagogæ Judaicæ, diu tolerata devenerat perverſitas, ut exprobrare illi meritò Omnipotens poſſet, quòd *maculata* eſſet uſque adeò *in iniquitate ſuâ*, ut neque nitro, neque herbâ fullonum, Borith, elui poſſet: inſuper *contracta* eſſet, inſtar rugæ, *anima ſua in illâ.* Eam ob cauſam datus eſt illi à Chriſto, in ligno Crucis, libellus repudij, atque ex aperto ejus Sacratiſſimo latere, nova nupta prodijt Eccleſia, quæ ſanguine, & aquâ lota, non haberet *maculam*, aut *rugam*; adeò nimirùm ſollicitus impoſterùm erat Chriſtus, *ut exhiberet ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam.* Cùm igitur ſublatâ, per unius Hoſtiæ ſubſtitutionem, veterum Sacrificiorum differentiâ, novum Sacerdotium, *ſecundùm ordinem Melchiſedech*, Chriſtus inſtituiſſet: abſterſis imperfectionum Legis antiquæ *maculis*, ſeniles Litteræ *rugas* adeò ſimul explicuit, ut myſteriorum, ſub illâ latentium veritas, optatâ gratiæ, ac Legis Evangelicæ novitate, per univerſum moxOrbem dilataretur. Magnum profectò myſterium, in Synagogâ, & Eccleſiâ!

Jerem. c. 2. v. 22.

Zach. c. 11. v. 8.

Verùm non minus in Evâ, & MARIA myſterium eſt. Dedit namque illa, longè antè Synagogam,

ma-

*maculam*, in gloriâ ſuâ, multò deteſtabiliorem, triſtesque *rugas* naturæ humanæ indixit, quando Divini transgreſſione mandati, virum inſuper ad illam inducendo, turpiſſimo genus omne humanum, & originalî nævo adeò fœdavit, ut floridus ille primævæ innocentiæ ſtatus in deforme, ac tot *rugis*, quot miſerijs confectum ſenium abierit. Verùm benigniſſimus DEUS, ex gratioſo Annæ utero novam prodire voluit Evam, MARIAM, bis pulchram, juxta il-
Cant. c. 4. v. 1. lud: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es!* quia nimirùm non modò ſine *maculâ*, verùm etiam ſine *rugâ* conceptam. *pulchram*; quia ſine labe criminis: & iterùm *pulchram*; quia ſine rugâ fomitis: ut, quemadmodùm *glorioſam ſibi* Chriſtus voluit *exhibere Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam*: ſic glorioſam priùs ſibi incarnando exhiberet Matrem, ſimiliter omni *maculâ*, ac *rugâ* carentem: per quam etiam reſarciretur magnum illud præjudicium, quod gratia DEI in alijs per peccatum paſſa eſt; cùm enim nunquam gratia illa perfectè reſarciri potuerit, nec in Lege naturæ per Cæremonias, nec in Lege ſcriptâ per Circumciſionem, nec in Lege Evangelicâ per Baptiſmum; quia per has Leges perfectiſſimum ſuum ſtatum Divina gratia nunquam obtinuit: hinc ſtatus perfectionis aliter recompenſandus, & alio modo reſarciendus videbatur, nimirùm per creationem immaculatæ Deiparæ, non habentis *maculam*, aut *rugam*: per quam actu omnia fuere reſarcita, juxta illud Divi noſtri Anglicani
Anſelm. c. 11. Archi-Epiſcopi: *Duravit autem hæc macula, in eorum ſubſtantijs, quouſque venit in carnem illa, de qua loquimur, Virgo MARIA.* ubi ulteriùs addit: *Viditque cuncta, quæ DEUS bona, & utiliter fecit, in eo ſtatu, quo condita fuerunt, eſſe deſiterunt, & per hanc Virginem in priſtinum ſtatum revocata ſunt, ac reſtituta.* Quis igitur non applaudat Virgini adeò *glorioſæ*, ſoli, ex omnibus alijs hominibus, ſine *maculâ*, & *rugâ* Adæ conceptæ? Auſcultare, pro coronide, lubeat illud, quod Joannes Gerſon; illuſtris Pariſienſis Cancellarius, mirum in modum ergà glorioſam hanc DEI Matrem affectus, ſcriptum reliquit: Octo nimirùm ille *rugoſas*, ac deformes recenſet vetulas, falſarias, & per omnia ſceleſtas, juratas honoris immaculatæ Virginis adverſarias, quæ inculpatam Conceptionis illius prodigioſæ puritatem ſemper arrodere, *maculamque*, ac *rugam* innocenti affingere omnî modo contendunt: quarum deteſtabilia, hunc in modum, adducit nomina: *Littera occidens*: *Ratio litigioſa*: *Ratiocinatio Sophiſtica*: *Canonum ſuperficies*: *Legis apparentia*: *Doctrinæ falſitas*: *Fabuloſa Poëſis*, & *Hæreſeos ſuſpicio.* Quibus tamen mox totidem opponit Virgines ſpecioſas, absque *rugâ*, quæ ejus ſine labe conceptæ gloriam, ac primigeniam innocentiam, junctis viribus, fortiſſimè tuentur, negantes in illâ omnem etiam momentaneam turpitudinem, exhibentesque per omnia *glorioſam* Deiparam, *non habentem maculam, aut rugam*: *Veram* ſcilicèt *Theologiam*: *Rationem probabilem*: *Eccleſiæ auctoritatem*: *Decretum Canonicum*: *Jus Civile*: *Doctrinam bonam*: *Poëſin myſticam*, ac *Fidem Religioſam.* Hiſcè ultimis & nos conjungamur, ac *glorioſam* ſine *maculâ*, & *rugâ* Adæ Deiparam, ad mortem uſque, fortiter defendamus!

## §. 2. *Authoritas.*

ThoMas ArgentInensIs, DeI- 667.
paræ pVrè ConCeptæ
teſtIs InsIgnIs.

1. *Virgo glorioſa, ex privilegio ſingularî, ſic fuit præventa Spiritûs Sancti gratiâ, quòd originalì culpâ nunquam extitit maculata.* Lib. 2. d. 30. q. 1. a. 3.
2. *Decuit DEI Filium, Virginem Matrem ab originalî maculâ præſervare; quia decuit, eum in propriâ Matre obſervare, ad quod obligatur quilibet homo, ex præcepto Divino.* Lib. 3. d. 3. q. 1. a. 1.

§. 3.

### §. 3. *Ratio.*

668. EpIsCopVs eLeCtVs, gaVDere ſoLet prIVILegIIs, qVIbVs gaVDet, & frVItVr aCtV ConſeCratVs.

EPiſcopus ſemel canonicè electus, & confirmatus, ante actualem conſecrationem, habet eadem privilegia, & jurisdictionem, quæ haberet, ſi actu jam eſſet conſecratus: ſic per electionem & confirmationem, immediatè ſubijcitur ſummo Pontifici: eximitur (ſi fuerit antè Regularis) à jugo Regulæ, ſeu Religionis, quatenùs illa præjudicat auctoritati Epiſcopali: accipit eandem poteſtatem jurisdictionis regendi oves ſuas, hoc eſt, in judicando, puniendo, abſolvendo, diſpenſando, viſitando, beneficia, & privilegia conferendo, ſimulque omnium rerum temporalium eandem plenam adminiſtrationem, & poteſtatem. ut habetur in c. *noſti*, & c. *transmiſſam*. Ergo etiam Mater DEI ſemel electa, & confirmata, habebit eadem omnia privilegia, quæ habet, quando actu per Incarnationem, & Conceptionē, conſecratur in Matrem DEI. Atqui Beata Virgo ab æterno fuit electa, & confirmata in Matrem DEI (ut alibi oſtendimus) ſimulque ejus primaria privilegia ſunt, quando actu per conceptionem fit Mater DEI: non eſſe incluſam in hoc præcepto: *Omnes in Adam moriuntur*: eſſe immunem ab omni peccato, tam actuali, quàm originalî: eſſe confirmatam in gratiâ &c. Ergo Beata Virgo, ab æterno, ante ſuam Conceptionem, gaudebat his privilegijs, nempe: eſſe immunem à peccato originalî. Sicut igitur Epiſcopus, etiam ante conſecrationem, pleno ore dicitur Epiſcopus: ita etiam Beata Virgo, pleno ore, ante incarnationem Verbi, in inſtanti propriæ Conceptionis, dici poteſt Mater. ut benè inſinuat S. Petrus Chryſolog. *Quomodo non ante conceptum mater, quæ poſt partum virgo mater? aut genitrix quando non? quæ ſæculorum generavit Auctorem?*

### §. 4. *Hiſtoria.*

VrsVLæ BenInCaſæ, pro DEI Matre Labor. 669.

B. Urſula Benincaſa, Virgo Neapolitana, ſummæ erat, jam à teneris annis, ergà Beatiſſimam Virginem devotionis: cujus illud haud obſcurum extitit indicium, quòd adhuc puella, quotiescunque domûs paternæ ſcalas aſcenderet, per ſingulos tamdiù gradus ſiſtere conſueverit, donec Salutationem Angelicam recitâſſet. Hæc facta adultior, non Eremitarum tantùm Monaſterium, ſed & virginum Congregationem ſub ejusdem Virginis patrocinio fundavit: Templum prætereà ex Divinâ revelatione, ſub Titulo Conceptionis immaculatæ, ex fundamentis ædificavit: cujus etiam Sacri Myſterij Imaginem pro Inſignibus Congregationis, ac Monaſterij ſui aſſumpſit. Porrò cùm dictæ Marianæ Conceptionis Feſtivitatem ſolenniſſimâ quotannis Celebritate perageret, eodemque pacto in perpetuum celebrandam, in ſtatutis ſuæ Congregationis ordinâſſet: contigit fortè in eodem Feſto, ut ob pecuniarum defectum vocari Muſici non poſſent, prout DEI famula cupiebat, ad immaculatos MARIÆ honores, cum debitâ & hactenùs conſuetâ Solennitate celebrandos. Eápropter DEO rem totam lachrymabunda expoſuit, promptamque pro opere voluntatem Virginis Filio obtulit: cùm ecce! eodem mane Nobilium aliquis, Mariano cultui ſpecialiter addictus, eâ de re à nemine requiſitus, excellentiſſimos quosdam ſubmiſit Muſicos, ad Miſſam, ac Veſperas ſolenniter in eâdem Eccleſiâ decantandas. Nec mirum; mediante enim illibatæ Genitricis interceſſione, omnes ſe gratias à DEO obtinuiſſe, ipſamet Benincaſa pluriès teſtata fuit: quæ, cùm Marianis frequenter

ter apparitionibus fuiſſet recreata; die tandem 20. Octobris, Anno 1618. placidiſſimè ac Sanctiſſimè vitam clauſit, nullâ præcedente infirmitate; ſed vehementi potiùs, erga DEUM, ejusque immaculatam Genitricem; amoris incendio reſoluta, Anno ætatis ſuæ 68. *Ex Libro, in causâ Canonizationis edito Neapoli, Anno 1627. item Hipolyt. Marraccio in Lil. Marian.*

## §. 5. *Symbolum.*

670. ELephas, LæsIs CæterIs; In Iras arDentIor, MARIÆ fIgVra.




Fortis ut extremas Elephas mox ardet in iras;
Si videat læſas, enſe recente, feras:
Vulnere ſic maculæ reliquis ab origine læſis,
Ardet in extremas pura MARIA faces.

*Indignatio mea, ipſa auxiliata eſt mihi.* Iſaiæ. c. 63. v. 5.

## §. 6. *Antiquitas.*

671. CIJrI, PerſarVM RegIs, granDIs LIberaLItas.

CUm Cyrus, Perſarum Rex, die quâdam, hoſtem feliciter profligâſſet, ac ſpolia ab eodem plurima reportâſſet, vidit fortè gregariorum aliquis portionem ex omnibus optimam, ac pretioſiſſimam: vidit, concupivit, & à Rege audacter petere non dubitavit. Quid ad hæc Cyrus? num fortè præſumptuoſum hominem indignabundè à ſe repulit; petitionemque tantam denegavit? minimè: imò absque omni cunctatione; libentiſſimo animo, quod à milite deſideratum erat, conceſſit. Gratias porrò infinitas, pro ingenti hoc beneficio, referre exauditus miles incipiebat: quem Rex præveniens, *Tace! inquit, meum eſt rependere, & obligor profectò; quia occaſionem dediſti optatiſſimam, quâ forem hodie, plùs ſolito, liberalis: eàpropter non eas tantùm, quas mihi dicturus eras, gratias tibi rependo, verùm inſuper debere me; lubens profiteor.* Pauletti Dom. 3. poſt. Epiph.

Quis, obſecro! feliciùs unquam hoſtem profligavit, quàm Chriſtus, *Rex gloriæ, Dominus fortis, & potens in prælio?* quis opulentiora inimico detraxit ſpolia, quàm ille, qui infinito Sanguinis, ac Mortis ſuæ pretio, tam mortis, quàm tartari univerſi victor, genus humanum omne, totque animas, quot ex Adamo poſteros, ex inferorum faucibus glorioſè eripuit? Veruntamen ſtatim abinitio *MARIA optimam partem elegit,* dum immaculatam ſibi Conceptionem, ac à peccato præſervationem, è præviſis Redemptionis ſpolijs, ab eodem triumphatore Chriſto expetijt, ac incunctanter (in ipſo nempe Conceptionis momento) impetravit. Dignum quidem, ac juſtum erat; infinitas pro recepto tam ſingulari beneficio grates rependere; verùm quod Cyrus militi illi, hoc idem Unigenitus æterni RegisFilius MARIÆ repoſuiſſe videtur: *Tace MARIA! meum eſt rependere, & obligor; quia occaſionem dediſti, ut forem, in hoc extraordinario redimendi modo, in hâc præſervatione, nulli alteri impensâ, plùs ſolito liberalis; idcircò non modò grates tibi dico plurimas, ſed inſuper debere me fateor: adeò, ut hanc ipſam ob cauſam, in meam Te Matrem eligere, ac præ omnibus alijs; humanam ex Te carnem aſſumere cogitem, ac decernam.*

§. 7. *Anagramma.*

672. MVnDa, Integra à peCCato, opera IESV!

*Munda, integra, immaculata, opera JESU!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

## CONCEPTUS XCVII.

§. I. *Scriptura.*

673. SegregatVs à peCCatorIbVs, MatrIs Defenſor.

Hebr. c. 7. v. 26. *Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.*

PRæclarum profectò, pro Virginis Deiparæ à peccato originalî exemptione, hoc in textu, teſtimonium gentium Doctor attulit, tunc meliùs intelligendum, cùm unum, alterúmve Sacræ Scripturæ locum priùs in medium adduxerimus. ac primò quidem, notaturus aliquandò inſignî contumeliâ, ac probro, filium ſuum Jonatham Saul, Matris illi delictum obiecit, vocavitque *Filium mulieris, ultrò virum rapientis.* & ſanè ſemper parentum delicta filijs exprobrantur, utpotè ſanguinis neceſſitate proximè conjunctis. Decebatne ergò, DEI Filium, ſupremum noſtrum Pontificem, *ſecundùm ordinem Melchiſedech*, habere Matrem, delicto originalî infectam, quæ ſibi deinde ignominiam, probrum, perpetuámque afferret infamiam? decebátne illum, ut propria Mater peccato commacularetur, & diaboli conſtitueretur mancipium? Minimè; *Talis enim decebat* (inquit Paulus) *ut nobis eſſet Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus.* quomodò autem *à peccatoribus* dici poſſet *ſegregatus*, ſi corpus ejus à matre *peccatrice* fuiſſet deſumptum, cum quâ una extitiſſet caro? Decebat ergo, ut Matris, cui

1. Reg. 20. v. 30.

ipſe erat conjunctiſſimus, ageret defenſorem: felix enim, ut Ovidius cecinit:

*Felix, qui quod amat, defendere fortiter audet.*

Aliud quid, in rem noſtram, in Geneſî deſcriptum reperitur: Abrahamum ſcilicèt famulo ſuo, ad conducendam filio Iſaaco ſponſam dimiſſo, expreſſè prohibuiſſe, ne fortè *peccatricem* adduceret. *non accipias*, inquiebat, *uxorem filio meo, de filiabus Chananæorum.* Si ergò Abraham adeò Sanctitatis extitit cultor, ut ſpecialem geſſerit curam, ne genti *peccatrici*, aut feminæ nequam, dilectus committeretur filius, quis, quæſo! ſibi perſuadebit, æterno Patri non eandem, imò longè majorem fuiſſe curam, dandi Filio ſuo unigenito Matrem in terris, quæ deteſtabili *peccati* jugo ſubdita nunquam extiterit? & ſanè, ſi ex Sapientis effato *ſimiliter odio ſunt DEO impius, & impietas ejus*, certè etiam MARIAM, tanquam impiam, odio habuiſſet, & ab eâ *ſegregari* omnî modo curâſſet, ſi tali illam *peccato*, vel ad momentum, infectam conſpexiſſet: *ſegregari*, inquam, voluiſſet DEUS Pater ab aſſumptâ Filia, *ſegregari* Filius, à deſignatâ Matre, *ſegregari* Spiritus Sanctus ab electâ Sponsâ. quis autem talia credere præſumat? Verùm majora pro MARIÆ defenſione audite! Chriſtus ipſemet, utpotè ſumma Perfectio, & incomparabilis Sanctitas, nunquam peccavit, nec peccare potuit

Gen. c. 24. v. 3.

Sap. 14. v. 9.

tuit, totus *à peccatoribus ſegregatus*; quia tamen meram *peccatoris* formam ſuſcepit, mox Pater Cœleſtis tantum, erga proprium, aliàs dilectiſſimum Filium, videbatur ſuſcepiſſe odium, ut propter *peccata*, non ſua quidem, ſed pro alijs ſpontè in ſe ſuſcepta, unicum hunc Filium ſummis doloribus, ac cruciatibus affici, tamque acerbâ puniri morte voluerit, qualis nulli unquam homini obtigit, aut obtinget. Si porrò Divina juſtitia, præcisè ob externam *peccati* ſpeciem, adeò Filium ipſum odio quasì habuit, quantò magìs odio habere oportuiſſet ejusdem Filij Matrem, ſi actu in Adamo peccatrix aliquando extitiſſet? ſed noli in MARIA *peccatum* quærere, ubi non alium decuit eſſe Chriſtum, quàm *ſegregatum à peccatoribus!* Sed & Cœleſtis Paranymphus, pro coronide, tum loquendo, tum tacendo, quid de MARIA ſentiendum? nos doceat! Lucæ. c. 1. ait ille: *Ne timeas*
v. 30. *MARIA! inveniſti enim gratiam apud DEUM: Ecce concipies, & paries Filium, & vocabis nomen ejus JESUM, hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur.* ſimile quid Joſepho idem (ut plurimi volunt) Archangelus indicat:
Matth. *Joſeph, fili David! noli timere, accipere*
c. 1. v. 20. *MARIAM, conjugem tuam; quod enim in eâ natum eſt, de Spiritu Sancto eſt: pariet autem filium, & vocabis nomen ejus JESUM; ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Porrò utrique hìc Nomen dulciſſimum: *JESU* inſinuatur, ſed diverſo contextu: MARIÆ indicatur: *Vocabis Nomen ejus JESUM*, addendo: *Hic erit magnus, &c.* Joſepho indicatur: *Vocabis nomen ejus JESUM*, addendo: *Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum, à peccatis eorum.* Sed, quæſo! cur hoc ipſum non etiam MARIÆ indicatum, quòd nimirùm JESUS eſſet ſalvaturus populum ſuum à peccatis? Reſpondet pulcherrimè Novarinus: *Potuit*
In Umbrâ Virg. c. 95. *Angelus, cum S. Joſeph loquens, peccati mentionem ingerere; quia non conſtat, eum ab originalis peccati debito immunem fuiſſe, ſicut fuit MARIA.* Tacendum ergò de omnî *peccato* erat loquenti cum MARIA Archangelo, quam ab omni, tam originali, quàm mortalî culpâ liberam optimè noverat, nullaque prorsùs mentio ibi facienda, de ſolutione alicujus culpæ, quam illa minimè contraxit, utpotè Genitrix extitura Filij *ſegregati à peccatoribus*, Matrem defendentis.

### §. 3. *Ratio.*

S. ThoMas à VILLâ NoVâ, 674.
Conſtans proteCtor sIne
peCCato ConCeptæ.

1. *Sacra, pura, & immaculata Virgo, cui etiam, præ alijs, hoc erat virginitatis inſigne, ut inſpectores ſuos virgines faceret; erat enim in eâ virgines germinans virginitas.* In cap. 9. Zach. v. 7. Conc. 2. de Annunc.
2. *Domus Divinæ ſapientiæ, ſine omni fomite peccati formata eſt.* Serm. 3. de Nativ. B. V.
3. *Sicut Aurora conſurgens, id eſt, fulgida, purpurea, læta, non obtenebrata, non obumbrata, non maculata, ſicut alij filij Adam: ſed pulchra ut Luna, electa ut Sol.* Ibidem.

### §. 3. *Ratio.*

PVgnante pro DeIparâ Cre- 675.
atore, qVIs Contrà
eaM?

NEmo eſt, qui neget, à Creatore univerſorum, nempe Patre Divino, Deiparam Virginem ex omnibus electam filiam, prælectam Unigeniti Matrem, chariſſimam Spiritûs Sancti ſponſam, contrà omnium hoſtium inſultus, ſemper fuiſſe defenſam, & propugnatam: Sed propugnatus, & defenſus ſemper à Patre Divino, debet carere omnî peccato gravi, actuali, & originali. Ergo, &c. Min. Prob. Qui defenditur & propugnatur à DEO, contrà hunc nullus inimicus, nulla fraus poteſt prævalere; ut Regius Pſalmiſta ait: *Si conſiſtant adversùm me caſtra, ſi exurgat* Pſ. 26. v. 3.

 *ad-*

*adverſùm me prælium, &c. non timebo mala; quoniam Tu mecum es.* nam, *ſi DEUS pro nobis, quis contra nos?* Sed ſi ſemel quis contraxit peccatum originale, vel aliud grave, diabolus non tantùm prævalet contra talem, eum privando omnibus donis ſupernaturalibus, verùm etiam ſuo modo prævalere videtur contra DEUM; quia talem quasì eripit dominio Divino, inque ſuam poteſtatem, & mancipatum abſtrahit. Ergo nullus, qui propugnatur à DEO, poteſt eſſe inquinatus peccato originalî, adeoque ex eo, quòd Creator pugnaverit pro Deiparâ, ſicque nullus contrà eam potuerit prævalere, manifeſtè ſequitur, caruiſſe eam ſemper peccato originalî.

Rom. c. 8. v. 31.

## §. 4. *Hiſtoria.*

676. SanCtI BernarDInI apparItIo, faCta BernarDIno De BVſtIs.

NArrat de ſemetipſo Venerabilis, ac ob doctrinæ præſtantiam, celebris admodùm, ex Ordine S. Franciſci, P. F. Bernardinus de Buſtis, in Senensî ſe quondam Civitate ad ſui Ordinis Conventum divertiſſe, ac unà cum alio itineris ſui ſocio, per dies complures ibidem commoratum fuiſſe: nactum interim occaſionem optatam, viſitandi parvulam ibidem Bibliothecam, in quâ ſpecialiter Libros, ad uſum quondam Divi Bernardini Senensîs ſpectantes audierat aſſervatos. Hìc (ut ulteriùs ille rem proſequitur) inter alia, gaudens invenit Tractatum de Conceptione Beatiſſimæ Virginis, ab ipſomet Sancto compoſitum, & (ut credibile tam ipſi, quàm ſocio videbatur) propriâ ejusdem manu conſcriptum. Cùm autem in eodem libro Bernardinus de Buſtis, piâ curioſitate, diutiùs lectionem protraheret; ecce! adeſt ad oſtium Bibliothecæ quidam, ex eodem Sacro Ordine, Religioſus, ſenex venerandus, ejusdem prorsùs ſpeciei, qualem communiter Senensîs Divi depicta effigies repræſentare ſolet. Hic hilarî admodùm, ſerenoque vultu, ſic eos alloquitur: *Quid agitis hic, dilecti Patres?* cui cùm illorum aliquis reſpondiſſet: *Magnâ hìc fruimur conſolatione, luſtrando opera iſta S. Patris noſtri Bernardini, de immaculatâ Deiparæ Conceptione conſcripta.* ille ſubridens ait: *Vos bene facitis.* nec plura dicendo, ſtatim diſceſſit. Hìc ambo ſimul internâ quâdam dulcedine, ac mirâ conſolatione ſuperfuſi, ad invicem dicebant: *Verè credimus, hunc fuiſſe ipſummet S. Bernardinum, cujus amore hoc iter ſuſcepimus, & de quo hactenùs plura locuti fuimus.* Cùm ergò paullò poſt omnes Monaſterij Fratres, dato ad cœnam ſigno, in refectorium conveniſſent, duo hi Patres, hoſpitio excepti, diligentiſſimè conſiderabant, num aliquis illi, qui apparuerat, ſimilis inter eos reperiretur? dumque neminem omninò talem viderent, aliud ſibi ultrà perſuadere non poterant, quàm dignatos ſe verè fuiſſe apparitione S. Bernardini, qui eis ideò ſpectabilem ſe præſtitiſſet, ut oſtenderet, quàm grata ſibi fuerit lectio Operum à ſe editorum, illorum præſertim, de immaculatâ Virginis Conceptione. Hæc ipſemet de Buſtis teſtatur oculatus. *De Concept. Serm. 4.*

§. 5.

### §. 5. *Symbolum.*

677. AgnVs, CVrrens In præCeps, perDIt oMnes.




In præceps ſequitur primum grex integer Agnum,
Unam vix retinet paſtor egenus ovem.
Præceps primus homo peccando perdidit omnes,
Juncta DEO tenuit ſola MARIA ſequi.

*Errare fecit eos in invio, & non in viâ.* Pſal. 106. v. 40.

### §. 6. *Antiquitas.*

678. OCtaVII BaLbI, pro DefenſIone FILII, Mors.

PLuris æſtimâſſe Octavium Balbum, filij quà ſe dilecti ſalutem, quàm imminentem ſibi ipſi turpiſſimam mortem, ſequens nos docet deſumpta ex Antiquitate narratio. Quæſitus namque ad mortem (neſcio, quali ex delicto?) Octavius, jam fugâ ſalvus evaſerat: cùm ecce! falſus excitatur rumor, atque ad aures ipſius defertur: Filium in Patris fugitivi vicem, proximis diebus diræ neci tradendum eſſe. Triſte hoc nuntium mox revocavit à fugâ amantem genitorem, qui pro defenſione innocentis filij ultrò redux, illámque Prophetæ Ezechielis regulam, dictante naturâ, amplexus, ubi ait: *Filius non portabit iniquitatem Patris.* c. 18. v. 20. ſemetipſum, ante oculos ejusdem, occidendum obtulit, cujus vitam, propriæ vitæ pretio, amore plùs quàm paterno, emere ac redimere, generosè decreverat. Factúmque eſt ita:. & quem videre filius Patrem in fugâ ſuperſtitem non poterat, vidit reducem, ſatellite comprehendente, judice damnante, lictore exequente, miſerè expirantem.

Concitatiorem nihilominùs, longeque ardentiorem quis non dixerit Filij DEI, in dilectiſſimam Genitricem ſuam, charitatem? qui infinito meritorum ſuorum, ac Paſſionis ſubeundæ pretio, in primo conceptionis articulo, ubi MARIAM originaliter in animâ mori oportebat, emit, ac redemit ejusdem ſuæ Matris innocentiam, haud aliter, ac ſi ſola fuiſſet emenda, maluitque, adſtante, ac ſupervivente Matre, aliquando in Cruce maledictâ expirare, quàm dictam Matrem vel momentaneo maledicto ſuccumbentem conſpicere.

### §. 7. *Anagramma.*

VaLe aLMa DeIpara, Cor IÈSV! 679.

*Vale Regina, tam pia, tam munda, Cor JEſu!*

Verſio litteralis

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*



De

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XCVIII.

## §. I. *Scriptura.*

680. GeneratIo D E I, præſerVans pVraM à peCCato.

Epiſt. Jo. c. 5. v. 18. *Non peccat: ſed generatio D E I conſervat eum, & malignus non tangit eum.*

CUm audiſſet ab Archangelo MARIA, dignitatem Maternitatis Chriſti ſibi reſervatam, & ſecuturam ex ipsâ *generationem* ſecundæ in Deitate Perſonæ, mox admirabunda reſpondit: *Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* cui paucis repoſuit Angelus: *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, &c.* Veruntamen quæſtio hìc non exigua oritur: unde ſcire potuerit Gabriel, Spiritum Sanctum ſuperventurum eſſe in MARIAM? cùm eum ſolummodò in finem miſſus videatur Angelus, ut tanti MARIAM Myſterij, *generandi* ſcilicet in terris Verbi Divini redderet certiorem. unde autem didiciſſe putamus Angelum, quod deſcenſurus eſſet in ipſam Spiritus Sanctus? Profectò non aliunde idipſum didiciſſe exiſtimo, quàm, quòd eam ut Matrem DEI ſalutabat, atque hoc ipſo à Spiritu Sancto nullatenùs diſſitam ſibi perſuadebat. Concipere proinde debebat MARIA, ut *DEUM generaret*: Ergò (concludente Angelo) Spiritus Sanctus erat cum eâ. Hinc & ego ſimiliter auſim concludere: Concipi oportebat MARIAM in matris Annæ utero, ut ſuo tempore *DEUM generaret*: Ergo Spiritus Sanctus erat in eâ, puram illam à peccato præſervans. *Non peccat* ergò MARIA, in inſtanti Conceptionis, *ſed generatio DEI conſervat eam* absque labe, *& malignus* hominum inimicus *non tangit eam.* Porrò MARIAM, digniſſimam Verbi Divini Matrem, *non peccâſſe* originaliter, ſed puram à peccato, ex eâ potiſſimùm ratione, præſervatam fuiſſe; quia *generatio DEI*, pro redimendo in terris homine, illi fuerat comittenda, atque adeò, in primordio ſuæ Conceptionis, prorſùs immaculatam fuiſſe, vix non ipſa Sacrarum Litterarum prima vocabula ad oculum demonſtrare videntur. Non ſemel enim admirabundus expendi, Spiritum Sanctum, in ipſo creatarum rerum principio, præ reliquis, aquæ elementum ſibi in vehiculum conſecrâſſe: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* ubi notanter adverti, priùs nominari *Spiritum Sanctum*, quàm *aquarum* nomen aures feriat. unde ergo (ſic mecum diſcurrebam) tanta aquis advenit excellentia, ut omnia inter creata, in ipſius ſtatim Numinis aſſumatur vehiculum? carebat adhuc Cœlum ſtellarum radijs: terra etiamnùm informis, inviſibilis, & incompoſita, non vernabat florum pulchritudine, fructuum ubertate, & viridi arborum ornatu: aër tenebrarum denſitate oſtendebat triſtitiam: dum ſolus interim liquor vectaculum DEO ſubijciebat. cur ergo aqua, nec per minimum inſtans, DEI præſentiâ carebat? Sed audiamus Leonem Papam, pro re noſtrâ meliùs intelligendâ, ſic diſcurrentem: *Originem*, inquit ille, *quam ſumpſit in utero Virginis, poſuit in fonte Baptismatis: dedit aquæ, quod dedit Matri; virtus enim Altiſſimi, & obumbratio Spiritûs Sancti, quæ fecit, ut MARIA pareret Salvatorem, eadem fecit, ut regeneret unda credentem.* Idipſum Cæſarius Arelatenſis his verbis confirmat: *Ecce nunc peregrinantibus naturæ legibus, innumeræ per omnem terram multitudines de ſolo ſinu fontis*

Luc. 1. v. 34. — v. 35. — Gen. 1. v. 2. — Serm. 5. de Nativ. — Hom. 5.

*fontis, tanquam partu Virginis, procreantur. Gaudeat CHRISTI Eccleſia, quæ ad ſimilitudinem Beatæ MARIÆ, Sancto Spiritu operante ditatur, & mater Divinæ prolis efficitur.* Horum Patrum intentum (ut ex eorum verbis perſpicuè patet) certè aliud non eſt, quàm demonſtrare: aquam, ad ſimilitudinem MARIÆ, operante Spiritu Sancto, *genitricem* effici Divinæ prolis; dixerat enim hocipſum Chri-
Jo. 3. v. 5. ſtus Nicodemo: *Amen, amen dico tibi: niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum DEI.* Ex fonte ergo Baptiſmatis, prægnante fœcunditate Spiritûs Sancti, renaſcuntur filij DEI, non naturâ, ſed gratiâ: Ex MARIA, & Spiritu Sancto, natus eſt Filius DEI naturalis. Utraque ergo habet prolem Divinam: aqua adoptivam, MARIA naturalem. Ecce nunc rationem, quare nec unicum permittatur inſtans, quo aqua Spiritûs Sancti careat præſentiâ? quia nimirùm per Baptiſma, Filios DEI adoptivos paritura erat. Si ergo aqua, quia *genitrix* filiorum DEI erat futura, in primo ſtatim inſtanti, tanto Divini Spiritûs ditatur favore, quantò potiori jure Virgo Mater, quæ *mirante naturâ ſuum genuit genitorem*, Filium DEI naturalem, in primo Conceptionis ſuæ inſtanti, debuit Spiritûs Sancti ornari muneribus, & ob hanc ipſam *DEI generationem*, pura à peccato præſervari? Hanc ergo puriſſimam Genitoris noſtri *Genitricem* degeneres Filij, cum filio prodigo, fiducialiter accedamus: atque ut, per ejusdem interceſſionem, ſpiritu humiles, animoque contriti, *quasi modò geniti*, denuò recipiamur in Filios, Divini *Genitricem* Filij enixis precibus imploremus!

## §. 2. *Authoritas.*

TrItheMIVs, pVrè ConCeptæ Defenſor. 681.

1. *Verè Sancta, quæ illam ſine culpâ originalis maculæ peperit, quâ nulla Sanctior unquàm fuit: ſine crimine originalis maculæ partus, non decebat matrem, niſi Sanctam: DEI Genitricem concipere, & parere, non congruebat, niſi DEO gratiſſimam, & præ cunctis tunc in Iſraël devotam: non erat in Iſraël Sanctior altera, quæ in conceptione DEI Genitricis, Spiritui Sancto vas ſine maculâ conſtruxit.* Cap. 1. 3. & 4. de Laud. S. Annæ.
2. *Erat Anna, priusquàm conciperet Matrem DEI, Sancta: in conceptione tamen peramplius Sanctificata; quoniam tabernaculum illius effici meruit, quæ ſuper omnes creaturas gratiâ plena fuit. capſam & arcam, in qua Sanctorum conduntur pignora, Sanctificatam & honorabilem dicimus: quantò magis venerabilem Annam, in quâ DEI Mater ſine maculâ jacuit, honoratam ſanctificatamque venerari debemus? verè ſancta! quæ illam ſine culpâ originalis maculæ peperit, quâ nulla Sanctior unquàm fuit.* Cap. 3. de Laud. S. Annæ.
3. *Ancilla DOMINI, quæ nunquàm ſubjacuit maculæ cujuscunque peccati.* De Mirac. B. V.

## §. 3. *Ratio.*

AMICVs eſt aLter ego: Ergo DeIpara aLter NatVs. 682.

A*Micus eſt alter Ego*: Atqui Beatiſſima Virgo fuit ſemper amica Chriſti, ab eodem tenerrimè dilecta, columba unica, &c. Ergo una ſemper cum Chriſto fuit, & (ut dicere ſolent) *Alter Ego.* Major (prætertequàm quòd decantata ſit paræmia) conſtat liquidò ex eo, quòd omnis vera, & ſincera amicitia protuberet ex affectum, propenſionumque conſtanti aſſimilatione, & æqualitatis elegantiâ. Min. verò probatur; non enim

enim aſſignari poteſt momentum, quo MARIA à Filio fuerit aliena, ſed potiùs eidem, quantum decuit, & fieri potuit, conſtanter fuit ſimillima, amica nullo inſtantî infenſa, nunquàm reconciliata: quod probatur; Quis enim reperiri poteſt, vel obiter, gubernandæ Reipublicæ regulis inſtructus, & parùm duntaxat circumſpectus, qui non cautum habeat, ab amico reconciliato ſibi abſtinendum eſſe? quam ob rem, unum ex duobus fateri oportet, aut quòd DEI Mater à Filio nunquàm fuerit ſincerè adamata, utpotè inimica reconciliata, aut quòd in ipſo conceptionis ſigno amica fuerit, Chriſto ſimillima, *Alter Natus*, immaculati Agnî Mater immaculata.

## §. 4. *Hiſtoria.*

683. B. Ioanna De CrVCe, DeIparæ DeVota.

INter complura alia ſummæ pietatis exercitia, quibus Beata Joanna, de Cruce dicta (aſſumptâ tertiâ Sancti Patris Franciſci regulâ) alijs prælucebat, non ultimum obtinebat locum mira in Deiparam devotio, ex eo ſatìs colligenda, quòd Feſta ejusdem Beatiſſimæ Virginis, ac ſingulariſſimè Feſtum Immaculatæ Conceptionis, ſummâ celebritate, ac devotione peragere fuerit ſolita: adeò ut, in obſequij grati remunerationem, ſæpiùs comparentem ſibi habuerit eandem puriſſimam DEI Matrem, quæ etiam (ſollicitante, ac facilè impetrante Joannâ) ſublata ab Angelo tutelarî in Cœlum complura Roſaria, potentiſſimâ ſuâ interceſſione, ab ipsâ Sacro-Sanctâ Trinitate benedici impetravit, perque eundem Angelum, ad Joannæ cellam denuò referri curàvit. quorum Roſariorum ſinguli globuli tantam (experientiâ teſte) obtinent virtutem, ut contra hoſtîs infernalîs fraudes, veneficorum hominum inſidias, ac noxiarum impetus tempeſtatum, ſalubre fidelibus exhibeant præſervativum. *Calendar. B. Virg. ad diem 3. Maij.*

## §. 5. *Symbolum.*

CoLenDæ beatorVM ReLIqVIæ. 684.




Devoto veneror ſtudio Sacra Martyris oſſa:
Cur? dignam hæc Animæ credo fuiſſe domum.
Majori at ſtudio veneror, ſine labe, MARIAM:
Cur? dignam haud dubito Numinis eſſe domum.

*Cuſtodit Dominus omnia oſſa eorum.* Pſ. 33. v. 21.

## §. 6. *Antiquitas.*

ACIes hoſtILIs, à soLo HoratIo CoCLIte, In ponte LICInIo Detenta, aC progreDI prohIbIta. 685.

IN geſtis Romanorum refertur: Horatium Coclitem tam admirandæ extitiſſe fortitudinis, ut integram Hetruſcorum aciem, in Sublicio Ponte, (quem alij Licinium nominant) ſolus ipſe generoſiſſimo auſu detinuerit, tamdiù quidem, quoúſque Pons à tergo deſtruererur, ſicque ulteriùs progredi hoſtes prohiberentur. quos proinde hunc in modum fertur exclamâſſe: *Romanos vicimus: ab Horatio victi ſumus.* Quo valoris

ris ſui incomparabilis ſpecimine, tantam ſibi apud Romanos promeruit gloriam, ut excelſam ejus honori ſtatuam erexerint, perpetuum facti Heroici monumentum. *Valerius Max. lib. 3. cap. 2.*

Deprædicanda certè Coclitis hujus Horatij fortitudo! ſed magìs celebranda generoſitas Amazonis illius fortiſſimæ, quam in Maria reperimus: Stetit certè illa non in Ponte Licinio, per quem ad Urbem Romanam pateſcit aditus, ſed in Ponte, quo ad vitam aditus reſeratur, nempe in Conceptione, immobilis, ac inconcuſſa: & quamvìs reliqui mortales omnes, ab hoſte infernalì, ex illo ipſo Ponte, in peccati originalìs profundum fuerint dejecti, ſicque in omnium animas, tenebrarum Principi, per hæreditariam maculam, patuerit ingreſſus; unica tamen illa; *ut caſtrorum acies ordinata,* aciem infernalem progredi ulteriùs in animam ſuam prohibuit, ac non ſtitit modò in puriſſimæ ſuæ Conceptionis Ponte, ſed ad ſummum quoque totius orci dedecus, turpiter reverti, ac fugam ad tartara arripere adegit. Quidnì ergò valoroſæ huic Heroinæ, à nobis quoque, in glorioſam tam inſoliti facinoris memoriam, ſplendida in cordibus noſtris ſtatua perpetuæ devotionis erigatur?

### §. 7. *Anagramma.*

pVra à Labe, aC nItIDa Mater, VaLe! 686.

*Agni Mater, O ſummè pura, ac nitida! Vale!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS XCIX.

### §. 1. *Scriptura.*

687. ConſerVata à tentatIone orIgInaLIs peCCatI, ſoLa CoronaM aCCIpIens.

Apocal. c. 3. v. 10. & 11. *Ego ſervabo te ab horâ tentationis, quæ ventura eſt in orbem univerſum, tentare habitantes in terrâ. Ecce venio cito: tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.*

SErvatos, miſerante Numine, complures fideles famulos, eosque potiſſimùm Virginis, Verbi Genitricis progenitores, à proximis, graviſſimisque imminentibus periculis, Sacræ frequenter teſtantur paginæ: ſic enim legimus *ſervatum*, ac liberatum fuiſſe Abrahamum, ab Ur Chaldæorum, juxta illud: *Ego DOMINUS, qui eduxi te, de Ur Chaldæorum*: pariter Iſaacum eodem temporis momento, quo gladius patris caput ejus præcidere pergebat, Divinitùs fuiſſe *ſervatum*, admonente genitorem Altiſſimo, ne quidquam mali puero inferret. Haud abſimiliter, cùm Eſau, armatâ militum manu ſtipatus, fratrem ſuum Jacobum invadere, totamque ejus domum devaſtare cogitaret, Angelum Domini Cœlitùs ſubmiſſum præſtò adfuiſſe, qui à tanto illum malo in tempore *præſervaret.* Quid de Davide dicendum? certè & illum Saul tam periculosâ cinxit obſidione, ut non aliter ejus manibus eripi poſſe videretur, quàm per aëra, ſi poſſibile foret, volitando ad quod alludunt verba illa, quæ in hâc perſecutione protulit, dicendo: *Transmigra in montem, ſicut paſſer.* ubi tamen Sacra iterum teſtatur Scriptura:

Gen. c. 15. v. 7.

Pſal. 10 v. 2.

tanto eum DEI ſavore fuiſſe præmunitum, ut non ſolùm manus ejus evaderet, ſed & hoſtem, ſi vindictam de illo ſumere luberet, in manus traditum haberet.

Verùm ſi tantam, tamque ſollicitam DEUS adhibuit curam, ut dictos Matris ſuæ progenitores à varijs corporis periculis eriperet, atque *ſervaret*, credendum hoc ipſo erit, eandem, ac longè majorem curam MARIÆ impendiſſe, ut ab omni eam occurrente periculo (quale potiſſimùm erat, incurrendi per originale peccatum, ſpiritualem animæ mortem) *conſervaret*, præcuſtodiret, ac præliberaret. Atque hoc eſt, quod de MARIA intellexiſſe credi poteſt, dum dixit, teſtante Aquilâ Apocalypticâ: *Ego ſervabo te ab horâ tentationis, quæ ventura eſt in orbem univerſum, tentare habitantes in terrâ.* quæ enim alia eſt illa *hora* univerſalis *tentationis*, quàm hora, in quâ dici poteſt: *Conceptus eſt homo?* ubi nemo *ſervatur* à tentatione, diabolo acceſſum ad animam, quamprimùm illa infunditur, obtinente: Ab hoc autem acceſſu, ſeu *tentatione*, MARIA ſola fuit gratioſè *ſervata*, clarè id affirmante Richardo à S. Victore, dum ait: (c. 26. in cant.) *Virgo tenebrarum principibus terribilis fuit; ut ad eam accedere, eamque tentare non præſumpſerint.* Nec mirum; licèt enim Chriſtus Dominus, tanquam ſupremus omnium paſtor, ovium ſuarum, etiam ab æterno, curam geſſerit; ſingularem tamen illam adhibuit, in cuſtodiendâ, & *conſervandâ* hâc mitiſſimâ ove, nempe MARIA, ne in ungues diabolicas immaniſſimi lupi, in orbem univerſum irruentis, incideret. hinc in eâdem Apocalypſi ait: *Ecce venio citò!* id eſt: Ecce! auxilium meum præſtò eſt, in ipſo conceptionis inſtantî, ad *ſervandam*, ac cuſtodiendam Te, ovem puriſſimam, (Apoc. c. 13. v. 8.) ex quâ naſciturus eſt *Agnus occiſus, ab origine mundi:* ut ſic ab *horâ* illâ *tentationis ſervata*, apta ac idonea fias, (Matt. c. 1. v. 18.) inveniri præfixo tempore *habens de Spiritu Sancto*, nec timendum tibi ſit, quòd alius *accipiat coronam tuam.* Sola ergo MARIA *coronam accipere* poterat; quia ſola *ab hora tentationis* originalis *conſervata*; quemadmodùm enim vaſtante Jeroſolymam Rege Babyloniæ, cùm multa alia abſcondere potuiſſent Sacerdotes, ignem tantummodò abſconderunt, qui in primo Sacrificio Moſaico è Cœlo delapſus, in Altari perpetuò aſſervari ardens debebat: haud aliter, vaſtante univerſam Adami peccantis progeniem Divinâ Nemesî, cùm plures utique homines ab irâ ſuâ abſcondere, ac præſervare potuiſſet, ſolam voluit abſcondere, & *conſervare* illam, quæ pijſſimis parentibus, Joachimo, & Annæ, poſt complura peracta Sacrificia, è Cœlo ſpecialiter data, perpetuo Divinæ charitatis igne, nullo vel momentanei peccati turbine extinguendo, ardere debebat. Tibi igitur, Virgo immaculata! tam potenter *ab horâ* originalis *tentationis* Divinitùs *ſervata!* habitantes in terrâ fideles, animitùs gratulamur, ſupplicesque pedibus tuis advolvimur, ut in *horâ tentationis* ſecundæ, venturæ pariter *in orbem univerſum*, nempe in *horâ* mortis, ſerves animas noſtras, *veniasque citò* in adjutorium, ut *nemo accipiat coronam* noſtram, Te impetrante, nobis in Cœlo præparatam.

## §. 2. *Authoritas.*

### VaLentInI ConſtantInopoLItanI, De MARIA ſententIa. 688.

1. *Illa gratia Sanctificationis, quâ fuit Sanctificata, non fuit ipſi collata, niſi per merita paſſionis CHRISTI: ſed per alium modum; nam in omnibus nobis fuit purgativa peccati: ſed in Beata Virgine MARIA, fuit illa gratia ab omni peccato præſervativa.* In 2. Cant.

2. *MARIA nunquam peccavit aliquo modo, nec corde, malè cogitando: nec ore, vanè loquendo: nec corpore, malè operando: imò fuit purior Sole; in-*

*in tantùm, quòd Spiritus Sanctus de eâ philocaptus, de ſuâ puritate fecerit unam cantilenam, dicens: Quàm pulchra es amica mea! & iterum: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* In 4. Cant.

## §. 3. *Ratio.*

689. BeLLa In ortV ſVpprIMere DeCet.

POëticum, Medicum, ac Politicum effatum eſt:

*Principijs obſta! ſerò medicina paratur.*

Sic morbi in principio faciliùs curantur: bella in ortu citiùs ſupprimuntur; hinc benè dixit Cyriac. Lentulus: *Comprimenda in ortu bellorum ſemina.* ſeu, quod idem eſt: Sapientis Belli Ducis eſt, ut in ortu bella ſupprimat; quia citiùs finiuntur: & periti Medici eſt, ut in principio occurrat morbis; quia faciliùs curantur. Ex quo ſequens, pro immaculatâ Conceptione, Ratio formari poteſt: Communis defactò mens SS. Patrum, cum Eccleſiâ, eſt, in Beatiſſimâ Virgine fuiſſe ſuppreſſum bellum, & rebellionem inter corpus, & animam: inter appetitum ſenſitivum, & rationem: inter rationem inferiorem, & ſuperiorem: ſimulque omnes infirmitates, tam corporales, quàm Spirituales, fuiſſe in eâ extinctas (quæ tamen omnia alijs hominibus propria ſunt) nam in MARIA omnia fuère adeò perfectè coordinata, ut unumquodque firmiter ſub ſuo ſuperiorî contineretur. Atqui (ut ſuprà diximus) ſapientis Belli-Ducis, & periti Medici eſt, Bella in ortu ſupprimere: infirmitatibus in principio occurrere. Ergo DEI etiam eſt, utpotè perfectiſſimi Belli-Ducis, ac Medici, ut ſtatim in ortu, & principio (id eſt, in ipſo inſtanti Conceptionis) enumerata bella, & infirmitates, in Beatâ Virgine ſupprimat, & curet. Subſumo. Atqui hoc efficere non poſſet, niſi ſimul in primo illo inſtantî tolleret peccatum originale. Ergo Beata Virgo, in eodem inſtantî, debuit fuiſſe immunis à peccato originalî. Subſ. Prob. Nequit tolli effectus, niſi ſublatâ causâ. Sed peccatum originale eſt cauſa omnium rebellionum, bellorum, ac morborum in homine. Ergo DEUS nequit hæc tollere, niſi priùs Beatam Virginem, in primo inſtanti Conceptionis, immunem à peccato originalî producat.

## §. 4. *Hiſtoria.*

DeIpara sIne Labe orIgInaLI, hILDegarDI reVeLata. 690.

S. Hildegardis, in Monte S. Roberti, propè Bingam, in Germaniâ Abbatiſſa, Ordinis noſtri Benedictini conſpicuus nitor, cùm ad Cœleſtia quondam (ut ſæpiùs aſſolebat) ſpiritu elevaretur, diverſum genus Muſicorum, & Harmoniam quandam ſuaviſſimam, in laudem puriſſimæ DEI Genitricis, hunc in modum ſymphonizantem audivit: *O ſplendidiſſima gemma, cui ſerenum Solis decus infuſum eſt! Fons ſaliens de corde Patris, qui eſt unicum Verbum ejus, per quod creavit mundi primam materiam, quam Eva turbavit.* Scripſit hæc virginum Virgini devotiſſima Virgo varias in laudem Deiparæ Epiſtolas, in quarum aliquâ ad Clerum Colonienſem hæc habet: *MARIA majorem gratiam contulit, quàm Eva nocuiſſet.* Cumque ipſi veritas, de Conceptione ejusdem Virginis Deiparentis, ſpecialiter à DEO fuiſſet revelata, feliciſſimo tandem ex hac vitâ tranſitu, ad Cœleſtem migravit Sponſum, Anno Domini 1180. ætatis ſuæ octuageſimo ſecundo. *Didacus Jepeſius Tom. 7. Chronic. S. Benedict. Hipolytus Marraccius, in Lilijs Marian.*

## §. 5. *Symbolum.*

691. OCVLI, parVâ ſorDe MoLeſtatI.




Nil tenerum magis eſt oculis, quos parva moleſtant:
Pulvere vix tenuî lumina tacta dolent.
Pura DEI Genitrix novit, quàm parva moleſtent;
Hinc nullo inſtanti ſordida labe fuit.

*Si inveni gratiam in oculis tuis.* Eſther. c. 7. v. 3.

## §. 6. *Antiquitas.*

992. Athenienſes, In ConCertanDo, CIrCà retInenDa sCVta ſoLLICItI.

MOs olim Athenienſibus erat, lege etiam firmatus, ut in bellico conflictu, clypeum quisque ſuum integrum conſervare ſtuderet, ſi præmio vel honore affici vellet; opprobrio enim maximo vertebatur, ſi clypeum è bello fractum quis in Patriam retuliſſet. Unde cùm Epaminondas, Dux inter Athenienſes armis inclytus, in conflictu cum hoſtibus inito, lethale accepiſſet vulnus, moribundus hoc ultimum ſollicitè interrogâſſe fertur: ſcutúmne integrum adhuc eſſet? quod ubi ſalvum eſſe intellexit: *Bene eſt*, inquit, *proferte, ut videam, exoſculer, ac in ejus amplexu lubens immoriar!* Cùm ergò delatus in caſtra ſemi-animis fuiſſet, ac vocem pauliſper, ſpiritumque collegiſſet, id unum denuò ex circumſtantibus requiſivit: num cadenti ſibi ſcutum ademiſſet hoſtis? quod ut ſervatum inaudijt, afferri ſecundò petijt, illudque, velut fideliſſimum laboris, ac gloriæ ſuæ ſocium exoſculatus, paullò poſt læto animo expiravit. *Valerius max. lib. 3. c. 2. Juſtin. in Annal.*

Non errabo, ſi MARIAM clypeum Chriſti Salvatoris dixero: in quo adeò ſemper eſt gloriatus, ut ubique ſalvum eſſe, omnî ſollicitudine curârit, imò & illæſum jugiter conſervârit. Clypeus enimverò MARIA fuit, certaminum ac laborum Chriſti fidelis ſocius, non ſolùm, quando per novem menſes eum cuſtodivit in utero: non ſolùm, quando à furore Herodis eum fugiendo protexit: verùm etiam, quando in Cruce pendenti, ac cum morte luctanti fortiter adſtitit, nec ab eo avelli potuit, ſed fideliſſimum ſe comitem, in finem uſque, probavit: quamquàm cæteri omnes (vix uno Joanne excepto) relicto eo aufugerint; Hinc eſt, quòd, cùm jam emiſſurus eſſet ſpiritum DEI Filius, graviſſimè propter ſcelera noſtra vulneratus, inclinato capite, oculos ad terram defixerit, ac ſi ſollicitè quæreret: ſalvúsne clypeus ejus MARIA eſſet? cumque eam Cruci adſtantem, per omnia videret illæſam, ſic tacitâ mente, verba ultima conceperit: *Bene eſt, ſufficit mihi, clypeum meum videre ſalvum: gratulor mihi, & jam lubens pro peccatoribus morior. Reſpiciam ergo adhuc ſemel ad MARIAM Matrem meam, eandemque, ut ſcutum fideliſſimum, tot exantlatorum laborum meorum individuum ſocium, expanſis in Cruce brachijs amplectar, ac ultimum eidem oſculum infigendo, lætus immoriar.* Cùm proinde MARIA, dicto modo, clypeus extiterit Chriſti, conſequens haud dubiè eſt, indemnem illam, omnî momento ab eodem ſervatam, ac ab ipsâ etiam originalis peccati maculâ gratioſè fuiſſe præſervatam.

§. 7.

§. 7. *Anagramma.*

693. LaCta DEVM, VIrgo sIne Labe !

*Lacta puro ſinu (eja amata!) Mundi Regem!*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.*

# De Conceptâ Sacrâ Deiparâ.

# CONCEPTUS C.

## §. I. *Scriptura.*

694. IerVſaLeM noVa, CœLeſtIs, à DEO.

Apoc. c. 21. v. 2. *Vidi Sanctam Civitatem Jeruſalem, novam, deſcendentem de Cœlo, à DEO.*

Apoc. c. 21. v. 5. ECce! *nova facio omnia*, dum in fine centum Conceptuum, ex Sacris paginis petitorum, MARIAM puriſſimè conceptam, tanquàm *novam* Cœleſtem *Jeruſalem*, *à DEO deſcendentem*, exhibeo; nec enim aliò mea hìc collimat intentio, quàm, ut illud ipſum, quod in honorem Virginis jam pridem Spiritus Sanctus formavit, elogium MARIÆ attribuam,
Cant. c. 6. v. 3. ubi ait: *Pulchra es amica mea, ſuavis, & decora, ſicut Jeruſalem.* Sive ergo Regalem in terris, ſive glorioſam in Cœlis *Jeroſolymam* intelligere velimus, MARIAM illa adumbrabit, immaculatè conceptam. Atque, ut de terreſtrî initium ſumamus: dicebatur illa jam pridem *Civitas DEI*, atque *Urbs perfecti decoris.* & quid aliud de MARIA dicendum? *Bene*, inquit
L. 11. de Laud. V. Richardus à S. Laurentio: *Bene Civitas DEI, quæ tota fuit DEI; quia nihil in eâ habuit pars adverſa.* Quòd ſi etiam MARIÆ decorem decori illius Urbis comparere velimus: erant in illâ Civitate conſiderandi muri, & turres: ſed non minùs in MARIA ſpectabi-
Cant. c. 8. v. 10. les, quæ ait: *Ego murus, & ubera mea ſicut turris.* Conſiderandæ ibi erant viæ, & plateæ, portæ & feneſtræ: MARIA ait: *Beati qui cuſtodiunt vias meas*: Eccleſia quoque canit: *Cœli feneſtra facta es: Tu Regis alti Janua, &c.* Templa, ac Sanctuaria, horti & pomaria, fontes, ac putei, terreſtrem condecorabant Jeroſolymam: Prov. c. 8. v. 31.
MARIA eſt *Templum DEI: ſacrarium Spiritûs Sancti: hortus concluſus: fons hortorum, & puteus aquarum viventium*: & vel ideo *Urbs perfecti decoris*; quia ſemper ſine maculâ, Numinis miſericordiâ eam ſervante, ut in ſpiritu prænôſſe videtur Eccleſiaſticus: *Miſerere*, Cant. c. 4. v. 12. & 15.
inquiens, *Civitati Sanctificationis tuæ Jeruſalem, Civitati requiei tuæ.* ſive, ut Zacharias ad originale præluſiſſe videtur, dicens: *Anathema non erit ampliùs, ſed ſedebit Jeruſalem ſecura.* c. 36. v. 15 c. 14. v. 11.

Verùm, quia pulchritudo Virginis aſſimilatur Civitati Jeruſalem Cœleſti potiùs, quàm terreſtri, ad illam demonſtrandam pariter convertamur. Civitas illa nonnihil adumbrata à Joanne Apoſtolo, perhibetur in quadro poſita: duodecim (juxta illum) portæ Civitatem circumdant, ex Margaritis ſingulæ: ſtructura muri ex Jaſpide polito: plateæ ex auro mundiſſimo, ſimili vitro pellucido: turres gemmis ædificatæ: Civitas non eget Sole & Lunâ; nam *claritas* Apoc c. 21. v. 23.
*DEI illuminat eam*: temporis diuturnitate ruinam non patitur, terræ motu non concutitur, igne non conſumitur, aquis non obruitur: ad ejus mœnia nulli hoſtium appropinquare eſt conceſſum: Civitas *glorioſa* à portis, *glorioſa* à mœnibus, *glorioſa* à turribus

ribus, *glorioſa* à majeſtate, quæ eam inhabitat: verbo, Aula DEI, Oceanus deliciarum, Angelorum manſio, portus tranquillus, requies Sanctorum, terra viventium. Et quid aliud eſt hæc Civitas, quàm exhibitio MARIÆ, *Jeroſolymæ* verè *novæ*, *deſcendentis de Cælo*, *à DEO*, verè benedictæ, Sanctæ, munitiſſimæ? cujus *fundamenta in montibus Sanctis*: murus, virginitas illibata: portæ, os, oculique ſereniſſimi: turres, prudentia, & circumſpectio: cives, innumerabilis virtutum, meritorumque populus: Rex, perſpicaciſſima ratio: Caſtellum, cor, ſolis Divinis æſtibus pervium. *Jeruſalem* namque adeò illuſtris, adeò luminoſa, eſt MARIA, ut nullo alterius Solis fulgore indige-

Ibidem. at, quam ipſa *DEI claritas illuminavit, & lucerna ejus eſt Agnus.* Jeruſalem, nullâ prorsùs maculâ obſcura, in quam nihil introivit inquinatum: Sancta tota, tota aurea, tota pellucida, tota fulgida, ignea tota: nullâ ſui parte, nullo unquam tempore contaminata, nunquam abominabilis, glorioſa ſemper, ac ſine omnî defectu. Hoc nimirùm indicant *fun-*

v. 19. *damenta muri Civitatis* (non tantùm Cœleſtis Jeroſolymæ, ſed & MARIÆ) *omnî lapide pretioſo ornata*, ac à Joanne, ſecundùm ordinem, fuſiſſimè deſcripta. Quid enim per Jaſpidem, primo loco poſitum (ex quo etiam muri Civitatis compoſiti dicuntur) intelligendum, quàm Chriſtus? de quo

c. 4. v. 3. in eâdem Apocalypſi dicitur: *Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectui lapidis Jaſpidis.* ex cujus infinitis meritis, omnis Civitatis Virgineæ ſtructura, pulchritudo, & Sanctitas conſiſtebat: ſuper quem etiam, tanquam gemmam du-

L. 37. c. 8. riſſimam (qualis à Plinio Jaſpis dicitur) MARIÆ Conceptio fundabatur. Similiter Sapphirus, ſecundo loco poſitus, de quo Iſaias MARIÆ

c. 54. v. 11. prædixit: *Fundabo te in Sapphiris*, quid aliud violaceo ſuo colore (teſte eo-

Plin. l. 37. c. 9. dem Plinio) aureis punctis collucente, deſignat, quàm MARIAM, in primo Conceptionis momento, aureis Divinæ gratiæ radijs collucentem? præterquàm, quòd natura hanc gemmam eâ ornet pulchritudine, ut lucidiſſimis hinc inde ſanguinis maculis rubeat, ab ijsque ingentem obtineat decorem: Virgine ſimiliter Deiparâ, ſummam pulchritudinis laudem ex eo obtinente, quòd aſperſa in primo inſtanti Conceptionis apparuerit, guttis pretioſiſſimi ſanguinis Chriſti, in Cruce effundendi. Prætereo reliquos fundamenti lapides, *novam* noſtram Cœleſtem Civitatem *Jeruſalem* (MARIAM nempe) in ſuâ Conceptione Sanctam denotantes. Atque, ne nimiùm longus in ultimo Conceptu Lectori videar: ad MARIAM converſus, id unicum rogo, ut quæ (teſte Auguſtino)

*fundatur, ut Civitas refugij, aſylum, &* L. 5. de Civit. Dei c. 17.

*portus ſpei*, dicente in ejusdem perſonâ Divo noſtro Damaſceno: *Ego ſum Civitas refugij, omnibus ad me confugientibus*, & mihi, mille peccatorum maculis ſcatenti, atque à Divinis fortaſsè oculis repellendo, ſit *Civitas refugij*, perque ſingularem immaculatæ ſuæ Conceptionis prærogativam (cujus honori exiguum meum laborem in hoc Opere impendi) impetret ingreſſum in feliciſſimam hanc *Civitatem*, ut firmiſſime *in montibus Sanctis, omnî lapide pretioſo* fundatam, ita in perpetuas æternitates duraturam.

## §. 2. *Authoritas.*

### S. VInCentII FerrerII, De ILLibatâ Mens. 695.

1. *Non credatis, quia fuerit ſicut in nobis, qui in peccato concipimur, ſed ſtatim, ac anima fuit creata, fuit ſanctificata, & ſtatim Angeli in Cœlo celebraverunt Feſtum Conceptionis.* Serm. 2. de Nativit.

2. *Lux dicitur illa benedicta generatio Virginis MARIÆ, quæ ſine tenebris culpæ facta eſt.* Ibid.

3. *Abigail, quæ lætificavit Patrem ſuum Adam, triſtem, & flentem ex ſuo peccato, eò, quòd occaſione ſui tot damnaren-*

ren-

*rentur. Abigail enim interpretatur: Patris exultatio.* Serm. de Annunt.

### §. 3. *Ratio.*

696. OpVs ArtIfICeM LaVDare ſoLet.

VUlgare hodie Axioma eſt: *Opus laudat ſuum artificem*; unde etiam tres Pueri, in fornace ardenti Babylonicâ, omnes Creaturas, tanquam opera Omnipotentis DEI, ad laudandum, ac benedicendum ſupremum hunc ſuum Artificem invitant, cantantes: *Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate, & ſuperexaltate eum in ſæcula.* Dan. c. 3. v. 57. Atqui Beata Virgo ſpecialiſſimè, ſupra omnes alias Creaturas, DEUM artificem ſuum collaudat, dicendo: *Magnificat anima mea Dominum, &c. quia fecit mihi magna, qui potens eſt.* (Luc. c. 1. v. 47. & 49.) Ergo Beata Virgo debuit eſſe opus omninò perfectiſſimum, & ſingulariſſimum Divinæ Omnipotentiæ. Subſumo. Sed ſi Beata Virgo fuiſſet concepta in peccato originalî, jam non eſſet ſpecialius opus à cæteris creaturis; cùm eodem modo, quo alij omnes, eſſet in ſui ortu vas infectum, & privatum omnî dono ſupernaturalî. Ergo ut Beata Virgo dici valeat opus ſingulariſſimum Cœleſtis Artificis, ſuprà cæteras creaturas, & plusquàm hæ omnes laudare eum poſſit, debuit omninò eſſe concepta, ſine peccato originalî.


### §. 4. *Hiſtoria.*

697. teMpore ConCILII basILeenſIs, ConCeptIo reCeptâ. aC peſtIs aVerſa.

CUm Anno Milleſimo, Quadringenteſimo, Trigeſimo nono, Concilium in Civitate Baſileensî celebraretur, ac Patres ibidem congregati, quantumvìs de reliquo ſeditioſi, ſeverè prohiberent, ne quis impoſterùm auderet quidquam contra Sacrum immaculatæ Conceptionis Myſterium vel concionari, vel docere; quantocyùs à graſſante ibidem peſtiferâ lue, per illibatæ Virginis interceſſionem, Civitas fuit liberata, Cœlo hoc Decretum, per ſpeciale beneficium, approbante. Atque hæc erat ratio, quòd idem Decretum à Concilij quoque Avinionensis Patribus, Anno Milleſimo, Quadringenteſimo, Quinquageſimo ſeptimo, fuerit receptum, ac jugiter roboratum, per ea verba: *Decretum in Concilio Baſileensî Feſtum, de Conceptione Beatiſſimæ Virginis, ſtatuimus, inviolabiliter obſervari.* Spondanus, *ad Annum 1439. num. 39.*

### §. 5. *Symbolum.*

eXCeLsa In CIVItate ſtrVCtVra, absqVe VLLo InfortVnIo, In sVbLIMe eVeCta, & abſoLVta. 698.




Nemine dum læſo finem ſtructura ſecundum
Obtinet: Ecce! Arbor ſurgit in alta virens;
Dum ſtruit Omnipotens puram ſibi dextera Matrem,
Stat ſuper hanc Geniti Crux veneranda ſui.

*Tu verò perfeciſti eam.* Pſal. 67. v. 10.

§. 6.

## §. 6. *Antiquitas.*

699. Vrbs roMana, VIDens tres SoLes, In CœLo.

CIrca Cæſaris Auguſti tempora, vidit, & meritò obſtupuit ſepticollis Urbs Romana tres Soles in Cœlo, versùs Orientem, paulatim in unum coëuntes: qui Soles, Aſtrologorum judicio, nil aliud Auguſto præſagiebant, quàm: Tres Orbis partes, Aſiam, Africam, & Europam, in unam aliquandò Monarchiam à Cæſare redigendam. *Boſquierius in Arâ Cœli. Conc. 17.*

Liceat, pro Antiquitatum, Virgini immaculatè conceptæ hactenùs applicatarum, Coronide, tres Soles paulatim in unum coëuntes, Auguſtiſſimam Divinarum Perſonarum Triadem, in unam Deitatis eſſentiam convenientem interpretari. vel potiùs, liceat Tresháſce Divinas Perſonas, de redimendo humano genere conſilium ineuntes intelligere: Hæ enimverò, nempe Patris, Filij, & Spiritûs Sancti Sacratiſſimæ Perſonæ, tùm vel maximè in unùm convenêre, quando ad primam propoſitionem illam: *Quem mittam? & quis ibit nobis?* Iſaiæ c. 6. v. 8. id erat ſingularum conſilium, ut una ex ipſis, ſecunda in Deitate Perſona, Unigenitus æterni Patris Filius, carnem humanam aſſumere, ex Virgine naſci, ac in Cruce pati deberet. Cùm proinde tam myſterioſæ Maternitatis munus jam tùm non alteri, quàm Mariæ eſſet deſtinatum, talis triplicis Divini Solis in unùm congreſſus, ac imperſcrutabilis Conſilij illius increati in Unitate Trinitas, & in Trinitate Unitas, haud vanum fuiſſe videtur Mariæ præſagium, eam, (in quam pariter unam, ad ſecundam propoſitionem: *quæ deberet eſſe Mater?* convenerunt omnes) Eam inquam, ut ante, in, & poſt conceptionem incarnati Filij Divini Virginem, ita etiam in ſui Conceptione, à triplici peccato, tam originalî, quàm mortali, ac venialî, fore immunem: atque adeò, quemadmodùm Aſia, Africa, & Europa, in unam Monarchiam (non fallente triplicis Solis augurio) à Cæſare fuit redacta: ita Patris quoque Potentiam, Filij Sapientiam, ac Spiritûs Sancti Bonitatem, in unam Mariæ præſervationem, à triplici maculâ, non vano augurio concurriſſe.

## §. 7. *Anagramma.*

VIrgo MVnDa à peCCato? Ita. 700.

*En! Virgo ſemper munda à maculâ: Ita, ita.*

Verſio litteralis.

*Ave Maria, gratiâ plena, Dominus Tecum.*




Dat

# Dat fIneM tabVLa sæCVLarIs

Appendicis locò annexa, ac centum litteras continens,

*in quâ*

Si à primo I, per diverſiſſimas licèt vias, progrediaris,

Sæpiſſimè legenda oculis obverſabitur, & in O terminabitur

| | | | | | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|---|---|---|---|
| I | M | M | A | C | V | L | A | T | A |
| M | M | A | C | V | L | A | T | A | C |
| M | A | C | V | L | A | T | A | C | O |
| A | C | V | L | A | T | A | C | O | N |
| C | V | L | A | T | A | C | O | N | C |
| V | L | A | T | A | C | O | N | C | E |
| L | A | T | A | C | O | N | C | E | P |
| A | T | A | C | O | N | C | E | P | T |
| T | A | C | O | N | C | E | P | T | I |
| A | C | O | N | C | E | P | T | I | O |

Ubi per primam litteram I, intelligere poteris
primum inſtans Conceptionis:
per ultimam vero litteram O
Singularem hanc MARIÆ prærogativam, ab æterno inchoatam,
ac per Sæcula ſine termino duraturam.
Si denique principium & finem, I & O, conjungere lubeat,
Quid aliud reſonabit, niſi incundiſſimum IO!
gratulabunda illa acclamatio,
ob glorioſiſſimam, ac à Sæculis inauditam
Virginis de ſerpente antiquo
Victoriam?

Veruntamen in omnibus

## Me sVbIICIo seDI pontIfICIæ:

*Ut in omnibus glorificetur DEUS. Reg. S. Ben. c. 57.*

# INDEX UNIVERSALIS
## RERUM IN HOC OPERE CONTENTARUM,
### Non quidem ſecundùm Numeros foliorum, ſed ſecundùm numeros marginales, pro majorî quærentium facilitate inſtructus.

## A.


*Abbatiſſam* Virginitas condecet. Num. 570.
*Abiathar* Sacerdos veniam à Salomone impetrat, ob portatam Arcam DEI. n. 211.
*Abimelech* à fœminâ interficitur. n. 176.
*Abraham* Iſaaco filio ſollicitè de ſponsâ provider, quæ non ſit peccatrix. n. 673. Uxorem ſuam Sororis nomine compellat, & cur? n. 498.
*Abſalom* ſingularis pulchritudinis. n. 267. A Patre Davide tenerrimè amatur, ac poſt mortem deploratur. *ibid.*
*Abſurda* plurima, ex Mariæ Conceptione maculatâ ſecutura. n. 367.
*Abyſſi* merito peccata dicuntur. n. 435.
*Accedat!* vox grata adoleſcentibus ſtudioſis, præmia ſperantibus. n. 299.
*Accuſare* in criminalibus Imperatricem, aut Reginam, non licet, niſi probæ adſint luce meridianâ clariores. n. 239.
*Achilles,* à Thetide Matre aquis ſtygijs immerſus, fit invulnerabilis. n. 27. Hectorem interficit, & cadaver feris obijcit. n. 461.
*Acies caſtrorum* ordinata, quid requirat? n. 484.
*Actore* non probante, reus abſolvitur. n. 647.
*Actuale* peccatum non committens in ætate adultâ, nec originale commiſiſſe cenſetur. n. 31.
*Actu* conceſſo, conceſſa hoc ipſo omnia, ad actum neceſſaria. n. 640.
*Aculeus* in apibus, non verò in favo mellis. n. 579.
*Adamas*, ejusque proprietates. n. 561. Eſt Symbolum Mariæ immaculatæ. n. 565. Pretioſus in Annulo Regis Navarræ. n. 566.
*Adamus,* formatus de terrâ etiamnùm Virgine. n. 8. Ejus origo non perfectior origine Chriſti. n. 171. Ejus pura productio. n. 430. Eſt caput noſtrum tam naturale, quàm morale. n. 659.
*Adam, ubi es?* correſpondet verbo: *Ave*, & cur? n. 477.
*Adonias*, ejusque Regnandi cupiditas. n. 274.
*Adonidis* imago ab incendio ſollicitè ſervata. n. 272.
*Adverſarij Conceptionis* diverſimodè puniti. *Quære in Indice Hiſtoriarum.*
*Æneas* Anchiſen Patrem à Trojano incendio liberat. n. 76.
*Agar* unà cum filio è domo Saræ eijcitur. n. 274.
*Agnus* unico ramo trahendus, Mariæ Symbolum. n. 173. Unus aberrans complures poſt ſe trahit. n. 677.
*Agrippinæ* ſinus Leandri refugium. n. 531.
*Alauda*, Mariæ Symbolum. n. 397.
*Alba origo Nivis*, Mariæ Symbolum. n. 271.
*S. Alberti Magni* Authoritates de Concept. n. 2.
*Albigenſes* à S. Dominico confuſi. n. 158.
B. *Alcuini* Authoritates de Concept. n. 9.
*Alea* quoquò jacta, ſemper erecta, Mariæ Symbolum. n. 621.
*Alexander Alenſis* priùs adverſarius immaculatæ Conceptionis, per morbum corrigitur. n. 536.
*Alexander Magnus,* Macedonum Rex, parcit Domui Pindari, & cur? n. 153. Fundamentis Leontopolitanis, calcis locò, farinam candidiſſimam ſubijcit. n. 265. Parcit Templo Dianæ, Deæ puritatis conſecrato. n. 293. Prohibet interfici Pavones. n. 321. Equus ex ejus comitatu picto equo adhinnit. n. 384. Ejus memoranda liberalitas. n. 629. Alexandria, ob ejus nomen portæ adſcriptum ab excidio libera. n. 258.
*Alpha*, *& Omega*, A & Ω explicatur. n. 106.
*Alphonſus Luſitaniæ Rex*, ejusque ſcutum à Salvatore acceptum. n. 489.
*Alphonſus Rodericius,* inſignis cultor immaculatæ Conceptionis. n. 564.
*Alphonſi Toſtati* Authoritas de Conceptione n. 16.
*Altare privilegiatum*, Mariæ Symbolum. n. 614. Mariæ, & Altaris compoſitio. n. 610.
*Altare holocauſtorum*, à gentibus contaminatum, à Judâ Machabæo deſtructum, & cur? *ibid.*
*Altitudo Mariæ* ſuper omnes Sanctos. n. 603.
*Alveare* Mariæ immaculatæ Symbolum. n. 152.
*B. Amadei* Authoritas de Conceptione. n. 23.
*S. Ambroſij* Authoritates de Conceptione. n. 30.
*Amicus eſt alter ego.* Proverbium. n. 682.
*Amor* Davidem inter, & Jonatham. n. 232. Amare idem eſt, ac velle bonum. n. 3.
*S. Amphilochij* Authoritas de Conceptione. n. 37.
*Anagrammata* 100. ſuper illa verba: *Ave Maria, gratiâ plena, Dominus tecum.* In ſpeciali Indice Anagrammatum.
*Anaſtaſij Sinaitæ* Authoritas de Conceptione. n. 44.
*Anaxarchus* Philoſophus ab Alexandro liberaliter præmiatus. n. 629.


*Ancæ*

*Ancæus* de Vineâ ſollicitus. n. 545.

*Anchiſes* per Æneam filium à Trojano incendio liberatus. n. 76.

*Anchora* Navim conſervans, Mariæ Symbolum. n. 350.

S. *Andreæ Apoſtoli* Authoritas de Conceptione. n. 51.

S. *Andreæ Cretenſis* Authoritates de Conceptione. n. 58.

*Andromeda* è Balenæ periculo à Perſeo liberata. n. 300. Eidem copulata; ac ſtellis adlecta. ibidem.

*Angelus Gabriel* ſuâ ſalutatione probat illibatam. n. 192. Item per 100. Anagrammata. in Indice proprio. Cur hæc Salutatio ter in die repetenda? n. 246.

*Angeli* Nomen Sacerdotibus competit, & cur? n. 127. Maria non tantùm Angelis æqualis; ſed & ſuperior. n. 206. Mariæ cum Angelis comparatio. n. 407. In Mariæ concipiendæ cuſtodiam in maximo numero delegati. Ibid. In horum gloriam cedit Reginæ ſuæ immaculata Conceptio. Ibid. Celebrant in Cœlo ſingulis annis Feſtum immaculatæ Conceptionis. n. 396. Maria Angelis altius nomen hæreditavit. n. 409. Dum Mariæ Nomen JESU Angelus indicat, nullam peccati mentionem facit, & cur? n. 673.

*Angues* à Ciconiâ devorantur. n. 187. Confunduntur à Pſittaco. n. 229. Sub umbrâ olivæ enecantur. n. 558.

*Animæ purgantes* Mariæ acceptæ. n. 249.

*Animal quodcunq;*, ſpeluncam Unicornis ingreſſum, cauſam præbet deſerendi Domicilij. n. 320.

S. *Annæ* utilis invocatio, per partum puræ filiæ. n. 242.

*Anna à S. Bartholomæo*, Deiparæ Conceptæ devota. n. 340. In tentationibus ad Sacellum immaculatæ Conceptionis confugit. Ibid. Comparentem frequenter habet B. Virginem. Ibid.

*Annibal* à Scipione filio hoſtium manibus eripitur. n. 391.

*Anniceris* Auriga famoſiſſimus. n. 601. Ejus prudens conſilium. n. 608.

*Annulus* pretioſus Regis Navarræ, Solem, Lunam, ac Stellas in Adamante exprimens. n. 566.

B. *Ansberti* Authoritas de Conceptione. n. 65.

S. *Anſelmi* Authoritates de Conceptione. n. 72. Idem Sanctus inchoat in Angliâ Feſtum Conceptionis. n. 11. Idem in præſentiſſimo mortis periculo à B. Virgine miraculosè ſervatur. Ibid.

*Anſerum Solennitas* Romæ antiquitùs celebrari ſolita, & cur. n. 538.

S. *Antiochi* de Conceptione Authoritas n. 79.

*Apelles* Protogenis picturam collaudat. n. 237. Ex unicâ ſubdili lineâ, præſentia ejus agnoſcitur. n. 370.

*Apollo* Pythonem venenoſiſſimum ſerpentem interficit. n. 216. Ex quo ſuam traxerunt originem Ludi Apollinares. Ibid.

*Apoſtolorum pedes* à Chriſto loti, & cur? n. 491. & n. 582.

*Apparitiones* variæ, circa immaculatam Conceptionem. In Indice Hiſtor.

*Aquarum Congregationes* Maria appellatæ. n. 1. Nunquam maledicta Aqua, Mariæ Symbolum. n. 649. Spiritûs Sancti vehiculum. n. 680. pro regeneratione baptizandorum ſpecialiter creata. Ibid. Cygnum inſidentem non madefacit. n. 236. Ejus uſus quadruplex. n. 344. Ex Styge Flumine communiter mortifera. n. 34. Hæc confringit vaſa omnia; niſi ungula equi injiciatur. Ibid.

*Aquilâ*, fulmina ſpernens, Mariæ Symbolum. n. 355. Calceum Rodope ad pedes Regios defert. n. 496.

S. *Aquinatis Thomæ* Authoritates pro immaculatâ Conceptione. n. 660.

*Arbor* bona è fructibus cognoſcenda. n. 134. & 577. Arbor certa Indica à ſerpentibus in radice infici ſolet. n. 580. Arbor Nabuchodonoſoris. n. 575.

*Arbuſcula viridis*, abſolutæ novæ ſtructuræ imponi ſolita, Mariæ Symbolum. n. 698.

*Arca Noë* undis ſuperior. n. 36.

*Arca Teſtamenti* de lignis Setim, & cur? n. 113. Intùs & foris deaurata. Ibid. Dagonem confundit. n. 211. Hanc temerè attrectans Oza ſubitaneâ morte punitur. n. 239. Subſiſtit in domo Obededom. n. 246.

*Archimedes* unicum punctum extrà mundum exigit, & cur? n. 349.

*Arctuus Rex* parcit Leandro perduelli Aulico; ad Agrippinæ Matris ſinum confugienti. n. 531.

*Argentum vivum*, vaſi cuicunque infuſum, frangit illud. n. 82. Nequit tamen frangere vitrum. Ibid.

*Arguere* Mariam peccati, magna temeritas. n. 652.

*Argumenta* plurima contra immaculatam Conceptionem, à Scoto ſolo reſoluta n. 403.

*Ariobarzenis* Regis Cappadociæ in filium dilectio. n. 433.

*Arma* Mariæ, Crux præviſa. n. 376.

*Arnoldi Carnotenſis* Authoritas de Conceptione. n. 86.

*Artemiſia* ſola integrum Græcorum exercitum debellat. n. 167.

*Artifex* ſapiens probatur, ſi ex materiâ imperfectâ producat opus perfectum. n. 549. Opus laudat artificem. n. 696.

*Arundo* à ventis infracta, Mariæ Symbolum. n. 110.

*Arx munita*; Urbis Præſidium. n. 306.

*Aſa Rex*, ejusque in DEUM pietas. n. 309.

*Aſdrubal* à Scipione devictus. n. 209. Ejus Conjugis generoſitas. Ibid.

*Aſſis* condonatio, Nobilium Hiſpalenſium prærogativa. n. 174.

*Aſſuerus* Vaſthi Reginam aulâ proſcribit. n. 337. Eſtherem à communi lege abſolvit. n. 351.

S. *Athanaſij* Authoritates de Conceptione. n. 93.

*Athenienſes* oculos ſuos immobiliter in Themiſtoclem convertunt. n. 314. Eorum cum Æginenſibus diſſenſio, & pactum initum. n. 608. In bellicis congreſſibus; circà conſervanda ſcuta ſolliciti. n. 692.

*Atilius Regulus* immanem Draconem perimit. n. 405.
*Ave Maria, &c.* Anagrammaticè Mariam prodit immaculatam. Vide in Indice proprio. Quomodo utiliter in honorem immaculatæ Conceptionis recitandum. n. 102.
*S. Auguſtini* Authoritates de Conceptione. n. 100.
*Auguſtus Cæſar* Alexandriæ parcit, ob inſcriptionem Alexandri. n. 258.
*Avis Lucidia*, viatoribus noctu prælucens, Mariæ Symbolum. n. 341.
*Avis Paradiſiaca*, Mariæ Symbolum. n. 19.
*Aviculæ* à Zeuxide deceptæ. n. 559.
*Aurorâ* aſcendente, bellum inter Angelum & Jacobum finitum. n. 57. Hâc ſurgente, latebras repetunt beſtiæ nocivæ. Ibid. Hanc nocturni adulteri, latrones, &c. pertimeſcunt. Ibid. Eſt Mariæ immaculatæ Symbolum. n. 61.
*Aurum* maximæ quantitatis in Templo Salomonis. 288. Rubiginem non admittit, adeoque eſt Symbolum Mariæ. n. 474. Ejus inanis cupido. n. 636. Vellus aureum à Jaſone reportatum. n. 223.
*Auſtreberta* Abbatiſſa cum ſuis Monialibus ab interitu præſervata.
Indulta & beneficia Principis in favorem ſunt interpretanda. n. 479. Filijs Principum conceſſa non habent annexam penſionem. n. 591. Plurima beneficia per devotionem immaculatæ Conceptionis accepta. Vide in Indice Hiſtor.
*Berckmann* Soc. J. Immaculatæ Conceptioni devotiſſimus. n. 186.
*S. Bernardini Senenſis* Authoritates de Conceptione. n. 128. Ejus miraculoſa apparitio. n. 676.
*S. Bernardi* Authoritates pro Conceptione. n. 135. Ejus apparitio facta cuidam Ordinis ſui Religioſo. n. 452.
*Bethſabea* coram Davide pro filio Salomone perorans. n. 274.
*Birgittæ* revelationes circà immaculatam Conceptionem. n. 274. & 382. Ejus mater Sigridis miraculosè propter ipſam è maris periculo liberatur. n. 398.
*S. Bonaventuræ* Authoritates de Conceptione. n. 142
*Bonitas Arboris* à fructibus cognoſcenda. n. 577.
*Bonum* ex integrâ causâ, malum ex quolibet defectu. n. 416.
*Booz* Ruth puellam deprædicat. n. 204.
*Bravium* unus accipit. Mariæ Symbolum. n. 523.
*S. Bruonis* Authoritates de Conceptione. n. 149.

## B.

*B.* Littera proxima primæ, Mariæ Symbolum. n. 12.
*Bacchus* ad Midæ preces omnia vertit in aurum. n. 636.
*Balbus Octavius* pro Filij ſalute ſponté occidendum ſe tradit. n. 678.
*Baptismus* cur Mariæ collatus? n. 582.
*Baſileenſe Concilium* ſtatuit Mariam immaculatè conceptam. n. 170. Eo tempore Peſtis ibidem averſa. n. 697.
*Baſiliſcus* objecto ſpeculo necatur. n. 516.
*S. Baſilij Magni* Authoritates de Conceptione. n. 107.
*S. Baſilij Seleucienſis* Authoritas de Conceptione. n. 114.
*Batavi* ab Hiſpanis cæſi, ope immaculatæ Virginis. n. 487.
*Beatificatio* prærequirit gratiam gratum facientem. n. 507.
*Beatius* eſt magìs dare, quàm accipere. n. 619.
*Beatorum* obitus, non natales in Eccleſiâ celebrantur. n. 304. Eorum Reliquiæ colendæ, & cur? n. 684.
*Beatrix de Sylvâ*, Ordinis de Conceptione inſtitutrix. n. 473. Reperit miraculosè perditum Diploma Pontificium. Ibid. Admonetur de ſuâ morte à B. V. Ibid. In ejus defunctæ fronte aurea ſtella conſpicitur. Ibid.
*S. Bedæ Venerabilis* de Conceptione Authoritas. n. 121
*Belial.* & Chriſti nulla connexio. n. 269.
*Bella* in ortu ſupprimenda. n. 689.
*Bellerophon* Victor Chimeræ. n. 335.
*Bellona* è Jovis cerebro armata procedit. n. 377.
*Beneficia* benefactoribus ſunt præſtanda. n. 626.

## C.

*Cæſar Auguſtus* Alexandriæ parcit, ob inſcriptionem Alexandri. n. 258. Ejus fortunæ præſagium, tres Soles Romæ conſpecti. n. 699.
*Cæſari* reddenda, quæ ſunt Cæſaris. n. 388. Ejus Cerva cum collari: *Cæſaris ſum.* à nemine lædenda. n. 656.
*Caianus* Comicus in Mariam impius, ejusdemque punitio. n. 239.
*Calcaneus*, quid? n. 491.
*Calceamenta* Mariæ pulchra. Ibid.
*Calceus Rodope* ab aquilâ ad pedes Regios delatus. n. 496.
*Calculo* laborans Monialis mirè ſanata per immaculatam Conceptionem. n. 494.
*Caligula* Imperator, pulchra ac rara omnia ex quocunque loco Romam infert. n. 104.
*Calliſto* à Jove in Cœlum transfertur, ac ſtellis adſcribitur. n. 552.
*Cambyſes* parcit Obeliſco à Ramiſe erecto. n. 594. Idem, deſtructo Jovis Templo, ingentem ſuorum ſtragem patitur. n. 615.
*Candela* Joannis Anachoretæ conſtanter ardens. n. 445. In Matutino tenebroſo una ſola ardens uſque ad finem, Mariæ Symbolum. n. 642.
*Canes* latrantes Lunam non terrent. n. 138.
*Cantus* Sirenum periculoſus. n. 40. Virgineus fugat Leones. n. 180.
*Capacitas* Dei Miniſtro neceſſaria. n. 248.
*Captivitas* uxorum maritis erubeſcenda. n. 83.
*Caput* Serpentis à Mariâ contritum. n. 29. Cur caput, & non potiùs pectus, cauda, collum? ibid.
*Carbunculus* nocte refulgens, Mariæ Symbolum. n. 47.
*Carceris* periculo Moyſis uxor non exponẽda. n. 78.

*Caredus Scotorum Rex*, in horto, à ſtatuâ telo venenoſo configitur. n. 20.

*Caro* propria non ſolet odio haberi. n. 360. Mediante ſale à putredine conſervatur. n. 411.

*Caſtanea* externè ſpinoſa, intùs ſine ſpinâ, Mariæ Symbolum. n. 278.

*Caſtrorum acies* quomodò ordinata? n. 484.

*Caſula* S. Ildephonſo à B. Virgine oblata. n. 319. Itē Guidiſalvo Archi-Epiſcopo Toloſano. n. 515.

*Cauſa* non eſt deterior ſuo effectu. n. 10. Abeſſe cenſetur, abſente effectu. n. 297.

*Cedrorum* odor ſerpentibus fatalis. n. 603.

*Certamen* Mariæ, ut vinceret. n. 519. Inter naturam Mariæ, & gratiam. Ibid.

*Cerva* Cæſaris non impunè lædenda. n. 656.

*Cervus* ſitiens velociter ad fontem properat, Mariæ Symbolum. n. 348.

*Charta* maculoſa Regem ſcripturum dedecet. n. 390.

*Chimæra* à Bellerophonte transfixa. n. 335.

*Chorda* una fracta totam citharam reddit diſſonantem. n. 502.

*Chriſtus* Adam 2.dus, non minùs quàm primus, de terrâ non maledictâ. n. 8. Hic per naturam, Maria per gratiam innocens. n. 101. Comparantur 2. Tabulis, à Moyſe locò fractarum ſubſtitutis. n. 120. Ejus corpus eſt purpura, quam tinxit Mater ejus Sanctiſſima. n. 132. Fuit perfectiſſimus reconciliator n. 143. Cœpit priùs facere, quàm docere, ſicque priùs honorare Matrem, quàm honorandos parentes prædicare. n. 148. Ejus origo eſt tam perfecta, quàm origo Adami. n. 171. Præfiguratur in Samſone. n. 183. Chriſti cum Belial nulla convenientia. n. 269. Ejus Conceptio juſta in origine. Ergo & Mariæ. n. 423. Ejus vulnera ſunt noſtra medicina. n. 526. Plus venit pro redimendâ Mariâ, quàm pro omnî aliâ creaturâ. Ibid. Cur pannis, & non pellibus in præſepio involutus? n. 582. Sanguis ejus, cur pro multis dicatur effuſus? n. 624. Ejus Sepulchrum novum. & cur? n. 631. Ejus de D. Thomâ Aquinate teſtimonium. n. 654. Segregatus à peccatoribus. n. 673. Formâ peccatoris in ſe ſuſceptâ, à Patre Cœleſti quaſi odio eſt habitus. Ibid.

*Chryſippi* Authoritates pro Conceptione. n. 156.

S. *Chryſoſtomi* Authoritates pro eâdem. n. 422.

*Cicero* pro Domo ſuâ. Proverbium. n. 451.

*Ciconia* ſerpentes devorans, Mariæ immaculatæ Symbolum. n. 187.

*Cithara*, ruptâ unâ chordâ inamœna. n. 502.

*Civitates* complures, per devotionem immaculatæ Conceptionis, à Peſte liberatæ. n. 438.

*Cleobis*, & *Beton* fratres, boum inſtar jugum trahentes, Matrem vehunt. n. 97.

*Cloaca* Solis radios non inficit. n. 663.

*Cloëlia* Virgo Romana, cum ſociabus, generosè fluvium tranatat. n. 41.

*Cœleſtinorum* Ordo, procurante Nicolao Pratenſi, Octavam Conceptionis celebrat. n. 95.

*Cœlum* nocturnum ſtellatum, umbram excludens, Mariæ conceptæ Symbolum. n. 264. Totum lucidum in principio creatur, & cur? n. 542.

Urbs pacifica Beatorum. n. 568.

*Colchorum* Regis ſollicitudo, de cuſtodiendo in Templo Martis aureo Vellere. n. 118.

*Color niger* non ſemper infauſtus. n. 449.

*Columba* ſuo ſponſo fidelis. n. 537.

*Columna* Stylitæ. n. 622. Herculeis columnis affixum: *Non plus ultrà*. n. 540

*Commodum* debet ſentire, qui ſentit onus. n. 598.

*Communio frequens* utilis ad præſervationem à gravioribus noxis. n. 148. in fin.

*Conceptionis immaculatæ Feſtivitas* ab Elſino Abbate inchoata, ſuadente S. Nicolao, ei apparente. n. 4. Deinde à S. Anſelmo in ſuo Archi-Epiſcopatu introducta, ac ſucceſſivè à totâ Eccleſiâ recepta. n. 11. Ejus Celebratoribus promiſſum præmium. n. 92. Per Ildephonſum in Hiſpaniâ celebratur. n. 319. Ab Angelis in Cœlo agitur. n. 396. Revelatur. B. Oringæ Chriſtianæ. n. 585. Item B. Petro Villanenſi n. 571. Item S. Hildegardi Abbatiſſæ. n. 690. Hanc celebrandam decernente Concilio Baſileenſi, Peſtis avertitur. n. 697. Ejus Octava à Pontificibus inſtituta. n. 92. à Congregatione Cœleſtinâ celebrari ſolita, Mariæ accepta. n. 95. Ab eâdem per miraculum comprobata. Ibid.

*Conceptio immaculata* gaudium annuntiavit univerſo mundo. n. 52. Eſt Eccleſiæ pacis annunciatio. n. 94. Eſt prodromus Conceptionis Chriſti n. 96. Antecedit in decreto Divino omnia reliqua creata. n. 262. Eſt munus Regium Mariæ. n. 295. Eſt Dies belli, & cur? n. 421. Cur tamdiu ab aliquibus impugnata? n. 519. Miraculis & revelationibus firmata, in Indice Hiſtor. DEUM Sapientem demonſtrat. n. 549. Ab obſeſſis dilaudata. n. 214. & 641.

*Conceptionis Imago* ab igne illæſa. n. 312 & 627. In lilio quodam inventa. n. 459. Oleum miraculoſum fundit. n. 557. In trunco per medium ſecato deſcripta reperitur. n. 578. Fornaci ardenti injecta, licèt ex papyro, illæſa reperitur. n. 592. Ab hæretico vulnerata copioſum ſanguinem effundit. n. 599. Apparet poſt mortem in corpore S. Joannis à S. Cruce, Carmelitani. n. 620.

*Conceptionis immaculatæ fautores* gratias complures obtinent. Vide in Indice Hiſtor. Adverſarij econtrà diverſimodè puniuntur. Vide ibid.

*Conceptio Julij Cæſaris*, à Diogene Aſtrologo obſervata, & declarata. n. 160.

*Conceſſo* actu, conceſſa neceſſaria ad actum. n. 640.

*Concilia* docent Mariam immaculatè conceptam: Baſileenſe. n. 170. Epheſinum. n. 177. Lateranenſe. n. 184 Toletanum. n. 191. Tridentinum. n. 198. Concilio Baſileenſi id ſtatuente, peſtis avertitur. n. 697.

*Concionator* Mariæ adverſarius ſcandalum præbet Suldani Filio. n. 81. Alij Mariæ immaculatæ contrarij, diverſimodè puniti. Vide in Indice proprio. Hiſpanorum Concionatorum formula initialis. n. 508.

*Condemnare* Mariam peccati quis audeat? n. 645.
*Confeſſarius* luxurioſo ſalutarem medicinam præſcribit. n. 200.
*Confirmatus* Epiſcopus eâdem gaudet juriſdictione, quâ actu conſecratus. n. 668.
*Confraternitas* in honorem immaculatæ Conceptionis inſtituta, & quale Confratrum officium? n. 417.
*Congregationes* aquarum Maria appellatæ. n. 1.
*Conſecratio* Eucharistiæ à Chriſto inſtituta, in pane fermentato, & cur? n. 148.
*Conſilium* à Deo proveniens nequit diſſolvi n. 220.
*Conſtantinus Copronimus*, Græcorum Imperator, Mariam marſupio vacuo comparans, quomodo punitus? n. 239.
*Conſtantinus Magnus*, ejusque Numiſma, devicto Maxentio. n. 664.
*Contraria* perfecta, & privativa, nequeunt verificari in eodem ſubjecto. n. 444.
*Cor* primum vivens. n. 561. Signatum in Mariâ, & quomodo? Ibid.
*Coralium*, ex undis protractum, quantocyùs firmum, ac rubens. n. 628.
*Coriolanus*, intuitu Matris occurrentis, Urbi Romanæ parcit. n. 286.
*Corona* Mariæ nulli alteri communis. n. 687.
*Corruptio* tam corporis, quàm animæ, eſt effectus peccati originalis. n. 157.
*Creatio* non eſt opus adeò excellens, quàm Redemptio. n. 283. Mariæ ſingularis. n. 624.
*Creaturæ* ſpecula ſunt, Deum repræſentantia. n. 512.
*Cretenſis* Inſula à venenoſis animalibus libera, & cur? n. 90.
*Crudelitas* mariti erga uxorem. n. 634.
*Crux Chriſti* Conſtantino contra Maxentium victoriam conciliat. n. 664. Ab eodem Numismati imprimitur. ibid. Arma Mariæ. n. 376.
*Cryſtallinus* globus, umbram non proijciens, Mariæ Symbolum. n. 425.
*Cupreſſus*, ejusque proprietates. n. 400.
*Currentibus* pluribus, unicus accipit bravium. n. 523.
*Cygnus* in undis non madefactus, Mariæ Symbolum. n. 236.
*S. Cypriani* de Conceptione Authoritates. n. 205.
*S. Cyrilli Alexandrini* de Conceptione Authoritates. n. 212.
*Cyri Perſarum Regis* memoranda liberalitas. n. 671.

# D.

*Dæmon*, cur decepturus Evam aſſumpſerit formam ſerpentis, & non potiùs columbæ? n. 316. Conjuratus ex obſeſſo, ter Mariam ſine maculâ proclamat. n. 214. Idem confirmat ex alio obſeſſo. n. 641. A pictore turpiſſimè delineatus, vindictam fruſtrà intendit. n. 235. Hero ſuo, cujus famulum agebat, nocere non potuit, & cur? 375.
*Dagon* ante Arcam Domini proſternitur. n. 211. Idem infernalis à Mariâ, verâ Dei Arcâ, confunditur. n. 211.
*S. Damaſceni* de immaculatâ Conceptione Authoritates. n. 429. Amputatam ſibi manum à Mariâ illæſam recipit. n. 263.
*S. Damiani* de Conceptione Authoritates. n. 569.
*Daniel* extrà ſuſpicionem peccati. n. 583. à Leonibus illæſus. n. 589.
*Dare*, beatius magìs, quàm accipere. n. 619.
*Darius* bellum gerit contra Scythas. n. 356.
*David* Goliathum proſternit. n. 225. Bethſabeam conſolatur. n. 274. Ejus & Jonathæ mutuus amor. n. 232. *David, et Jonathas*. Anagramma: *Hodie data unitas*. Ibid.
*Debitores* veſtibus privari non debent. n. 346.
*Decreta* Pontificia circa immaculatam Conceptionem. n. 316. Joannis II. Arragoniæ Regis, circa idem myſterium. n. 256.
*Dedicatio Templi* deſcribitur. n. 288.
*Defuncti corpus* non tolerabatur à S. Gregorio Magno, in loco, ubi Templum conſecrandum erat. n. 146.
*Delicta* Parentum, filijs probroſa. n. 673.
*Dei Filius* deceptore diabolo ſapientior, & potentior. n. 164. Ejus excellentia à Matre præſervatâ. n. 178. Potuit & voluit eam præſervare. n. 234. Ejus Domus Maria. 253. Poſſedit Mariam in initio viarum ſuarum. n. 428. Si Deus pro nobis, quis contra nos? n. 675. Ejus Miniſtri debent habere requiſitam capacitatem. n. 248.
*Dianæ Templum* in Aſiâ, cujus fundamentis puella ſpecioſa fuit injecta. n. 13. Epheſinum, à communi incendio juſſu Alexandri conſervatum, & cur? n. 293.
*Dies* per hebdomadam, varijs devotionibus dicati. n. 246. Cœli dies, quomodò diſtinguantur à diebus terræ? n. 260.
*Diluculum*, primum inſtans Conceptionis. n. 393.
*Diluvium* terribile in Flandriâ. n. 587.
*Diogenes* Julij Cæſaris conceptionem ex conſtellationibus obſervat. n. 160.
*S. Dionyſij Alexandrini* Authoritates de Conceptione. n. 219. Areopagitæ item. n. 226. Carthuſiani item. n. 233.
*Diploma* Sixti IV. Madritum transmiſſum, à lampade ſpontè accensâ miraculosè excipitur. n. 291
*Diſcipuli* Chriſti controvertunt, quis eorum videretur eſſe major? n. 617. Platonis diſcipuli, ab eodem mediante ſpeculo inſtructi. n. 517.
*Diſſenſio* ope Beatiſſimæ Virginis compoſita. n. 648.
*Doloſus* non debet reportare lucrum. n. 339.
*S. Dominicus* Albigenſes miraculosè confundit. n. 158. Ejus de Conceptione Authoritas. n. 240.
*Domus* Obededom ob Arcam benedicta. n. 246. Domus Pindari, in deſtructione Thebanæ Urbis, ſola conſervata. n. 153. Cicero pro domo ſuâ. Proverbium. n. 451.
*Dos* fœminarum non ſolet extradi creditoribus maritorum, vel majorum. n. 122.
*Draco* immanis, à B. Samſone Archi-Epiſcopo Dolenſi è Regno proſcriptus. n. 195. Alius ab Atilio Regulo peremptus. n. 405.

E

## E.

*Eccleſiá* non celebrat Feſtum niſi pro aliquo ſancto. n. 73. De peccatis Feſtum non agit. n. 129. Celebrat Conceptionem Mariæ, & cur? n. 96. Cæterùm, quia tacet, conſentire videtur. n. 332 Sine maculâ, aut rugâ à Chriſto exhibetur. n. 666
*Eduardus Rex* Brittaniæ ſplendida torneamenta inſtituit. n 475.
*Effectu cauſæ* non apparente, etiam ipſa cauſa de eſſe cenſetur. n. 297.
*Effigies* Adonidis ab incendio ſollicitè præſervatur. n. 272.
*Elephas* tela ſine ſanguinis effuſione diſcutiens, Mariæ Symbolum. n. 103. Conſpecto cæterorum animalium ſanguine, in vindictam exacerbatur. n. 670.
*S. Eligij* Authoritates de Conceptione. n. 247.
*Elſinus*, Abbas Rhemenſis, per S. Nicolaum à periculo naufragij liberatur. n. 4.
*Epominondas* in prœlio circà conſervandum ſcutum ſollicitus. n. 692.
*Epheſinum Concilium* ſtat pro immaculatâ Conceptione. n. 177.
*S. Ephrem* Syri Authoritates de Conceptione. n. 254.
*S. Epiphanij* item. n. 261.
*Epiſcopus* Canonicè electus, & confirmatus, ante Conſecrationem gaudet ijsdem privilegijs, & juriſdictione, ac ſi actu eſſet conſecratus. n. 668.
*Equus* Alexandri Magni picto equo adhinnit. n. 384
*Eſau* primogenita ſua pro lenticulâ divendit. n. 323
*Eſca* vermium nunquam facta eſt Maria, & cur? n. 323.
*Eſther* Vaſthi locò ab Aſſuero in Reginam aſſumpta. n. 337. à Lege communi abſoluta. n. 351.
*Eva* per Mariam in *Ave* mutatum. n 106. Utriúſque vocabuli expoſitio. Ibid. Cur ſæpiùs ſcribatur Heva? Ibid. Per Deiparam correcta. n. 337.
*Evcbariſtia* inſtituta in pane fermentato, & cur? n. 148. Ejus inſtitutioni cur abſens Maria? n. 582. Eidem ignis, omnia reliqua conſumens, non nocet. n. 627.
*S. Eucherij* Authoritates de Conceptione. n. 268.
*Eutychiani* item n. 275.
*Euthymij* item. n. 282.
*Exaltatio* Mariæ in Cælis, ſuper choros Angelorum, probat etiam exaltationem in terris, ſuper alias creaturas. n. 374.
*Excommunicatio* ab Eccleſiâ in quo conſiſtat. n. 505.
*Exercitus* integer Hetruſcorum, ab Horatio Coclite detentus. n. 685.
*Ezechias* Rex de mundandâ domo Domini ſollicitus. n. 316.

## F.

*Facula* quoquò verſa, ſemper flammam in altum emittens, Mariæ Symbolum. n. 432.
*Fœminæ* à judicibus in dote protegendæ. n. 122.
Ad ludos Olympicos non admiſſæ, & cur? n. 279.
*Falſitatis* aſſerendæ ergò non fiunt Miracula. n. 66.
*Farina*, calcis locò, Urbis Leontopolitanæ fundamentis ſubijcitur. n. 265.
*Favores* ſunt ampliandi. n. 479.
*Fauſtinus* Paduanus Epiſcopus, à D. Thomâ Aquinate, de Conceptionis ſententiâ inſtruitur. 347.
*Favus* ex Apibus aculeatis, ſine aculeo, Mariæ immaculatæ Symbolum. n. 579.
*Fel* nullum Turturi. n. 313.
*Ferdinandus III.* Rex Hiſpaniæ, voto Mariæ immaculatæ facto, expugnat Urbem Granatenſem, n. 424.
*Fernandij Vaſconis* generoſus auſus. n. 419. Ejus jactantia ab alio deluſa. Ibid.
*Feſtum* Conceptionis. Vide Conceptionis Feſtum. Non celebratur in Eccleſiâ, niſi pro aliquo Sancto. n. 73. multò minùs de peccatis. n. 129.
*Feſtum* Anſerum, Romæ celebrari ſolitum, & cur? 538.
*Febris* deſerit in Concilio Trid. P. Laynium, pro immaculatâ perorantem. n. 522.
*Fidelitas* verâ albo corvo rarior. n. 533. Columbæ erga ſponſum, Mariæ Symbolum. n. 537.
*Fidei* malæ poſſeſſor nunquam præſcribit. n. 402.
*Fiducia in Deum*. n. 589.
*Filius* cum parentibus, paribus gaudet privilegijs. n. 24. Hoc facultatibus prædito, parentem egere, eſt iniquiſſimum. n. 38. Filius mundus exigit Matrem mundam. n. 150. Habitâ optione, parentes eligeret decentiores. n. 514. Erga parentes magnam gerit obligationem. n. 584. Filijs parentum delicta probroſa. n. 673. Horum erga parentes pietas. Vide in Indice Hiſtor. Filij Principum, à tributis, & penſionibus liberi. n. 591. Filia Matrem in carcere detentam proprio lacte ſuſtentat. n. 55.
*Finis* ut obtineatur, adhibenda ſunt conducentia media. n. 465.
*Firmitas* ad privilegium requiſita. n. 563.
*Flamma* ſemper tendens in altum, Mariæ Symbolum. n. 432.
*Flores* primi, vulgò *Primula Veris*, Mariæ Symbolum. n. 481.
*Folia*, quibus contexerunt ſe primi parentes, ignorat Maria. n. 582.
*Fons*, quando dicatur talis? n. 344. Parvus, creſcens in fluvium, Maria immaculatè Concepta. Ibid. Cervi ſitientis delicium. n. 348.
*Forma* externa pomorum fallax. n. 327. Forma præſtans Juvenem è carcere liberat. n. 454.
*Formula* initialis Concionatorum in Hiſpaniâ. 508
*Fortitudo* Samſonis deſcripta. n. 190. Adamantis, Mariæ Symbolum. n. 565. Wickheri germani militis. n. 643. Horatij Coclitis. n. 685.
*Fortuna* inconſtans. n. 573.
*Frænum* Leo non patitur. n. 250.
*Franciſcanorum* Conventus Abroxanus, igne abſumptus. n. 627.
*Franciſcus* Maſtrillus, ope Virg. immaculatæ, & S. Xaverij, à mortis periculo liberatus. n. 529.
*Franciſcus Suarez* erga Deiparæ Conceptionem devotus.

votus. n. 137. Ejus difficultas primò in ſtudijs, deinde profectus, ac doctrina de immaculatâ Conceptione. Ibid.
*Franciſcus Ximenius*, Archi-Epiſcopus Toletanus, ſimiliter Deiparæ conceptæ devotus. n. 417. Inſtituit ſumptuoſum Hoſpitale, ac Confraternitatem, in hujus myſterij honorem. Ibid.
*Fratres* Joſephi, eorumque deprecatio. n. 652.
*Fratricidium* Romam abinitio vitiavit. n. 307.
*Frons* Mariæ, id eſt Conceptio, Adamante fortior. n. 561. Sancti in frontibus ſignati, & cur? Ibid.
*Fructus* bonitatem terræ, ſeu arboris produnt. nu. 134. & 577. Prohibitus fructus quanta mala in orbem invexerit? n. 183.
*S. Fulberti Carnotenſis* Authoritates de Conceptione. n. 289.
*S. Fulgentij* item. n. 296.
*Fulmina* non tangunt Aquilam. n. 555. Nec Laurum. n. 68. His percuſſa Vitis ad libamina inutilis. n. 544.
*Fundamenta* Cœleſtis Jeroſolymæ ex lapidibus pretioſiſſimis

## G.

*Gabrielis* ſalutatio probat Mariam illibatam. nu. 192. Item per 100. Anagrammata. Vide in Indice proprio.
*Gabriela*, malus Angelus, ex Aulâ Gallicâ proſcripta. n. 342.
*Galea*, Virginum Romanarum contra irruentes milites præſidium. n. 426.
*Gallus gallinaceus* diem annuntians, Conceptionis immaculatæ Symbolum. n. 96.
*Gamalielis* S. Pauli Magiſtri prudens conſilium. 2. 220.
*Gaudium* univerſo mundo annuntiatur, per Mariæ Conceptionem. n. 52.
*Gedeonis* vellus. n. 169.
*Georgij Nicomedienſis* Authoritates de Conceptione. n. 303.
*S. Germani* item. n. 310.
*Germen* Sanctum Maria. n. 575.
*S. Gertrudi* apparet B. V. inſtar Lilij, coram Sanctiſſimâ Trinitate ſe expandens. n. 456.
*Globus* cryſtallinus absque umbrâ, Mariæ Symbolum. n. 425.
*Goliathi* pugna cum Davide. n. 225.
*Græcorum* exercitus ab Artemiſiâ ſolâ devictus. nu. 167.
*Granatenſis* Urbs, à FERDINANDO III. Hiſpaniæ Rege, ope Virginis immaculatæ, expugnata. n. 424.
*Grando* in terrâ Geſſen non cecidit. n. 85.
*Gratia* Solenne principium Mariæ. n. 5. Nunquam ceſſavit. n. 155. Alijs per partes data, tota in Mariâ. n. 295. Salis inſtar conſervat Mariam à corruptione peccati. n. 680. Gratificans gratia prærequiſita ad Beatificationem. n. 507. In eleganti Protogenis picturâ ſola gratia deſideratur. n. 237. Pompejus Atticus nunquam cum Matre in gratiam redijt, & cur? nu. 202.
*Gratitudo.* n. 626.
*S. Gregorius Magnus* contradicit conſecrationi Eccleſiæ, ubi corpus defuncti nuper erat depoſitum. n. 146. Ejusdem Authoritas de Conceptione. n. 317.
*Gregorij Nazianzeni* carmen pro eâdem. n 324.
*Gregorij Neoceſareenſis* Authoritas de eâdem. n. 331.
*Greſſus* Mariæ in calceamentis pulchri. n. 491.
*Gualterij* Marchionis Grifeldenſis in propriam conjugem crudelitas. n. 510.
*Guarrici* Abbatis Authoritates de Conceptione n. 338.
*B. Guidiſalvus* immaculatæ devotiſſimus. n. 515. Mariæ Capellanus communiter audit. Ibid. Albam caſulam ab illâ accipit. Ibid.
*Gyrus* Anniceridis artificioſiſſimus. n. 601.

## H.

*Habitatio*, quæ proditorem excepit, à proprio Domino deſtructa. n. 125.
*B. Haymonis* de Conceptione Authoritas. n. 345.
*Hebdomada*, in devotionem Deiparæ, utiliter diſtributa. n. 246.
*Hebræi*, intercedente Eſther Reginâ, ab interneciօne liberari. n. 351.
*Hector* ab Achille interfectus. n. 461. Ejus corpus feris objectum, illæſum tamen propter oleum è roſis expreſſum, quo à Venere fuit inunctum. Ibid.
*Helenæ* pulchritudo, cauſa bellorum. n. 554.
*Heliotropium*, Mariæ Symbolum. n. 439.
*Henrici IV.* Galliarum Regis cum Mariâ Florentinâ Nuptiæ. n. 342.
*Heraclion*, ſive Nymphæa, flos Herculeus, Herculis clavam in radice repræſentat. n. 230.
*Hercules* uno ictu nunquam plures interfecit n. 194. Ejus Templum muſcæ non infeſtabant. n. 292. Leonem jugulat. n. 524. Ejus columnis affixa verba: *Non plus ultrà.* n. 540.
*Heſychij* Authoritates de Conceptione. n. 352.
*Hetruſcorum* exercitus ab uno Horatio Coclite detentus. n. 685.
*S. Hieronymi* Authoritates de Conceptione. n. 359.
*S. Hildegardi* Abbatiſſæ revelatur immaculata Conceptio. n. 690.
*S. Hipolyti* Authoritates de Conceptione. n. 366.
*Hiſpalenſes* Nobiles diſcernuntur ex Aſſe condonato. n. 174. Cives in Virginis Conceptionem devotiſſimi. n. 207. Eorum pretioſa oblatio facta Deiparæ. Ibid.
*Hiſpani* à Batavis obſeſſi miraculosè liberati. n. 487. Eorum Concionatorum formula initialis. n. 508.
*Holofernes* à Judithâ interfectus. n. 330.
*Homo* vas perditum. n. 631.
*Honor Parentum* n. 76. 97. 148. 281. 286. 391. 584. 650.
*Horatij Coclitis* fortitudo. n. 685.
*Horologium Solare*, deficiente umbrâ inutile. n. 586.
*Hortus* neceſſariò cuſtodiendus, ac occludendus. n. 572. Caredi Scotorum Regis hortus. n. 20.
Cur

Cur ſponſa in Canticis ad hortum invitata? n. 477.
*Hoſpitale* Toleti, ac Compluti, in honorem immaculatæ Conceptionis ſplendidè fundatum, ac extructum. n. 417.
*S. Hugonis de S. Victore* Authoritates de Conceptione. n. 373.
*Hugolini* Girardeſci inconſtans fortuna. n. 573.

# I.

*Jacob Patriarcha*, criminis filiorum minimè reus. n. 652.
*S. Jacobus Major* Apoſtolus, ſtat pro immaculatâ Conceptione. n. 380.
*S. Jacobus Minor* item. n. 387.
*Jacobus Genuenſis* item. n. 394.
*Jactantia* curioſè deluſa. n. 419.
*Jahel* Siſaræ tempora transfigit. n. 162.
*Janua Cœli* Maria. n. 568. Soli Principi, DEO aperta. Ibid.
*Jaſon*, victor taurorum, & Draconis, aureo potitur Vellere. n. 323.
*Jaſpis* Jeroſolymæ Cœleſtis primum fundamentum. n. 694. Chriſto comparatus. Ibid.
*Idiotæ* de Conceptione Authoritates. n. 401.
*Jeroſolyma* ſpecialiter à DEO protecta. n. 694. Tam terreſtris, quàm Cæleſtis deſcribitur. Ibid. Utrique Maria comparatur. Ibid.
*JESU* Nominis efficacia. n. 225. Mariæ, & Joſepho indicatum ab Angelo, ſed diverſimodè, & cur? n. 673.
*S. Ignatij Mart.* de Mariæ Conceptione Authoritas. n. 408.
*Ignis* inter ſpinas ardentior, Mariæ immaculatæ Symbolum. n. 75. Non nocet Salamandræ: Mariæ Symbolum. n. 208. Magnus ex parvâ ſcintillâ. n. 257. E Cœlo delapſus, à Sacerdotibus Vet. Teſt. ardens conſervatur. n. 687. Præterit Templum Novatianum Conſtantinopoli. n. 251. Item congeſtam materiam pro ædificando Templo. n. 550. Defenſores Conceptionis ab igne illæſi. n. 74. & 501. Item Liber S. Dominici. n. 158. Item Imagines variæ immaculatæ Conceptionis. n. 312. 592. 627.
*Ignobilitas* matrum vel ſponſarum, Principibus, imò & Illuſtribus erubeſcenda. n. 605.
*S. Ildephonſus*, cultor eximius immaculatæ Conceptionis. n. 319. Teſtimonium illi à S Leocadiâ è tumulo perhibitum. Ibid. Celebrat in Hiſpaniâ Feſtum Conceptionis. Ibid. Accipit à B. V. caſulam candidam, & cathedram. Ibid. Manifeſtatur illi à B. Virgine immaculata Conceptio. Ibid. Ejus de Conceptione Authoritates. n. 415.
*Immaculata Conceptio.* Vide: *Conceptio immaculata.*
*Imago Conceptionis* laſcivum Regem à turpi propoſito abſterret, Virginemque periculo deflorationis eripit. n. 46. Virgini Religioſæ in ſomnis repræſentata, eandem illo ipſo momento, à vehementi genuum dolore liberat. n. 53. Signatæ Naves hac Imagine, reliquis merſis naufragium evadunt. n. 165. Muro appicta pictorem retinet, ne cadat deorsùm. n. 235. Ex marmore ſculpta, à Scoto ante diſputationem invocata, caput inclinat, ac victoriam præſignificat. n. 403. Ab Hiſpano exercitu in foſsâ reperta, adjutorij contra Batavos evidens ſignum. n. 487. Reliqua vide in v. *Conceptionis Imago.*
*Imago Adonidis* ſpecioſiſſima. n. 272.
*Indulgentia* præ reliquis commendat Altare privilegiatum. n. 614.
*Infans* à diluvio miraculosè conſervatus. n. 587. 13. Menſium infantulus 4. Verſus in honorem immaculatæ V. diſtinctè pronuntiat. n. 662.
*Inferni* pœnæ ad fletum, & ſtridorem dentium reſtrictæ. & cur? n. 323.
*Infidelitas* Thomæ ad fidem credentium perutilis. n. 657.
*Infirmitas* per devotionem immaculatæ Conceptionis reſanata. Vide in Indice Hiſtor. Conceptionis immaculatæ, adverſarium invadit. n. 466.
*Inimicitiæ* cur in plurali dicantur poſitæ, inter ſerpentem, & mulierem? n. 29.
*Inimicus* nihil profecit in Mariâ. n. 400. Ope Deiparæ immaculatæ inimici reconciliantur. n. 648.
*Innocentia*, quam habet filius per naturam, habuit Maria per gratiam. n. 101.
*Inſula Cretenſis* caret animalibus nocivis, & cur? n. 90.
*Interceſſio* Metelli pro Genitore. n. 650.
*Introitus* in mundum turpis. n. 414 Tam hic, quàm exitus Mariæ, à Domino cuſtoditus. Ibid.
*Invocatio* conceptæ Deiparæ, mulieribus in partûs periculo conſtitutis perutilis. n. 221.
*B. Joanna de Cruce* ſpecialiter Mariæ devota. n. 683. Celebrat ſolenniſſimè Feſtum Conceptionis. Ibid. Ejus Roſaria ab ipsâ SS. Trinitate in Cœlis benedicuntur. Ibid.
*Joannes Anachoreta*, ejusque candela prodigioſa. n. 445.
*Joannis II.* Arragoniæ Regis in immaculatam Conceptionem ſpecialis devotio. n. 256.
*S. Joannis Baptiſta* inter natos mulierum major, & quomodo? n. 617. Mariæ comparatur. Ibid. Ejus Nativitas, non autem Conceptio ab Eccleſiâ celebratur, & cur? n. 311.
*Joannes Berckmann*, ob immaculatæ devotionem, per totam vitam, à ſtimulis carnalibus liber. n. 186.
*S. Joannis Chryſoſtomi* de Conceptione Authoritates. n. 422.
*S. Joannis Damaſceni* item. n. 429. Hic amputatam ſibi dexteram à Mariâ miraculosè recipit. n. 263.
*S. Joannes Evangeliſta* accipit Mariam in ſua, & quomodò? n. 64.
*Joannis Hieroſolymitani* de Conceptione Authoritas. n. 436.
*Joannes à S. Cruce*, immaculatæ Conceptioni devotiſſi-

tiſſimus. n. 620. Gerit poſt mortem ſuis in membris imaginem Conceptionis. Ibid.
*Joannes Ximenius*, immaculatæ Conceptioni devotiſſimus. n. 249. Edocetur à B. V. orare pro Animabus in purgatorio. Ibid.
*Jobus*, Patientiæ ſpeculum. n. 358.
*Jonas* in ventre Ceti ſervatus. n. 589.
*Jonathas* Philiſthæos generosè aggreſſus, magnam eis ſtragem infert. n. 218. Ejus ſingularis in DEUM fiducia. Ibid. Ejus erga Davidem dilectio. n. 232. Guſtat modicam mellis particulam, incurritque mortis periculum. n. 323. Objicitur illi à Saule matris delictum. n. 673.
*Joſeph Ægyptius* in conſpectu Principis carceris gratiam obtinet. n. 64. Cur præſentibus fratribus fleverit. n. 652.
*Joſue* Soli imperat. n. 155.
*Ipſa*: vocabulum diabolo, & hæreticis inviſum, legentibus locò *Ipſa*: *Ipſe conteret*. n. 176.
*Ira DEI* non procul à nimiâ fortunâ. n. 573.
*Iratus* vindictam ſpirans, ope immaculatæ Virginis mitigatur. n. 648.
*S. Irenæi* de Conceptione Authoritates. n. 443.
*Iſraëlitarum* ſubmerſo Pharaone Canticum n. 99.
*Judæi* Matrem veri Meſſiæ à peccato immunem dicunt. n. 645.
*Judas Machabæus* de Altari Holocauſtorum ſollicitus. n. 610.
*Judith* Holoferni caput amputat. n. 330. Ejus Sandalia. n. 491.
*Julius Cæſar*, Commentarium propriâ manu conſcriptum, fluvium tranatando, non madefactum conſervat, & quomodo? n. 6. Ejus conceptio à Diogene ex Conſtellationibus obſervata, & declarata. n. 160. Vectorem ſuum, exortâ tempeſtate pavidum, increpat. n. 468.
*Ivonis Carnotenſis* de Conceptione Authoritas. n. 450.
*Jura poſteriora* non derogant prioribus, niſi in caſibus expreſſis in jure. n. 661.
*Juriſdictio* eadem Epiſcopi confirmati, ac conſecrati. n. 668.
*S. Juſtini* Martyris Authoritates de Conceptione. n. 457.

# L.

*Labrum æneum* de ſpeculis mulierum, à Moyſe confectum. n. 512.
*Labyrinthus*, ſiquis intùs hæreat, aut cadat, eſt *Labor intùs*. n. 334.
*Lachrymæ* Joſephi Ægyptij. n. 652.
*Lampas* accenſa ventos non timet, dummodò vitris protecta: Mariæ Symbolum. n. 446. Coram Imagine Conceptionis ſingulis noctibus accendi ſolita, claro die, ſpontè ardere incipit. n. 291.
*Lapides* 5. Davidici explicantur. n. 225. Ponderoſi fruſtra in ſublime volvuntur. n. 404. Tabulæ lapideæ à Moyſe confractæ, per eundem, jubente DEO, renovantur. n. 120.
*Lateranenſe Concilium* ſtat pro immaculatâ Conceptione. n. 184.
*Lateri* Principis adſtantes, Illuſtres dicuntur. n. 381.
*B. Laurentij Juſtiniani* Authoritates de Concptione. n. 464.
*Laurus* à fulmine ſecura, Mariæ Symbolum. n. 68.
*Laynez* de immaculatâ Conceptione in Concilio Tridentino, non obſtante Febri, perorans, ab eâ liberatur. n. 522.
*Leander* ad Agrippinæ ſinum confugiens, ab Arcturi Regis irâ ſervatur. n. 531.
*Lectus* Salomonis. n. 463.
*S. Leocadiæ* de S. Ildephonſo miraculoſum è tumulo teſtimonium. n. 319.
*S. Leonis Papæ* de Conceptione ſententia. n. 471.
*Leones* fugiunt, audito cantu Virgineo. n. 180. Fræna recuſant: Mariæ Symbolum. n. 250. Ab Hercule Leo jugulatur. n. 524. Item à Wickhero milite germano. n. 643. Danieli nulla violentia à leonibus infertur. n. 589.
*Leontopolitanæ* Urbis fundamentis, calcis locò, farina ſelectiſſima inijcitur. n. 265.
*Lex* communis non tetigit Eſtherem Reginam. n. 351. Non lata pro Platone Philoſopho. n. 608.
*Libanus* Mons. n. 603.
*Liber* S. Dominici, in ignibus illæſus. n. 158. Julij Cæſaris ab eodem ſollicitè ab interitu ſalvatus, imò per medias undas non madefactus. n. 6. Libri cujusdem editio II. correctior, Mariæ Symbolum. n. 54.
*Liberalitas* Alexandri Magni. n. 629. Item Cyri Perſarum Regis. n. 671.
*Lilium*, candore, & odore reliquis floribus præeminens, Mariæ Symbolum. n. 460. Ejus deſcriptio. n. 456. Lilium inter ſpinas, Maria immaculata. Ibid. Maria apparet B. Gertrudi, inſtar candidiſſimi Lilij. Ibid. Lilium immaculatam Conceptionem repræſentans in Hiſpaniâ invenitur. n. 459.
*Linea* ſubtiliſſimè ducta, Apellis præſentiam indicat. n. 570.
*Linteum* à Parrhaſio depictum Zeuxidem decipit. n. 559.
*Lites* antiquitùs ad portas Civitatum compoſitæ, & cur? n. 568.
*Litigantes* debent reconciliari ab utriusque amico. n. 108.
*Litteræ* ad Pontificem ſummum directæ, ac caſu amiſſæ, voto immaculatæ Conceptioni facto, denuò recipiuntur. n. 67. S. P. Q. R. litteralis expoſitio. n. 488.
*Litura* non decet ſcripturam Regiam. n. 390.
*Locus* eſt æqualis locato. n. 486.
*Locuſta* ſerpentem pungere in capite ſolita, Mariæ Symbolum. n. 33.
*Lotio* pedum Apoſtolorum. n. 491.
*Lucerna* Mariæ nunquam extincta. n. 442.
*Lucidia* Avis, ſplendentibus pennis, nocturnis viatoribus prælucens, Mariæ Symbolum. n. 341.
*Lucius Manlius*, ob filium apud Judices accuſatus, ab

ab eodem Filio generosè defenditur. n. 69.
*Lucrum* ex dolo nemo debet reportare. n. 339.
*Ludi Apollinaris* unde dicti? n. 216. Victores Lauro ex Apollinis Templo coronari ſoliti. Ibid. Olympiacis ludis intereſſe, fœminis prohibitum, & cur? n. 279.
*B. Ludovici Bertrami* de Conceptione Authoritas. n. 478.
*Ludovici Bloſij* item. n. 485.
*Lumen* in Mariâ multiplex. n. 638.
*Luna* plena, Maria. n. 547. Cur ſubjecta pedibus Mariæ? Ibid. Econtrà cur ſuper capita Sanctorum? Ibid. Audiens latrantes canes, non timet: Mariæ immaculatæ Symbolum. n. 138. Æmula Solis, Mariæ Symbolum. n. 551.
*Luſitania* pro Inſignibus gerit Sacratiſſima Vulnera Chriſti, & cur? n. 489.
*Lutheri* ſcriptum, de Mariæ Conceptione. n. 645.
*Luxurioſus* quomodò à Confeſſario correctus? n. 200.

# M.

*Machabæi* mori potiùs conſtituunt, quàm cibis coinquinari immundis. n. 183.
*Macula* originalis in Mariâ abſurda. n. 367. In Sole licèt appareant, non tamen dantur maculæ. n. 369.
*Mala*, ſeu poma, externè licèt ſpecioſa, ſæpè intùs morbida. n. 327.
*Mala conſcientia*. n. 463.
*Maledictio Divina* aquam non tetigit. n. 649.
*Malogranata* à Vectigalibus exempta, & cur? n. 188.
*Malum* ex quolibet defectu. n. 416.
*Marcius Coriolanus*, ob reverentiam Matris, Romanæ Urbi, ac Civibus parcit. n. 286.
*S. Marci* Evangeliſtæ de Conceptione Authoritas. n. 492.
*Mare* exoriente Sole clariſſimum, Mariæ Symbolum. n. 159. Nubes marina minimà ſalſa, Mariæ Symbolum. n. 509. Scopulus marinus à procellis non ſuperatur. n. 607. Maris pericula ope invocatæ Virginis immaculatæ ſuperata. n. 4. & 221. Tali periculo expoſita Sigridis miraculosè liberatur, ob Filiam Gertrudem. n. 398.
*Margarita* in utero, ſeu conchilì candida Mariæ immaculatæ Symbolum. n. 131.
*MARIA*, Adamante & ſilice fortior. n. 561. Adjutorium ſimile Chriſto. n. 22. Arca ſuper montes elevata, undiſque ſuperior. n. 36. Arca Teſtamenti deaurata. n. 113. Dagonem infernalem confundens. n. 211. Aurora bello originali finem imponens. n. 57. Congregatio aquarum, id eſt, gratiarum. n. 1. Currus non attrectandus, cum Ozâ. n. 239. Cupreſſus odoriferus. n. 400. Domus DEI fidelis. n. 253. In quâ ſolennis primi lapidis poſitio. Ibid. Fons ſignatus. n. 344. Lectus Salomonis. n. 463. Liber generationis JEſu Chriſti. n. 6. Ejus deſcriptio. Ibid. Lilium inter ſpinas. n. 456. Luna nunquam minuta. n. 547. Medicina. n. 526. Mons ſuper colles, in quo beneplacitum eſt DEO habitare in eo. n. 603. Oliva Specioſa. n. 554. Paradiſus Voluptatis, ad quem ſerpens aditum non habuit. n. 15. Propitiatorium aureum. n. 113. Rubus ardens, ac incombuſtus. n. 71. Sol immaculatus. n. 379. Speculum ſine labe. n. 512. Templum Salomonis. n. 288. Terra valde bona, ex fructu cognoſcenda. n. 134. De qua dictum: Benedixiſt Domine terram, tuam, *averti*ſ*ti, &c.* ad diſcrimen reliquorum, de quibus dictum: *Remiſiſti.* Ibid. Thronus DEI. n. 260. Vas admirabile. n. 631. Vellus Gedeonis, plenum rore gratiæ. n. 169. Verbum oris. n. 386. Vinea à DEO plantata. n. 540. Virga de radice Jeſſe. n. 582. Urbs Jeruſalem à DEO protecta. n. 302. A 3. Cherubinorum millibus in Conceptione cuſtodita. n. 407. Altius Angelis Nomen hæreditans. n. 409. Adeoque non æqualis, ſed illis longè ſuperior. n. 206. Præcurſori comparata. n. 618. Item Joſue Solem ſiſtenti. n. 155. Judithæ Holofernem ſternenti. n. 330. Ruth gratiam invenienti. n. 197. Samſoni fortiſſimo. n. 190. Altera Eva. n. 337. Dolorem primæ leniens. n. 50. Mutans Evæ Nomen, non jam Heva, ſed Eva. n. 106. quæ non inijt fœdus cum protoparentibus. Ibid. In obſcuro materni uteri carcere gratiam obtinens. n. 64. In ſuam protectionem captivos, nempe peccatores accipiens. Ibid. Sicut ſingulari modo creata, ita etiam ſingulariter, nimirùm præſervativè redempta. n. 624. Idque ob generationem DEI. n. 127. & 680. Ac propterea ſpeciale canticum depromens. n. 99. Quia in illâ DEUS ſpecialiter magnificatus. Ibid. Uſurpans terminum Perfectum, ac dicens: *Fecit* potentiam: *Fecit* mihi magna, &c. n. 139. Vera mulier virtutis. n. 204. Eadem cum Filio. n. 232. Cujus loco benedicit. n. 141. Non ſimpliciter, ſed *tota pulchra*, id eſt, compendium pulchritudinis, ac gratiæ. n. 104. 267. & 470. Cujus pulchritudo intuentibus erat remedium contra illicitas cupiditates. n. 141. Modo ſpecialiſſimo DEI amica. n. 289. Imò Soror SS. Trinitatis. n. 498. Ad pugnam præcincta. n. 372. Cui datum eſt certamen forte, ut vinceret. n. 519. Ut Caſtrorum acies ordinata. n. 484. In die belli obumbrata. n. 421. Manè diluculò adjuta. n. 393. In introitu, & exitu cuſtodita. n. 414. In initio viarum poſſeſſa. n. 428. Ante abyſſos concepta, ipſamet gratiarum Abyſſus. n. 435. Nigra, ſed formoſa. n. 449. A ſponſo in hortum invitata, & cur? n. 477. Filia Principis, in calceamentis pulchra. n. 491. Placita DEO anima. n. 505. Illi fidelis in tempore tribulationis n. 533. Ejus ſignaculo in corde notata. n. 561. Summè in illum confiſa. n. 589. Porta Cœli. n. 568. Peccati non condemnanda. n. 645.

& *652*. Imò ſine ſuſpicione peccati. n. 582. A tenebris maculæ non comprehenſa. n. 638. Non ſolùm abſque maculâ, ſed etiam abſque rugâ. n. *666*. Conſervata à tentatione peccati. n. *687*. Vera Jeruſalem nova Cæleſtis. n. 694. Reconciliatrix mediata DEUM inter, & hominem. n, 108. Propter quam multi à peccatorum periculis liberati ſunt. n. 472. Animarum quoque in purgatorio ſollicita Mater. n. 249. Semel in ſponſam electa non ampliùs dimittenda. n. 277. B. Joanni Damaſceno amputatam dexteram miraculosè reſtituit. n. 263. Apparet S. Gertrudi, inſtar Lilij, ſe coram SS. Trinitate expandentis. n. 456 Cur de Maria dicatur *Ipſa conteret*, & non potiùs *Ipſe*? n. 176. Utrum & cur fuerit Baptizata? n. 582. Cur à Joſepho unà cum Filio in Ægyptum abducta, cùm tamen ſolus ad necem quærer etur Filius? n. 43. Cur non fuerit præſens inſtitutioni SS. Evchariſtiæ? n. 582. Cur morienti Chriſto præſens aſtiterit? n. 22. Quomodo à Joanne fuerit accepta in ſua, qui tamen nihil proprium habuit? n. 64. Cur nunquam facta ſit eſca vermium? n. 323. Cur lunam ſub pedibus gerat? n. 547.

*Maria Florentina*, HENRICO IV. Galliarum Regi copulata n. 342.

*Maria Prophetiſſa*, Soror Aaronis, ejuſque Canticum, ſubmerſo Pharaone. n. *99*.

*Maritus* in uxorem crudelis, per Mariam immaculatam converſus. n. 634. Maritis erubeſcenda uxorum captivitas. n. 83.

*Marulla* Virgo, integrum Turcarum exercitum ab Arce Coccinâ ſola repellit. n. 181.

*Maſtrillus* ope Virginis immaculatæ, & S Xaverij, à periculo mortis liberatur. n. 529.

*Mater doloroſa*. n. 598.

*Mater* fame, ſitique in carcere peritura, Filiæ uberibus ſuſtentatur. n. 55. Alia à filijs, currum trahentibus, ad templum deducta n. 97. Alia exorando B. V. per ejus immaculatam Conceptionem, Filio periclitanti corporis & animæ ſalutem conſervat. n. 284. Matris ignobilitas Principi erubeſcenda. n. *605*. Mater munda ad gignendum filium mundum neceſſaria. n. 150.

*Matronæ* elegantis ſtatua à Leone cuſtodita, cum hac Epigraphe: *Nemo meam Dominam contingat*. n. 48.

*Matrimonium* cum infideli contractum, ipſo facto irritum. n. 535.

*Maxentius* virtute Crucis à Conſtantino devictus. n. 664.

*Medicina* ante languorem, vel certè in morbi principio adhibenda. n. 526. & 689. Debet eſſe proportionata priſtino temperamento. n. 528.

*Medicus* non tantùm curativa, ſed & præſervativa debet pôſſe remedia applicare. n. 526.

*Mediolanum* à Peſte liberatum, & quâ ratione? n. 438.

*Meduſa* à Perſeo obtruncata. n. 440.

*Mellis* favus ſine aculeo, Mariæ Symbolum. n. 579.

*Metellus* Genitoris ſui interceſſor. n. 650.

*S. Methodij* de Conceptione Authoritates. n. 499.

*Midas* petit à Baccho, ut omnia ſua in Aurum vertantur. n. 636

*Miles* à Cyro Perſarum Rege magnificum donum pro voto accipit. n. 671.

*Militia* eſt hominis vita. n. 519.

*Miniſter* DEI debet habere requiſitam capacitatem. n. 248.

*Mira* complura à DEO, contra naturæ ordinem, patrata. n. 540.

*Miraculum* non patratur pro aſſerendâ falſitate. n. *66*. Primum in Canâ Galileæ ad interceſſionem Mariæ à Chriſto patratur. n. 50.

*Mollia* objecta frangunt vires exploſi torméti. n. 467

*Montium* diverſorum deſcriptio. n 603. Colliſi à ventis totum exercitum conquaſſant. n. 615.

*Morbi*, varij per devotionem immaculatæ Conceptionis curati. *Vide* in Indice Hiſtor. In Conceptionis adverſarios immiſſi. Ibid.

*Mors* in eosdem immiſſa. Ibid. Parentis pro vitâ Filij mors. n. 678.

*Mortale peccatum* ſumma DEI tribulatio. n. 533.

*Moyſes*, à Filiâ Pharaonis ex aquis aſſumptus, enutritus, ac in filium adoptatus. n. 491. Ei cum uxore in Ægyptum pergenti, in itinere DEUS mortem comminatur, & cur? n 78. Duabus tabulis lapideis confractis, jubente DEO, novas ſubſtituit, Legemque inſcribit. n. 120. Labrum æneum de ſpeculis mulierum conficit. n. 512.

*Mulieres* coram Salomone litigantes, de filio in ſomnis oppreſſo. n. 274. Sæpè viris fortiſſimis generoſiores. n. 209.

*Mundus* quandoque ſignificat homines gratiâ Divinâ vacuos. n. 659.

*Muſcæ* non admittebantur ad Templum Herculis. n. 292.

*Myrrha*, ejuſque deſcriptio. n. 477.

## N.

*Nabuchodonoſoris* myſterioſa arbor. n. 575.

*Natales* Sanctorum raro ab Eccleſiâ celebrantur, benè verò obitus, & cur? n. 304.

*Nativitas* Præcurſoris celebratur, non tamen ejus Conceptio, & cur? n. 311.

*Natura humana*, vas perditum. n. 631.

*Navarræ Regis* annulus artificioſus. n. 566.

*Navis Victoriæ*, ſola integrum Mare Atlanticum emenſa, reliquis omnibus merſis. n. 363.

*Naves* periclitantes ab anchorâ ſervantur. n. 530. Piraticæ meritò è mari propelluntur. n. 215. In Arabiâ ſine omnî ferramento confectæ inveniuntur, & cur? n. 111. Signatæ Sacrâ Conceptionis Imagine, reliquis merſis, evadunt illæſæ. n. 165.

*Nauta* à Julio Cæſare de metu exortæ tempeſtatis increpatur. n. 468.

*Negativæ* partis in Controverſijs difficilis probatio. n. 435.

*Neſtorius* Mariam Dei Matrem negans punitur. n. 239.
*Nicæas* præſtantis formæ captivum dimittit. n. 454
S. *Nicephori* de Conceptione Authoritas. n. 506.
*S. Nicolaus* Epiſcopus apparet Elſino Abbati, eúmque à periculo naufragij liberat. n. 4. Suadet prætereà celebrationem Feſti Conceptionis. Ibid.
*Nicolaus* Pratenſis Octavam Conceptionis ſervandam in Ordine Cœleſtinorum promovet. n. 95. Roſam Mariæ offert, quæ in ejusdem Conceptionis teſtimonium, per annum integrum, pulchritudinem ſuam conſervat. Ibid.
*Nicolai Cuſani* de Conceptione Authoritates. n. 512
*Niger* color non ſemper infauſtus. 449.
*Nimbus* infra montes decidens, ſuperiùs non nocet. n. 89.
*Nivis* ab origine candida, Mariæ Symbolum. n. 271.
*Nobiles* Hiſpalenſes, eorumq; privilegium. n. 174. Mediolanenſis Nobilis à communi domûs ruinâ mirè præſervatur. n. 328. Nobilis à ſervo ſuo diabolo innocuus, ob quotidianam precatiunculam, in honorem immaculatæ Conceptionis. n. 375.
*Noëmi* Arca undis ſuperior. n. 36. Noë poſt diluvium plantat vineam. n. 540.
*Nomen* Mariæ oleo comparatur. n. 554. Sponſa nomen aſſumit ſponſi. n. 556.
*Novatianorum* Templum Conſtantinopoli ab incendio præſervatur. n. 251.
*Novum* ſepulchrum elegit Chriſtus. n. 631. Vina nova in utres novos mittenda. Ibid.
*Nox* nocti indicat ſcientiam, & quomodo? n. 638.
*Nubecula* è mari ſalſo dulcis, Mariæ Symbolum. n. 509.
*Nubere* ſi vis, nube pari. n. 633.
*Nuditas* honeſtati morte ipsâ gravior. n. 244. & 510.
*Nulla*, ſive o, quotiescunque multiplicata, non tamen efficit numerum. n. 362.
*Numerus* 1. his omnibus prævalet. Ibid.
*Numiſma* Conſtantini, devicto Maxentio. n. 664.
*Numus* aureus, cum miraculosâ inſcriptione: *Laudetur immaculata Conceptio.* n. 508. Numus obtinet ſuum integrum valorem ab expreſsâ imagine: Mariæ Symbolum. n. 117.
*Nuntius* ſolus evaſit Jobi miſerias. n. 358.
*Nympha* Phœbi præſidio à periculo ſerpentum, &c. liberatur. n. 503.
*Nymphæa* Herculea, ſeu Heraclion (id eſt, Flos Herculeus) è paludibus pronaſcitur. n. 230.

## O.

*Obededom*, ejusque domus tota, ob Arcam Domini benedicta. n. 246.
*Obeliſcus* Ramiſis à flammâ vaſtatrice præſervatus. n. 594.
*Obitus* Sanctorum, non Natales, communiter celebrantur. n. 304.
*Oblationi* non deſervit vitis fulmine læſa. n. 544.
*Obſeſſus* Mariam immaculatam fatetur. n. 214. & 641.
*Obſidio* miraculosè ſoluta, ope Virginis immaculatæ. n. 487.
*Octava* Conceptionis meritò à Pontificibus inſtituta. n. 92. A Cœleſtinis celebrari ſolita, Mariæ accepta, & ab eâdem miraculo comprobata. n. 95.
*Octavius Balbus* pro Filio ſuo mortem oppetit. n. 678.
*Oculus* membrum delicatum, exiguo pulvere moleſtatur. n. 691.
*Odio* carnem propriam habere eſt contra naturam. n. 360.
*Odor Tuba-Roſæ* fragrantiſſimus. n. 285.
*Officium* immaculatæ Conceptionis, præſens contra luxuriam remedium. n. 200.
*Olea* longè à mari reperitur. n. 554. Pacis & miſericordiæ Symbolum. Ibid. Non deſerviebat profanis uſibus. Ibid.
*Olei* proprietates. n. 554. E roſis expreſſum, beſtias in fugam agit. n. 461. Ex imagine Conceptionis immaculatæ miraculosè profluit. n. 557.
*Oliva* Nomen Mariæ. n. 554. Sola à diluvio præſervatur. Ibid. Ejus umbra ſerpentes enecat: Mariæ Symbolum. n. 558.
*Onus* qui ſentit, debet etiam ſentire commodum. n. 598.
*Opus* laudat ſuum artificem. n. 696.
*Oratio* ob honorem Conceptionis valde utilis. n. 284.
*Oratiuncula* efficax contra illicitas cupiditates. n. 141. & 690.
*Ordinata*, ut caſtrorum acies Maria, & quomodo? n. 484.
*Ordo de Conceptione* à Beatrice de Sylvâ inſtitutus. n. 473.
*Origenis* de Conceptione doctrina. n. 520.
*Originale peccatum* majus, quàm veniale. n. 45. Si daretur in Matre Dei, eſſet Filio ignominioſum. n. 136. Hominem quaſi dæmonibus obſeſſum reddit. n. 505. Eſt verus Baſiliſcus. n. 400. Item morbus caducus. n. 617. Paleis frumenti comparatur. n. 659. Quomodò cuilibet noſtrûm voluntarium? Ibid.
*Origo* Chriſti non eſt imperfectior origine Adami. n. 171. Nivis origo candida. n. 271.
B. *Oringa Chriſtiana* Virgo revelationem habet de Feſto Conceptionis. n. 585.
*Oroſij* de immaculatâ Conceptione Authoritas. n. 527.
*Oſſa Beatorum* colenda, & cur? n. 684.
*Ovis* ſequitur Paſtorem, oſtenſo ramo viridi. n. 173. Devia una plurimas poſt ſe trahit. n. 677.
*Oza*, ab Arcam temerè contactam, ſubitaneâ morte punitur. n. 239.

## P.

*Pallas*, ſeu Bellona, è Jovis cerebro procedit armata. n. 377.

*Palma* ſoli victori competit. n. 166.
*Pannis* Chriſtus infans involvitur, non pellibus, & cur? n. 582.
*Paradiſi* Terreſtrîs deſcriptio. n. 15. Avis Paradiſiaca, Mariæ Symbolum. n. 18.
*Parentes* à filijs Deorum inſtar honorandi. n. 584. Horum, & filiorum eadem privilegia. n. 24. A Filijs è flammarum periculis erepti. n. 76. Aliàs adjuti. Vide *Honor parentum*. Horum amor erga filios. n. 433. & 678. Horum debita filijs probroſa. n. 673.
*Pari* nubere conſultiſſimum. n. 633.
*Parrhaſius*, linteo ſuo artificiosè depicto, Zeuxidem decipit. n. 559.
B. *Paſchalis* Mariæ immaculatæ devotus. n. 361.
*Paſſer* inſequente accipitre, in ſinu Xenocratis refugium quærit. n. 482.
*Paſtor* trahit ovem, oſtenſo ramo viridî. n. 173.
*Patris æterni*, ac Filij æterni æqualis Potentia, ac Sapientia. n. 437.
*Pater* quidam pro filio mortem oppetit. n. 678. Patrem aut Matrem egere, cujus filius eſt in facultatibus, iniquiſſimum. n. 38. Filius optionem habens, Patrem vel Matrem honeſtiorem eligeret. n. 514.
S. *Paulus* à viperæ morſu non læditur. n. 589.
*Pavones*, prohibente Alexandro, non interficiendi. n. 321. Horum ſuperbia ceſſat, inſpectis pedibus ſordidis. n. 495.
*Peccatum grave* Abyſſus. n. 435. Summa DEI tribulatio. n. 533. Hujus ſpecies DEO maximè odibilis. n. 673. Non committens actuale in ætate adultâ, etiam ab originali liber cenſendus eſt. n. 31.
*Peccatum originale* gravius, quàm veniale. n. 45. Eſt verus Baſiliſcus. n. 400. Item nox. n. 442. Cathedra peſtilentiæ. n. 596. Morbus caducus. n. 617. Tenebræ. n. 638. Paleis frumenti comparatur. n. 659. Quæri in Deiparâ, inveniri non poteſt. n. 365. Non enim eſt hujus condemnanda. n. 645. In qua nec ulla invenitur ſuſpicio. n. 582. Nec ulla tentatio. n. 687. Eſſet etiam Filio Chriſto valdè ignominoſum. n. 136. Hinc dum Maria cum Angelo colloquitur, nulla peccati fit mentio. n. 673. Quomodò nobis omnibus ſit voluntarium? n. 659.
*Perfectiones* omnes in Mariam collatæ. n. 540.
*Periltis* ab Alexandro liberaliter præmiatus. n. 629.
*Perſeus* Andromedam, præſentiſſimo maris periculo expoſitam liberat. n. 300. Meduſam obtruncat. n. 440.
*Pes* Mariæ ſpecioſus diabolum humiliat. n. 495.
*Peſtis* diverſis in locis ceſſat, voto facto, celebrandi Feſtum immaculatæ. n. 38. Ceſſat Baſileæ, dum Concilium illud Feſtum immaculatæ celebrandum decernit. n. 697. Infectus hac lue à Mariâ ſanatur. n. 151.
*Petrus*, alijque Apoſtoli, à Chriſto loti. n. 491.
*Petri Bleſenſis*, de Conceptione Authoritas. n. 534.
*Petri Cellenſis* item. n. 541.
*Petri Chryſologi* item. n. 548.
S. *Petri Cluniacenſis* item. n. 555.
*Petri Comeſtoris* item. n. 562.
S. *Petri Damiani* item. n. 569.
*Petri de la Vega* Epiſcopi Carthaginenſis, immaculatæ Conceptionis adverſarij, ſubitanea mors. n. 228.
B. *Petrus Regalatus* Ord. Min. fundator Eremitorij Abroxani. n. 627.
B. *Petrus Vilarienſis* à Mariâ admonitus, celebrat Feſtum Conceptionis. n. 571. Idem à Chriſto Mariam ſolenniter in Sponſam accipit. Ibid.
*Pharaone* ſubmerſo Iſraëlitarum Cantica. n. 99. Ejus filia Moyſen ex aquis aſſumit, nutrit, ac in filium adoptat. n. 491.
*Pherenica*, non obſtante lege, contra mulieres latâ, ad lupos olympicos admittitur. n. 279.
*Philippus III.* Hiſpaniarum Rex, eiusque Conjux Margarita, ſingulariter Deiparæ conceptæ devoti. n. 25.
*Philoſophi*, mediæ naturæ, DEUM inter, & homines. n. 608.
*Phoebus* Nympham à periculo ſerpentum liberat. n. 503.
*Phoenix*, Avis unica, ex cineribus combuſti Phœnicis rediviva, Mariæ Symbolum. n. 124.
*Pictores* perfecti imperfecto contenti, dicendo: *Faciebat*, non autem *Fecit*. & cur? n. 139. Pictoris à periculoſo lapſu conſervatio miraculoſa, per Mariam immaculatam. n. 235. Pictura Protogenis ab Apelle laudata. n. 237.
*Pincheneta* Ord. Ciſterc. Abbatiſſa periculosè decumbens, mediante Conceptionis Imagine ſanatur. n. 480.
*Pindari* domus, jubente Alexandro, à deſtructione præſervata. n. 153.
*Piſcis*, cui *Stella* nomen, in undis radiat. n. 243.
*Planta* Petri cur à Chriſto lota? n. 491.
*Plato* diſcipulos ſuos mediante ſpeculo inſtruit. n. 517. A lege mortis abſolvitur, & cur? n. 608.
*Pœnæ* Protoparentibus ob prævaricationem dictatæ. n. 85. Non tetigerunt Mariam. Ibid. Inferni pœnæ ad fletum, & ſtridorem dentium reſtringuntur, & cur? n. 323.
*Polyphemus* ab Ulyſſe exoculatur. n. 447.
*Polypus*, ingruente tempeſtate, ſcopulo adhæret. n. 201.
*Poma* ſæpè quoad externam ſpeciem fallacia. n. 327. Prohibiti pomi mala, & effectus miſerandi. n. 183.
*Pompeius Atticus* gloriatur, ſe nunquam cum Matre in gratiam rediſſe. n. 202.
*Pontificum* Decreta, circa immaculatam Conceptionem. n. 316.
*Porci* intrà hortum non admittendi. n. 572.
*Porta* Cœli Maria. n. 568. Porta ſoli Principi, nempe DEO aperta. Ibid. Civitatum portis antiquitùs prudentiſſimi viri præfecti, & cur? Ibid.

Poſſe-

*Poſſeſſio* ejusdem rei in ſolidum penes duos implicat. n. 227.
*Poſſeſſor* Mariæ ab initio DEUS. n. 428. Malæ fidei poſſeſſor nunquam præſcribit. n. 402.
*Poſteriora* Jura non derogare poſſunt prioribus. n. 661.
*Præmia* Studioſis pro meritis diſtribuuntur. n. 299. Alexandri Magni liberaliſſima præmia. n. 629. Mariæ primum præmium, immaculata Conceptio. n. 325.
*Præſervatio* Mariæ, affert DEO excellentiam. n. 178. Eſt prævia, ac perfectior redemptio. n. 241. 477. & 526. Obtigit Mariæ ob generationem DEI. n. 680. Præſervatio multorum miraculoſa, à varijs periculis. n. 687.
*Præſumitur* ſemper malus, qui ſemel eſt malus. n. 199.
*Primula Veris*, ſive florum primitiæ. n. 481.
*Princeps* eadem privilegia Auguſtæ concedit, quæ ipſe habet n. 255. Filij Principum, ſunt à Tributis, & penſionibus liberi. n. 591. Principis lateri adſtantes Illuſtres dicuntur. n. 381.
*Principijs* obſiſtendum. n. 689. Principium ſolenne ſtudiorum, immaculatæ Conceptionis Symbolum. n. 5.
*Privilegia* Reginæ, cum marito eadem. n. 255. perpetuâ firmitate conſtare debent. n. 363.
*Privilegiatum Altare* præ reliquis æſtimandum. n. 614.
*Probatio* incumbit accuſatori, non parti accuſatæ neganti. n. 647.
*Procellæ* non nocent ſcopulo Marino. n. 607.
*S. Procli* de Conceptione Sententia. n. 575.
*Proditorem* hoſpitio recipiens, eo diſcedente, Palatium deſtruit. n. 125.
*Productio* primorum parentum pura. n. 430.
*Progenitores* Mariæ à diverſis periculis liberati. n. 687.
*Propinqua* magis participant de ſuo principio. n. 500.
*Protogenis* pictura rariſſima, cui ſola deerat gratia, ſeu vita. n. 237. Hic Apellis præſentiam ex ſubtiliſſimâ lineâ agnoſcit. n. 370.
*Pſelli* Authoritates de Deiparâ Conceptâ. n. 583.
*Pſittacus* anguem decipere doctus, Mariæ Conceptæ Symbolum. n. 229.
*Puella* ſpecioſa, fundamentis Templi Dianæ injicitur. n. 13.
*Puerpera*, in maris, partûsque duplici periculo, à Mariâ adjuta. n. 221.
*Puerulus* è ſolario delapſus, ope immaculatè conceptæ Virginis illæſus. n. 410. Alius à diluvio miraculosè ſervatus. n. 487. Alius 13. menſium, verſus 4. in honorem immaculatæ Conceptionis diſtinctè pronuntians. n. 662.
*Pugna* inter naturam, & gratiam in Mariâ. n. 519. Pugnante pro nobis DEO, quis contra nos? n. 675.
*Pulchritudo* omnis, ac gratia, in Mariam collata. n. 104. Deſcribitur. n. 267. & 470. Cur Maria bis dicatur pulchra? Ibid. Fuit intuentibus remedium, contra illicitas cupiditates. n. 141. Pulchritudo Abſalonis. n. 267. Helenæ item, Regna concitavit ad arma. n. 554. Omnis creata pulchritudo habet aliquem defectum n. 267.
*Pulvis* exiguus oculos moleſtat. n. 691.
*Punctum* unicum extra Orbem ab Archimede deſideratur, quo totum vellet Orbem commovere. n. 349. Mariæ extrema puncta correſpondent medio. n. 418.
*Puritas* Mariæ deſcribitur. n. 309. In Sacerdotibus, alijsque DEI Miniſtris, ſummè requiritur. n. 316. Etiam in Idolorum ſacrificulis ab Ægyptijs deſiderata. Ibid.
*Purpura*, tactu impudici Magiſtri, ſeu Tinctoris, marceſcit, vel omninò emoritur. n. 132.
*Pyramis* erecta, ridens ventos, Mariæ Symbolum. n. 222.
*Pyratæ* meritò è mari propulſantur. n. 215.
*Python*, voraciſſimus ac venenoſiſſimus ſerpens, ab Apolline adhuc puero interficitur. n. 216.

## Q.

*Quærere* maculas in Sole poſſumus, non invenire. n. 379. Similiter quærere peccatum in Deiparâ, eſt labor irritus. n. 365.

## R.

*Rabies* certarum Virginum, comminatione denudandorum cadaverum ſedata. n. 244.
*Radix* ſi ſancta, etiam rami ſancti. n. 276. Maria Radix Jeſſe. n. 575. Radices in plantatione vineæ non ſauciandi. Ibid.
*Rahab*, unà cum totâ ſuâ domo, ab incendio Iericchuntino præſervatur. n. 148.
*Ramiſes* Obeliſcum precioſum erigi curat. n. 594. Filiumque ejus Unigenitum alligari, & cur? Ibid.
*Ramus* viridis trahit Ovem. n. 173.
*Rappaciolus* Cardinalis à ſtranguriâ liberatur, ope immaculatæ Virginis. n. 326.
*Rebecca* adeò ab Iſaaco diligitur, ut dolorem, qui ex morte matris acciderat temperet. n. 50.
*Reconciliatio*, & redemptio Chriſti fuit perfectiſſima. n. 143.
*Reconciliator* duorum litigantium, debet eſſe utriuſque bonus amicus. n. 108.
*Reddenda* Cæſari, quæ ſunt Cæſaris. n. 388.
*Redemptio* præſervativa perfectior. n. 241. & 624. Ejus pulcher Conceptus ex hiſtoriâ Davidis. n. 225. ad finem. Redemptionis opus excellentius, quàm Creationis. n. 283.
*Regina* Saba, Salomoni acceptiſſima. n. 295. Reginæ debet eſſe melior conditio, quàm ſervi. n. 213. Ex privilegio Regis, non eſt ſubdita legibus. n. 351.
*Regiones* variæ, immaculatam Conceptionem tenentes. n. 645.
*Regnum DEI* conſiſtit in miſericordiâ, & juſtitiâ. n. 351.
*Relativa* ſunt ſimul naturâ, & cognitione. n. 612.

*Reliquiæ Sanctorum* colendæ, & cur? n. 684.
*Revelatio* Birgittæ de immaculatâ Conceptione. n. 274. & 382. Alijs factæ revelationes, circa idem myſterium. Vide in Indice Hiſtor.
*Reus* abſolvitur, actore non probante. n. 647.
*Rex* ſcripturus reſpuit chartam maculatam. n. 390. Purpura Regis, à tinctore, ſeu magiſtro puro conficienda. n. 132. Juvenis Regius, in die Nuptiarum, relictâ ob Mariam ſponsâ, Religionem ingreditur. n. 277.
*S. Richardi à S. Laurentio* Authoritates de Conceptione. n. 590.
*Richardi à S. Victore* item. n. 597.
*Rodericus* Alphonſus, Conceptioni immaculatæ devotiſſimus. n. 564.
*Rodope*, calceo ſuo ad pedes Regios delato, in Regiam ſponſam aſſumitur. n. 496.
*Roma* fratricidio abinitio vitiata. n. 307. A peſte liberata, & quomodo? n. 438. Videt 3. Soles, in unum coëuntes, qui explicantur ab Aſtrologis. n. 699.
*Romani* gerunt in ſuis Vexillis litteras: S. P. Q. R. n. 488. Celebrant Feſtum Anſerum, & cur? n. 538.
*Roſa*, licèt inter ſpinas exorta, non ſentit ſpinam. n. 145. A Nicolao Pratenſi Mariæ oblata, poſt annum, ejusdem pulchritudinis, ac viriditatis invenitur. n. 95.
*S. Roſarij* utilitas. n. 148. B. Joannæ de Cruce Roſaria, ab ipsâ SS. Trinitate in Cælis benedicuntur. n. 683.
*Rubigo* nulla in auro reperitur. n. 474.
*Rubus* ardens, ac incumbuſtus deſcribitur. n. 71.
*Ruga* nulla in Mariâ. n. 666. Rugoſæ vetulæ Mariæ Conceptæ adverſariæ. Ibid.
*S. Ruperti Tuitienſis* de Conceptione Authoritates. n. 604.
*Ruth* ſpicas colligit, inque oculis Booz gratiam invenit. n. 197. Ejus præconium à Booz obtentum. n. 204.

## S.

*Saba* Regina, ob pulchritudinem ſummam, Salomoni accepta. n. 295.
*S. Sabbæ* de Conceptione Authoritas. n. 611.
*Sabbathum*, cur devotioni Marianæ, præ reliquis diebus, deſtinatum? n. 246.
*Sabini* Litteras S.P.Q.R. in ſuis vexillis gerunt. n. 488.
*Sacerdotes* V. T. alijque Altaris Miniſtri, debebant eſſe Sancti. n. 127. Hoc multò magìs à Sacerdotibus N. T. requiritur. Ibid. In Scripturâ Angeli dicuntur, & cur? Ibid. Sacerdotum terra à tributo libera. n. 85. Ignem in V. T. abſcondunt, perpetuoque ardentem conſervant. n. 687.
*Sagittæ* Solem non feriunt. n. 369.
*Sal* remedium contra putredinem. n. 411.
*Salamandra* in ignitis carbonibus illæſa. n. 208.
*Salomon* parcit Abiathar Sacerdoti, quia portavit Arcam Dei. n. 211. Ejus judicium ſupra 2. mulieres litigantes. n. 274. Ejus erga Matrem reverentia. n. 281. Ejus Templum ſplendidiſſimum. n. 288. Ejus Lectus. n. 463.
*Salutatio* Angelica deſcribitur, & ex eâ immaculata Conceptio probatur. n. 192. Idem fit per 100. Anagrammata, in ſingulari Indice poſita. Cur ter in die repetatur? n. 246.
*Samſon*, figura Chriſti. n. 183. Ejus fortitudo. n. 190.
B. *Samſon* Archi-Epiſcopus Dolenſis, Ord. S. Bened. Draconem injectâ ſtolâ è Provinciæ finibus proſcribit. n. 195.
*Sancti* reſpectu B. V. ſunt ſicut colles reſpectu Montium. 603. Eorum obitus, non natales celebrantur. n. 304. Eorum S. Reliquiæ meritò colendæ. n. 684. Cur pingantur, lunam ſuper capita geſtantes? n. 547.
*Sandalia* Judithæ pulchra. 491.
*Sanguis* ab Elephante conſpectus eum exacerbat. n. 670. E naribus incauti Concionatoris copiosè prorumpit. n. 431. item ex vulneratâ Conceptionis Imagine. n. 599.
*Sanguis Chriſti* cur dicatur effuſus pro multis? n. 624.
*Sanitas* pluribus infirmis reſtituta, per immaculatam Virginem. Vide in Indic. Hiſt.
*Saphyrus* ſecundum Cæleſtis Jeroſolymæ fundamentum. n. 694. Deſcribitur, & Chriſto comparatur. Ibid.
*Sapiens* ad aſſequendum finem eligit media aptiora. n. 465.
*Sapientia* Dei in Conceptione Mariæ demonſtratur. n. 548.
*Saul* Filio ſuo Jonathæ matris delictum objicit. n. 673.
*Saxum* ingens in altum volvere, labor fruſtraneus. n. 404.
*Schedula* Conceptionis, medicinæ locò ſumpta, Cardinalem Rappaciolum à ſtranguriâ liberat. n. 326. Similis hiſtoria. n. 494.
*Scholæ* Mariam peccati non condemnant. n. 645.
*Scintilla* modica magnum ſæpè excitat incendium. n. 257.
*Scipio* Romanus, Patrem ſuum Annibalem ex hoſtium manibus gloriosè eripit. n. 391.
*Scopulus Marinus*, ingruente tempeſtate, Polypi aſylum. n. 201. Procellis fortiter reſiſtit. n. 607.
*Scotus* 300. Argumenta contra immaculatam Conceptionem ſolus reſolvit. n. 403. Imago marmorea B. V. versùs ipſum, ante Diſputationem, caput inclinat. Ibid.
*Scripta* S. Thomæ Aquinatis à Chriſto approbata. n. 654.
*Scuta* ab Athenienſibus ſollicitè conſervata. n. 692.
*Scytharum* refugium ad ſepulchra parentum. n. 356.
*Semel* deprehenſus, centiès reus. n. 318.
*Sententia* D. Thomæ Aquinatis, ab eodem Sancto poſt mortem explicata. n. 374.
*Sephora* Moyſis uxor, Mariæ figura. n. 78.
*Sepulchrum* Chriſti novum. n. 631. Parentum

tum ſepulchra, Scytharum refugium. n. 356.
*Sermo* Concionatori miraculosè invertitur. n. 389.
*Serpens* condemnatur, ut ſupra pectus ſuum gradiatur, & terram comedat. n. 491. Ejus caput à Mariâ contritum. n. 29. Odor Cedrorum ſerpentibus fatalis. n. 603. Certam arborem in Indijs inficiunt. n. 580. Theriacâ tamen ſuperinfusâ, venenum expellitur. Ibid. A Locuſtâ ſerpens pungi ſolet in capite. n. 33. Item devorari à Ciconiâ. n. 187. Nido Pſittaci inſidias ſtruens, ab eo confunditur. n. 229. Sub umbrâ Olivæ corruit. n. 558.
*Servi* non ſunt æquiparandi Reginis. n. 213.
*Sigridis*, Mater S. Birgittæ, è maris periculo miraculosè liberata, & cur? n. 398.
*Simeon ſtylita*, in columnâ diù immobilis. n. 622.
*Sirenum* cantus periculoſus. n. 40. Clauſis auribus periculum effugiendum. Ibid.
*Siſara* à Jahele interfectus. n. 162.
*Sixtus IV. P. M.* adhuc Card. in laudibus, & Veſperis, totiès quotiès facit commemorationem immaculatæ Conceptionis. num. 116. Quam devotionem etiam Pontifex factus proſequitur. Ibid. Ejus Diploma Madritum transmiſſum miraculo confirmatur lampadis ſpontè accenſæ. n. 291.
*Societas JESU* ſpecialiter ordinata, pro defenſione immaculatæ Conceptionis. n. 564.
*Sol* ad imperium Joſue ſtat immobilis. n. 155. Idem eſt, ac: *Solus ſine multis.* n. 379. Sæpè Ecclypſin pati creditur, aut maculoſus videtur, quod tamen reipsâ non eſt: Mariæ figura. Ibid. Romæ 3. Soles conſpecti, in unum coëuntes, ab Aſtrologis expoliti. n. 699. Quamprimùm Sol exurgit, mare totum illuminat. n. 159. Fruſtrà ſagittis petitur, & fruſtrà maculatus creditur. n. 369. In ſpeculo repræſentatus, ſplendidiùs elucet. n. 383. Semper ad Solem Heliotropium convertitur. n. 439. Hoc umbram negante, Solare Horologium inutile. n. 586, Ejus radij, cloacam penetrantes, non inficiuntur. n. 663. Hunc æmulatur Luna plena. n. 551.
*S. Sophronij* de Conceptione ſententiæ. 625.
*Soror* SS. Trinitatis Maria. n. 498.
*Speciosus* Chriſtus: Ergo ſpecioſa Mater. n. 493.
*Speculum* eſt quælibet creatura. n, 512. Repræſentat dextra ad ſiniſtram, & viciſſim. Ibid. Mulierum ſpecula, à Moyſe ad labrum æneum applicata. Ibid. Speculum Platonis, quibus diſcipulos inſtruxit. n. 517. Solis imagine receptâ, eam ſplendidiùs reddit. n. 383. Baſiliſcus objecto ſpeculo enecatur. n. 516.
*Spinæ* accenſæ magìs ardent, quàm alia ligna. n. 75. Non inſunt Roſæ, licèt inter ſpinas genitæ. n. 145. Nec Caſtaneæ, licèt ſpinoſo cortice contectæ .n. 278. Utiliter vineam circumdant. n. 600. In peccati originalis memoriam creatæ. n. 596.
*Spiritus Sanctus*, ſuperveniens in Mariam, eam Samſone fortiorem reddit. n. 190, Ab initio fertur ſuper aquas, & cur? n. 680.
*Sponſa* non debet carere amicitiâ Sponſi. n. 395. Relicto proprio, ſponſi nomen aſſumit. n. 556. Ejus viles natales, Sponſo nobili erubeſcendi. n. 605.
*Sponſalia* cum infideli ipſo facto irrita. n. 535.
*Spurius* legitimatus, ſimilis ægro curato à vulnere, cui ſemper aliqua remanet cicatrix. n. 78. & 458.
*Stare* Mariæ proprium. n. 617.
*Statua* Conceptæ Virginis indignabundè avertit faciem à Concionatore contra illam perorante. n. 123. Alia ſub tali concione in fruſta collabitur. n. 333. Statua Matronæ elegantis, à Philippo Bono, Burgundiæ Duce, hoſtibus ſuis propoſita. n. 48.
*Stella* aurea, in fronte demortuæ Beatricis conſpecta. n. 473. Piſcis, ſtella vocatus, in aquis reſplendens, Mariæ Symbolum. n. 243.
*S. Stephani Sabaitæ* de Conceptione ſententia. n. 625.
*Structuræ* feliciter abſolutæ arbuſcula viridis ſuperimponitur. n. 698.
*Stygis* fluminis aquæ mortiferæ. n. 34.
*Stylita* longo tempore in columnâ immobilis. n. 622.
*Sudor* ſanguineus Chriſti, Myrrhæ comparatus. n. 477.
*Suldani* Armeniæ filius, jamjam baptizandus, audito Concionatore, contra immaculatam Conceptionem perorante, ſcandalizatus, mutato propoſito revertitur. n. 81.
*Superbia* Pavonis ceſſat, inſpecto pede. n. 495.
*Surgere* præſupponit cadere. n. 617.
*Suſpicio* peccati longè à Mariâ. n. 582.
*Synodus* VI. ſub Agathone Papâ, Mariam immaculatam pronunciat. n. 163. Pariter Synodus. VII. Ibid.

# T.

*Tabulæ* lapideæ, à Moyſe confractæ, ac jubente DEO aliæ ſubſtitutæ. n. 120.
*Tacens* communiter conſentire videtur. n. 332.
*Tempeſtate* maris ingruente, Polypus fugit ad ſcopulum, eique ſecurè adhæret. n. 201.
*Templum* Salomonis. n. 288. Conſecrari nolebat Gregorius Magnus Templum illud, ubi mortuus jacebat. n. 146. Templi dedicatio deſcribitur. n. 288. Templo Jovis deſtructo, totus Cambyſis exercitus à montibus collapſis obruitur. n. 615. Dianæ Templi fundamentis puella ſpecioſa inijcitur. n. 13. A communî incendio præſervatur, & cur? n. 293. Templum Herculis non audebant intrare muſcæ. n. 292. Templum Novatianum Conſtantinopoli, ab ignis periculo præſervatur. n. 251.
*Tenebræ* peccatorum Mariam non comprehenderunt.

runt. n. 638. Tenebroſa candela, una ſola in finem uſque Matutini ardens, Mariæ Symbolum. n. 642.

*Tentatio* peccati Mariam non moleſtavit. n. 687. Per devotionem immaculatæ Conceptionis facilè ſuperanda. n. 340.

*Terra,* ex qua formatus Adam, erat Virgo, id eſt, nondum maledicta. n. 8. Sacerdotalis, à tributo libera. n. 85. Bonitas terræ è fructibus cognoſcitur. n. 134.

*Tertulliani* de Conceptione ſententia. n. 632.

*Teſtudini* uni correſpondet altera concors, licèt intacta. n. 26.

*Themiſtocles,* gratiſſimum Athenienſibus ſpectaculum. n. 314.

*Theodoreti* de Conceptione ſententia. n. 639.

*Theophanis Nicæni* item. n. 646.

*Theriaca* contra venena. n. 580.

*S. Thomas Apoſtolus* hæſitando profuit ad fidem credentium. n. 657. Ejus de Conceptione ſententia. n. 653.

*S. Thomas Aquinas* bene ſcripſit de Chriſto. n. 654. Ejus Authoritates pro immaculatâ Conceptione. n. 660. Apparet Fauſtino Epiſcopo, ſuámque de Conceptione doctrinam explicat. n. 347. Ejus doctrina, quoad ſpeciem primò Conceptioni puræ contraria, plus profuit pro confirmatione. n. 657.

*Thomæ Argentinenſis* Authoritates de Conceptione. n. 667.

*S. Thomæ Villanovani* item. 674.

*Thronus DEI* firmus, innocens, in miſericordiâ præparatus. n. 260.

*Tinctor* Regiæ Purpuræ neceſſariò purus. n. 132.

*Tobias* Senior cibis gentilium nunquam contaminatus. n. 323.

*Toletanum* Concilium ſtat pro immaculatâ. n. 191.

*Tormenti* bellici exploſi vires, per objectum molle franguntur. n. 467.

*Torneamenta* pretioſa in Nuptijs Eduardi Regis Britanniæ celebrata. n. 475.

*Tribulatio* DEI, peccatum mortale. n. 533.

*Tributa*, & penſiones, à filijs Principum non exiguntur. n. 591.

*SS. Trinitas* benedicit Roſaria, in favorem B. Joannæ de Cruce. n. 683.

*Trithemij* Authoritates de Conceptione. n. 681.

*Truncus* per medium ſciſſus immaculatam Conceptionem litteris prodit. n. 578.

*Tuba-Roſa* Flos fragrantiſſimus. n. 285.

*Turcæ* Mariam ſine peccato affirmant. n. 645. Suldani Filius ſcandalizatur, dum à Chriſtiano Concionatore Maria maculata dicitur. n. 81. Turcarum exercitus ab unâ Virgine Marullâ ab Arce Coccinâ repellitur. n. 181.

*Turtur* abſque felle, Mariæ Symbolum. n. 313.

## V.

*Valentini Conſtantinopolitani* Authoritates de Conceptione. n. 688.

*Vas* admirabile Maria. n. 631. Vas perditum omnes reliqui homines. Ibid. Vas habens rimam liquorem non ſervat. n. 635.

*Vaſco Fernandez* per medios hoſtium cuneos generosè penetrat. n. 419. Ejus jactantia, ab alio deluſa. Ibid.

*Vaſthi* Regina, Aſſueri mariti ſui imperium recuſans, aulâ proſcribitur. n. 337.

*Vectigal* non ſolvitur pro malogranatis in Siciliâ, & cur? n. 188.

*Velle DEI* eſt ipſum facere. n. 3.

*Vellus* Gedeonis. n. 169. Licèt vellus ſit de carne, excreſcit extrà carnem, & carnis paſſiones ignorat. Ibid.

*Vellus aureum* à Colchorum Rege ſollicitè in Templo Martis cuſtoditum. n. 118. A Jaſone reportatum. n. 223.

*Venenum,* Theriacâ mediante, ſuam virtutem amittit. n. 580.

*Veniale peccatum* Maria non habuit. n. 45. Hoc aſtruere, Concilium Tridentinum ſub Anathemate prohibet. Ibid.

*Ventus* non frangit arundinem. n. 110. Nec ſternit Pyramidem. n. 222. Nec ignem clauſum extinguit. n. 446.

*Verbum DEI* duplex, mentis, & oris. n. 386.

*Verſus* 4. à puerulo, 13. Menſium, in honorem Conceptionis diſtinctè pronuntiati. n. 622.

*Veſtes* non auferendæ debitori. n. 346.

*Vetulæ* 8. rugoſæ, Mariæ Conceptioni adverſantes. n. 666.

*Vexilla bellica,* quò magìs lacera, eò glorioſiora. n. 453.

*Viæ Domini* quales? n. 428. Via Mariæ, ſpinis ſepta, nimirùm gratiæ. n. 596.

*Viator* nocturnus, ad Lucidiæ ſplendentes pennas, iter ſuum facilè proſequitur. n. 341.

*Victor* ſolus Palmam promeretur. n. 166.

*Victoria* Navis unde dicta? n. 363.

*Villanovani Thomæ* de Conceptione Authoritates. n. 674.

*S. Vincentij Ferrerij* item. n. 695.

*Vinea* à Noëmo poſt diluvium plantata. n. 540. Ab Ancæo dilecta, & ſollicitè cuſtodita. n. 545. Spinis circumdata, tutior. n. 600.

*Vinum* novum in utres novos mittendum. n. 631.

*Vipera* à Paulo in ignem projecta. n. 589.

*Virginitas* Abbatiſſam condecet. n. 570.

*Virgines* 8. ſpecioſæ Mariam immaculatam defendunt. n. 666. Cantus Virgineus fugat Leones. n. 180. Honeſtæ Virgini denudatio corporis ipsâ morte eſt gravior. n. 244. Galeatæ, à furioſo Romano milite ſecuræ. n. 426.

*Vita hominis* militia ſuper terram. n. 519. Vita ope B. V. im̃aculatæ reſtituta. n. 18. 130. & 655.

*Vitis* fulmine læſa, ad oblationem inutilis. n. 544.

*Vitrum* frangi nequit ab argento vivo. n. 82. Lampadem ardentem à vento protegit. n. 446.

*Ulyſſes* Polyphemum exoculat. n. 447.

*Umbella* contra pluvias, ac ventos remedium. n. 593.

*Umbra* Petri ſanat infirmos. n. 421. Cœlo ſereno, ſtellis rutilante, umbra non comparet. n. 264. In globo cryſtallino non reperitur. n. 425. Hac deficiente, fruſtra aſpicitur Horologium Solare. n. 586. Olivæ umbra ſerpentes enecat. n. 558.
*Ungula* equi, venenoſis aquis, ex Styge flumine, omnem vim adimit. n. 34.
*Unicornis*, conſpectâ in ſuâ ſpeluncâ aliâ ferâ, nunquam ampliùs ingreditur. n. 320.
*Unus* numerus, ſive — 1. prævalet innumeris o o o o. n. 362.
*Voluntas* noſtra, moraliter incluſa in voluntate Adami. n. 659.
*Votum* integræ Civitatis, obligat cives futuros, licèt nondum natos. Ibid. Mariæ immaculatæ facta vota, peſtem frequenter avertunt. n. 438. Sanitatem reſtituunt, & complura alia beneficia impetrant. *Vide in Indice Hiſtor.*
*Vox* populi, vox DEI. Proverbium. n. 80.
*Urbis* Jeroſolymitanæ ſpecialis protectio. n. 302. Urbs Granatenſis, per interceſſionem immaculatæ Virg. à FERDINANDO III. Rege Hiſp. expugnatur. n. 424. Ejus Votum. Ibid. Urbs ab arce protecta, ab hoſtili incurſu ſecurior. n. 306.
*B. Urſulæ Benincaſæ* erga immaculatam Conceptionem devotio. n. 669.
*Utres* novi ad vinum novum neceſſarij. n. 631.
*Uvæ* à Zeuxide depictæ aviculas decipiunt. n. 559.
*Vulnera Chriſti*, Regni Luſitaniæ inſignia. n. 489. Hoſtibus terribilia. Ibid. Noſtra ſunt medicina. n. 526.
*Vulnera* in bellicis vexillis glorioſa. n. 453.
*Uxor*, precibus ad immaculatam fuſis, emendationem mariti impetrat. n. 634. Captiva marito erubeſcenda. n. 83.

## W.

*Wickeri* militis germani rara fortitudo. n. 643.

## X.

*Xenocratis* ſinus, paſſeris, perſecutionem ab accipitre paſſi, refugium. n. 482.
*Xerxes* Perſarum Rex, Græcorum exercitui unam fœminam, Artemiſiam objicit, quæ ingentem illis ſtragem infert. n. 167.
*Ximenius* Archi-Epiſcopus Toletanus, erga immaculatam Conceptionem ſpecialiter devotus. n. 417.

## Z.

*Zeuxis* pictor celeberrimus. n. 272. Ejus circa Adonidis effigiem ſollicitudo. Ibid. Depictis à ſe uvis aviculas fallit. n. 559. Fallitur tamen ipſemet à Parrhaſio. Ibid.

# F I N I S.

# MENDA SIC EMENDA.

| *Fol.* | *Errores.* | *Correctio.* |
|---|---|---|
| 4. | ennarrabit. | enarrabit. |
| 7. | ennarrare. | enarrare. |
| 12. | refetunt. | referunt. |
| | imerſa. | immerſa. |
| 18. | Borſena. | Porſena. |
| 20. | tantâ. | tanta. |
| 22. | Dominum. | Dominam. |
| | Timite. | Timete. |
| 23. | poteterat. | poterat. |
| 24. | exſtructo. | extructo. |
| 27. | ur. | ut. |
| 29. | Abbatiſſâ. | Abbatiſſa. |
| | prIncIpIs. | prInCIpIs. |
| 33. | abſumete. | abſumere. |
| 35. | affirmans ) | affirmans. |
| 36. | comendationem. | commendationem. |
| 37. | ait: ait. | ait : |
| 46. | otdiuem. | ordinem. |
| 52. | aurundo. | arundo. |
| | ocultâ. | occultâ. |
| 56. | inexſpectatam. | inexpectatam. |
| 58. | præſumſerat. | præſumpſerat. |
| 59. | Phæuix. | Phœnix. |
| 67. | aur. | aut. |
| 71. | legemolim. | legem olim. |
| | matres ſuos. | matres ſuas. |
| | fermentatato. | fermentato. |
| 72. | præſerva | præſervata. |
| 73. | inexſpectatâ. | inexpectatâ. |
| 75. | exſurgeret. | exurgeret. |
| 77. | conjuucta. | conjuncta. |
| 78. | divictis. | devictis. |
| 81. | ros omni. | ros in omni. |
| 84. | propriùs. | propiùs. |
| 86. | redimiſſe. | redemiſſe. |
| | inexſpectatum. | inexpectatum. |
| 89. | patefecir. | patefecit. |
| 90. | quatumvìs. | quantumvìs. |
| 94. | ad eam. | ad eum. |
| 98. | qnòd. | quòd. |
| 101. | Carthaginenſim. | Carthaginenſium. |
| 104. | NavIs. | NaVIs. |
| | inoxia | innoxia. |
| 118. | qai. | qui. |
| 123. | exſtruere. | extruere. |
| | exſtructioni. | extructioni. |
| 127. | ConCeptio. | ConCeptIo. |
| 129. | amiſſim. | amuſſim. |
| 131. | exſpirat. | expirat. |
| 133. | qnia. | quia. |
| 137. | nunquam. | unquam. |
| 141. | inprimis. | imprimis. |
| 145. | Denm. | Deum. |
| 151. | corpori. | corporis. |
| 157. | captibus. | capitibus. |
| | innummera. | innumera. |
| 158. | immaculatum. | immaculatam. |
| 159. | ſingalari. | ſingulari. |
| 164. | formiſiſſima. | formoſiſſima. |
| | inrerceſſione. | interceſſione. |
| 172. | adſcribanrur. | adſcribantur. |
| | omnî. | omnîs. |
| 181. | intuenres. | intuentes. |
| 183. | oratiunculum. | oratiunculam. |
| 184. | extingar. | extinguat. |
| 186. | illuſtsis. | illuſtris. |
| | BIrgitta. | BIrgItta. |
| | precibns. | precibus. |
| 191. | prævenernnt. | prævenerunt. |
| 192. | etgo. | ergo. |
| | duluculò. | diluculò. |
| | conjuncta ſponſa. | conjuncta ſponſo. |
| 198. | rransſundere. | transfundere. |
| 199. | una. | unà. |
| 200. | erxpreſsè. | expreſsè. |
| 205. | Franiſcus | Franciſcus. |
| | pervenIt. | perVenIt. |
| 207. | binedicta. | benedicta. |
| | Chrſtus. | Chriſtus. |
| 209. | poſſidit. | poſſedit. |
| 210. | miſiricordia. | miſericordia. |
| | oreretur. | oriretur. |
| 214. | elegentiâ. | elegantiâ. |
| 236. | fierit. | fieret. |
| 247. | opinione. | opiniones. |
| 257. | OrIgInes. | OrIgenes. |
| | temlum. | templum. |
| 258. | unamiter. | unanimiter. |
| 269. | mnnera. | munera. |
| 272. | oxoriebatur. | exoriebatur. |
| 274. | ſpeicoſa. | ſpecioſa. |
| 275. | comunicabilis. | communicabilis. |
| 283. | lequeſcens. | liqueſcens. |
| 304. | prophanata. | profanata. |
| 305. | infortuno. | infortunio. |
| 307. | mnltiplicati. | mulriplicati. |
| 311. | Quòd. | Quod. |
| 312. | litterullam. | litterulam. |
| 313. | dumodò. | dummodò. |
| 315. | noves. | novos. |
| 326. | concurrent. | concurrerent. |
| 327. | inquitatis. | iniquitatis. |
| 328. | agebatnr. | agebatur. |
| | homicidiâ. | homicidâ. |
| 343. | affectum. | affectuum. |
| 344. | deſtrueterur. | deſtrueretur. |
| 349. | comparere. | comparare. |

## *Index.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| Verb. | *Aurum.* | Solomonis. | Salomonis. |
| v. | *Dos.* | maritotum. | maritorum, |
| v. - | - - | Epominondas. | Epaminondas. |
| v. - | - | S. Joannis. | S Joannes. |
| v. | *ludi.* | Apollinaris. | Apollinares. |
| v. | *mare.* | minimà. | minimè. |
| v. | *Maria.* | infernalem. | infernalem. |

2678